AD NOVA ACTA ERUDITORUM, QUÆ LIPSIÆ PUBLICANTUR, SUPPLEMENTA.

TOMUS VII.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIAE,

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHII, & B. LANCKISII, hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM officina.

M D C C L I V.

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

COLLECTORES ACTORVM ERVD.

Serius prodit hoc Supplementorum Volumen, quam debebat, aut destinatum erat; non propter negligentiam aliquam, aut materiae inopiam: nam nec cura nobis bonarum literarum, aut voluntas bene de iis merendi decessit, nec deerant, de quibus dici posset, libri: sed quod diuturnus primum morbus, deinde mors acerba B. Menkenii, *qui curam edendorum, quae scripsissemus, unus sustinebat, paullulum res nostras conturbarant: quibus brevi ordinatis rursus ac constitutis, nihil nobis magis curae fuit, quam ut absolveretur dudum coeptum & iam profligatum Volumen. Quod ut non ingratum Fautoribus nostris, nec inutile studiosis, Speramus fore; insunt enim Excerpta librorum multorum, quos nosse intersit in suo cuique literarum genere: ita fidem damus, nos institutum hoc nostrum non dimissuros, sed porro persecuturos esse, perfecturosque, ut statis temporibus exeant Supplementorum Tomi. Cui nostrae voluntati, bene est, quod respon-*

respondet ubertas seculi nostri in hoc literario proventu. Etenim bene multi supersunt libri, quorum Excerpta non potuerunt capere fasciculi menstrui Actorum, iique digni cognitione literatorum hominum: quibus in Supplementa digerendis speramus nos gratum multis facturos. Faveant modo eruditi porro institutis nostris atque laboribus bono literarum susceptis, neque a nobis se abalienari sinant per iniquitatem eorum, qui, ut quid veritatis caussa contra eorum voluntatem diximus, ita nobis institutisque nostris irascuntur. In quo genere admirabilis est quorundam vanitas ac levitas; qui se contemnere clamant vel nostra, vel totum hoc genus scribendi, ceterum avidissime laudes & nostras & ceterorum, qui simili instituto utuntur, expetunt, in eoque si sua ipsos spes fefellerit, impotenter indignantur. Nos quidem nullius injusta indignatio a constantia nostra dimovebit, neque ulla re nos abduci a veritatis studio sinemus: neque tam quid aliis, praesertim minus idoneis aut aequis judicibus placeat, quam quid res & ratio, & literarum bonum desideret, nobis videndum putabimus. Vale. Scr. Lipsiae Kalendis Juliis A. C. MDCCLIV.

Ad

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio I.

CRITICAL NOTES ON THE OLD TESTAMENT, &c.

hoc est,

CRITICÆ NOTÆ AD VETUS TESTAmentum; in quibus hodiernus textus Hebræus explanatur, & in multis locis ex antiquis versionibus, sigillatim ex LXXIIviralì, emendatus est; propositæ secundum ordinem temporis, quo singuli libri sunt scripti, aut quo omnium convenientissime legi possunt. Præfixa est ampla Introductio, in qua autoritas Masoreticorum Bibliorum adstruitur, ac vindicatur ab objectionibus Clariss. Whistoni, & Autoris libri, hoc indice: Grounds and Reasons of the Christian Religion, *id est, Fundamenta & rationes Christianæ religionis, insigniti, per Virum antehac eruditum, WILHELMUM WALL, S. T. D. eundemque Historiæ Pædobaptismi Autorem. Hoc Opus ex Manuscripto ejus originali nunc primum evulgatur.*

Volumina II.

A Londini,

Londini, ſumtibus C. Daviſii, 1734, 8 maj.
Vol. I plag. 21, Vol. II Alph. 1.

Summe Reverendus Autor in præmiſſa Præfatione, ſeu introductione, ſatis copioſa nos erudivit, quæ ad rem ſuam propoſitam pertinere ratus eſt. Ex hac igitur ſumma rerum capita excerpemus, peritis criticæ artis lectoribus judicium & arbitrium ſuum, quod æquum & ſanum poſcimus, relicturi. S. Rev. *Wall*, ut ætate provectus eſt, ſacroſanctis legendis libris ultimas vitæ ſuæ horas devovere ac conſecrare decrevit. Hoc conſilio *Anglicam* identidem legit verſionem, quacum *Latinam*, modo *Vulgatam*, modo *Caſtellioneam*, modo *Junio-Tremellianam*, modo denique eam, quam *Beza* concinnavit, conjunxit. Libros N. T. Græcos cum variantibus *Millianis* lectionibus contulit, & V. T. Codicem in Græca LXXvirali verſione volvit & revolvit, iis conſultis notis variis, quas *Lamb. Bos* collegit. Cumque *Hebræum* textum jam citato gradu haud poſſet percurrere, quo ii ſolent aliquem legere librum, qui vita modo, quicquid in eo inveniunt, exprimere ſecum conſtituerunt; certum ac fixum hoc ſibi eſſe voluit ille, *Anglicam* translationem, & reliquas nunc dictas converſiones, verum ac genuinum ejusdem ſenſum ſatis jam apte redditum exhibere. Scitum hoc eſt, quod nemo ſanus probabit Criticus. Diſcrepantiæ ergo, quas inter verſionem *LXXviralem* ac Textum *Hebræum*, aut ſenſum potius ejus, quem ex commemoratis verſionibus hauſit, nimiæ ac ſingulares hæc ipſum tria juſſerunt credere: 1) Autores verſionis quorundam *Hebræorum* librorum *Græcæ*, non niſi mediocriter in ſua lingua, qua ut *Judæi Alexandrini* omnes utebantur, exercitatos, & minori *Græci* ſermonis cognitione tinctos fuiſſe. Ex quo concludit, hos ea etiam loca male vertiſſe, in quibus exemplum, quod tum habebant, *Hebræum* cum hodierno conveniebat. Vult idem, inter hos *Græcæ* verſionis autores, quosdam penſum ſuum multo melius,

melius, quam ceteros, elaboravisse. Sic hi, qui *Pentateuchum* verterunt, antiquissimi pariter atque optimi sunt; quibus interpretem *Ezechielis* adjungit, & postremorum autores Codicum. Addit 2) *Graecam* illam versionem, praeter eos, quos ab initio statim habuerunt, defectus, plures etiam temporum tulisse injuria, nec non librariorum incuria & negligentia. Contendit 3), ipsum *Hebraeum* exemplum, intra tam longum temporis spatium, nonnullas recepisse mutationes, quarum causa & autor eadem sit librariorum incuria, qui ante *Masoretarum* laborem eas intruserint. Non sunt audiendi, qui divinam ajunt providentiam intercessisse, quo minus in originalem linguam vitia irrepserint. Miraculum hoc esset extraordinarium, quod sibi simile non haberet. *Prophetas* quidem & primos librorum scriptores in scribendo rexit Deus, & ab errore liberos ac vacuos praestitit. Librarii vero homines erant, quibus nullum unquam promissum ipse dedit, se haud commissurum, ut ne aberrarent, aut incuriam in describendo aliquam admitterent. Neque ullus erat usquam Codex, cujus non multa, quae descripta fuerant, exempla idem experta sint fatum. Cumque variantes *Graeci* N. T. lectiones ex optimis Manuscriptis jam multae collectae nunc inveniantur; natus nemo sibi amplius persuadebit hodie, *Hebraeos* V. T. libros nullas plane librariorum aberrationes in se continere. Docti quidam viri, ut *Morinus*, *Vossius*, aliique, in contrarium incurrunt extremum, *LXXviralem* versionem hodierno textui *Hebraeo* in omnibus, ubi a se invicem recedunt, locis, anteferendam esse rati. Sed Cl. *Wall* mediam deligit opinionem, quae huc redit: In quibusdam locis antiqua translatio verum servavit sensum, ubi hodiernus *Hebraeus* textus verba habet male scripta, aut interpuncta. Verum multo plura exstant loca, quorum *Graeci* interpretes disturbarunt sensum, aut in quibus ipsorum libri, diuturnitate temporis, negligentium vitio scribarum, mutati fuerunt. Ut adeo in nullo non exemplo librorum V. T. *Hebraeus* textus omnium sit accuratissimus.

At is tamen non est ita accuratus, ut non ex *Græca* versione in multis, ex *Samaritana* vero non nisi in paucis quibusdam, *Pentateuchi* locis corrigi debeat.

Inde a *Massora* ætate *Hebræus* textus mansit incorruptus. Magna vero ratio est credendi, exstitisse usque ad hoc tempus, hoc est, circa A. C. 125, diversa manu exarata *Hebræorum* Bibliorum exempla, diversis variantibus lectionibus insignita, quæ tunc *Hebræi* magistri *Tiberiade*, ut fert traditio, inter se contulerunt, uno ex his sigillatim delecto, quod ut avthenticum recipi voluerunt, & in synagogas induxerunt. Cetera vero, varietatis amoliendæ gratia, destruxerunt, eorundemque interdixerunt usum, reservatis paucis variantibus lectionibus, קרי & כתיב, quas non maximo semper judicio elegerunt. Hinc librarii vitia, in uno hoc *Hebræo* exemplo obvia, nulla alia corrigi via poterant, quam ex *antiqua Græca* conversione, quæ multis in locis manifestum reddit, quemadmodum antiquum *Hebræum* exemplum, a quo hæc ducta est, eo sese tempore habuerit, *Samaritana* Legis versione in nonnullis *Pentateuchi* locis eandem rem confirmante. Itaque in votis habendum esset, ut hi potius Rabbini reliquos MStos Codices ad posteritatem propagassent. Sed tantum abest, ut hoc facerent, ut istud, quod ut avthenticum receperant, exemplum in *Græcum* potius sermonem, *LXXvirali* antiqua amandata versione, primum *Aquila*, deinde *Theodotion*, hinc *Symmachus*, eo converterent consilio, ut *Hellenistæ Judæi* novis his versionibus in suis uterentur synagogis, quæ a suo avthentico exemplo minus, quam antiqua, differebant. Quid? quod id etiam dabant operam, ut antiquam nullam non versionem, ipsaque *Hebræa* exempla, a suo, quod avthenticum esse jusserant, recedentia, e medio tollerent, ne populi sui paterent usui. Sed horum temporum *Christiani* & *Judæi* credentes, & *Gentiles* Christiani, antiquæ adhærebant translationi. Hi nesciebant *Hebraice*, & magna quædam *Judæorum* pars, inter illos vivens, *Græcam* versionem in publico adhibebant cultu, cum multi ex

his

his ne legere quidem *Hebraice* possent. Hi ex *Judais*, qui a sacro remoti erant ordine, hanc exemplorum ex oculis amolitionem prohibere non poterant, propterea quod hoc tempore arma *Hadriani* tam erant severa, ut *Palaestinam* tantum non omnem depopularentur. Non erat hæc ætas libris inspectandis idonea, qua fuga quisque salutem petere cogebatur: pauci hi, qui evaserant, in omnes partes dispersi erant. Nec *Gentiles* Christiani, nec *Hellenistæ Judæi*, qui credebant, intercedere hic valebant: nam non intelligebant *Hebraice*, nec ulla *Hebræa* possidebant Biblia. Vetus legebant Testamentum in sola *LXXvirali* conversione, atque inter ipsos, & incredulos *Judaeos*, nullum erat commercium, sed odium potius capitale. Credentes *Judæi*, qui *Pellam*, & in alias orientales confugerant provincias, quique *Hebræo* utebantur sermone, & haud dubie libros habebant *Hebræos*, in suis propriis Bibliis rem adjuvare potuissent, nec dubium est, quin juverint; sed, id quod magno Christianæ religionis detrimento accidit, non erat amplius diu major *Gentilium* Christianorum cum his communio, quam cum incredulis *Judais* ipsis. Hoc ruptum pacis, amicitiæ, & concordiæ, vinculum, quod inter *Judæos* Christi testes, qui Hierosolymis in Orientem se conjecerant, & inter *Gentiles* nominis Christiani professores antehac fuerant, pestis olim fuit civitatis sacræ capitalis, sive libros eorum, sive alia, spectes, quæ ad fines religionis proferendos pertinent. Illorum etenim instituta inter se comparatio, præsertim quod ad V. T. & S. *Matthæi* Evangelium attinet, multo hos sacros Codices magis adversus omnem exceptionem munivisset. S. *Paulus* omne suum eo intendebat studium, ut hæc bina Christi testium corpora conciliaret; atque hoc, dum vixit, quodammodo, idque difficulter, obtinuit; post ejus vero mortem nihil amplius de mutua ipsorum inter se communione per aliquot centum annos audimus. *Epiphanii* ævo 370 hujusmodi ex *Judais* Christianis adhuc remanserant, quos *Gentiles* vocabant *Nazarenos*, ipse vero hæreticos eos

hanc unam ob caussam dicit, quod usum circumcisionis ac legis *Judaicæ* continuarent. Nihil is de exemplis V. T. quibus hi uterentur, observat, S. autem *Matthæi* Evangelium eos adhuc integrum ait tenere, ipsamque indicat diversitatem, *Hæres.* 28, 29, 30.

Haud ita multo post S. *Hieronymus*, qui in *Palæstina* vivebat, *Judæis* quibusdam familiariter utebatur, & *Hebræas* ab illis literas discebat. Ab his etiam exemplum V. T. *Hebræum* accipiens, ex *Hebræo* textu non solum multa *Italicæ* versionis & *Latinæ* suæ, antehac editæ, translationis, sed ipsius etiam *LXXviralis*, loca corrigi posse, perspiciebat. Cum vero non aliud, quam a *Judæis Tiberiensibus* tractatum, haberet exemplum, neque adeo ex alio MS. Cod. loca male picta emendare valeret, rem sic instituere ipsi placuit. Ubi *Græci* LXX interpretes veram lectionem palam exhibebant, ibi hos sequebatur duces, aut antiquam adoptavit *Italicam*, rectius, ut plurimis visum est, facturus, si in pluribus istud locis tentavisset. Italicam igitur fundamentum, aut ἔδαφος, suæ translationis esse jussit. Nacta hæc est mutationes aliquas in paucis quibusdam locis post ejus ætatem. At est tamen optima Bibliorum versio inter omnes, quæ exstant. Ceteræ enim, si a *Castellione* discesseris, nimis hodierno *Hebræo* illigatæ sunt exemplo. S. *Hieronymi* versio, ex *Hebræo* textu elaborata, cum exiret in lucem, in omnes *Latinas* Ecclesias paulatim recipiebatur, antiquioribus haud immerito antelata. Ubi tamen maximopere dolendum, vetustas illas plane perditas, oblivioni traditas, atque exstinctas esse. Exemplum Evangelii S. *Matthæi Hebraicum* a *Nazarenis* Christianis, qui *Beroeæ* habitabant, Divus *Hieronymus* procurabat, ex quo planam poterat facere *Græci* interpretis in uno, aut duobus locis, aberrationem.

His Autor dictis, ad propositum suum revertitur. Legit dictas supra conversiones, &, ut a reliquis differat, observat. Discrimen istud, quo *LXXviralem* versionem sensum verius, aut contextui convenientius, aut facilius

facilius & expeditius, reddidisse censet, quam *Anglica*, ad *Hebræum* Codicem exarata, exhibet, & in suis *Anglicis* Bibliis, quæ vacuis chartis instruxit, notat subjicitque, privatis initio usibus suis inserviturus. Adjungit etiam breves notulas, sensum dilucidantes, easque cum proprias, tum ex optimis interpretibus & enarratoribus excerptas. Videt insignem harum utilitatem, & versat publicæ illas luci exponendi cogitationes. Hanc dum molitur rem, accidit, ut impius ille liber, in quo *fundamenta & rationes Christianæ religionis* funditus eversa sunt, Londini A. 1724 exiret, & in lingua Britannica, non sine magno applausu, ut fit inter homines, divulgaretur, autorem agnoscens *Anton. Collinum*, Deistarum recentiorum facile principem. In his attendit opportune, ut perniciosæ Cl. *Whistoni* de universali, ac malitiosa, quam ipsi rerum sacrarum custodes susceperint, *Hebræorum* & *Græcorum* N. T. exemplorum corruptione opiniones, in *Tentamine verum restituendi V. T. textum*, binis annis ante ibidem edito, propositæ, non solum adoptentur ac muniantur, sed etiam augeantur & amplificentur. Ab his ergo duumviris, malæ causæ patronis, quomodo ipse sejunctus sit, Pag. 17-54.
in consequente Præfationis parte multis ostendit verbis, & mota ab utrisque dubia convellit ac dissipat. Planum postea facit, suam eo tantum valere opinionem, ut *errata* quædam operarum ac librariorum admittat, quæ ipsam religionis Christianæ causam non attingant, & nec doctrinæ fidei, nec morum, quidquam officiant. Hac igitur re bene putata, mutavit consilium, & hasce notas judicio Christianorum lectorum modeste proponere non amplius dubitavit, quanquam mors eum citius, quam putavit, ab hac edendi avocavit cura. Istæ vero his inprimis inserviunt, qui, *Anglica* legentes Biblia, ex antecedentibus & consequentibus, aut ex parallelis locis, perspicere cupiunt, num aliqua ratio sit concludendi, variantem, quam notæ exhibent, lectionem veriorem esse. Habent οἱ ό quasdam 56.
proprietates, per omnes, quos verterunt, libros non insuper

ſuper habendas; 1) vocem *Hebr.* אלהים per Θεὸς, aut Θεοὶ, ac בני אלהים, *filii Dei*, aut *Angeli Dei*, reddiderunt, cum tamen interdum *magni homines* ac *potentes* hac dicendi ratione deſignentur, ut *Gen. VI*, 2, cujus loci ſenſum ita corruperunt, & multæ ipſos verſiones ſecutæ ſunt, ſpeciatim *Vulgata*. 2) Nomen יהוה ſemper per κύριος vertunt. Ut in hac verſione verus Deus ac falſi Dii diſcerni nequeant, ſicut in *Hebræa* lingua. *Vulgata* & *Anglica* eadem ratione *Dominus* & *Lord* habent, ſed meliores editiones Britannicæ LORD majori exhibent charactere. *Caſtellio* nomine ipſo Dei *Jehova* uſus eſt. Vel, ſi mavis, brevius ille dixit, *Jova*. Digna hæc eſt, quæ non negligatur, obſervatio, iis quippe opponenda, qui, *ſtili ethniciſmum* caſtiſſimo interpreti objecturi, eum *Jovem* in verſione ſua poſuiſſe, ſciſcunt; ut his in Præfatione, Lipſienſi editioni præmiſſa, ſatisfecit S. Rev. *Wollius* §. *IX pag.* 19 edit. noviſſ. Οἱ ό 3) nimis ſe ad voces ac phraſes *Hebr.* adſtrinxerunt, ut ſæpenumero ſenſum reddiderint obſcuriorem, ut *Gen. XLV*, 2. *LXXviralis* converſio 4) majorem præbet uſum in Codicibus ante captivitatem ſcriptis, quam in libris poſt captivitatem exaratis. Verſio *Samaritana* in iis *Pentateuchi* locis, ubi LXX interpretes & ſancti *Hebræi* codicis ſcriptores diverſi ſunt, uſum habet aliquem. In hoc caſu vim probabilitatis ſenſui congruo addit non ſpernendam; & in
Pag. 59. plurimis diverſis locis cum τοῖς ό convenit. Nec vero *Anglicæ* translationi ſuæ deſunt proprietates. Ex his una eſt, quam ſibi lingua *Anglica* vindicat ſola, nimirum futuri temporis expreſſio, quam *Angli* per *Shall* & *Will* æque exprimere poſſunt. Exemplo ſunt loca *Matth. XXVI*, 21, *Marc. XIV*, 18, *Jo. XIII*, 21, *Matth. XXIII*, 34, 2 *Petr. II*, 1, 2, ubi *Will* idem, quod *Shall*, ſignificat, hoc eſt, *facturus eſt* hoc, vel illud. Hactenus velut in tabula totum hoc repræſentavimus opus, quod ſecundum præfixum ordinem ſcriptorum, quem temporum poſcunt rationes, perfectum eſt. Ex hac omnes perſpicient tabula, quemadmodum *Wallianæ* notæ comparatæ ſint criticæ. At operæ tamen

pretium

pretium erit, bina tantum hinc exscribere exempla. *Exod. VI, 3*, *Anglica* sic habet versio: *But by my name Jehovah* Pag. 52
was i not known to them. Ad quæ verba hæc Autor *Bri-* Vol. I.
tannica adscripsit lingua, quæ nos Latine reddemus: ὁ & *Vulg*. nesciunt, quo pacto hæc exprimere debeant. Dubitant, ut videntur, dicere, aut scribere, nomen *Jehovah.* Ο' ita, τό ὄνομά μȣ Κύριος ȣ̓κ ἐδήλωσα αὐτοῖς: in qua versione nullus inest sensus. Vulg. *nomen meum* Adonai *non indicavi eis.* Si *Abraham* nominis *Jehova* nullam habuit notitiam; necesse est, ut *Moses* in verbis suis per prolepsin eo usus sit nomine, loco alius, quod eundem designasset Deum. Sed, quoquo modo hæc res se habet, liber *Geneseos* post id tempus exaratus sit oportet; *Moses* etenim sæpius hoc utitur nomine. Nonnulli interpretes accipiunt hic voculam לא non ut simpliciter negantem, verum ut interrogantem: *Was i not even known to them by my name Jehovah?* hoc est, *nonne cognitus sui ipsis nomine meo Jeho-*
vah? Ad *Angl.* versionem *Jerem. XXXI, 32*: *Which my* 150.
covenant they broke, although i was an husband to them, saith the Lord. O, καὶ ἐγὼ ἐμέλησα αὐτῶν, φησὶ κύριος. Vulg. *& ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Margo Angl. Trem.* duce habet: *Should i have continued a husband to them? saith* &c. hoc est, *& ego conjugio junctus mansissem eis? dictum Jehovæ.* S. *Paulus Hebr. VIII, 8*, secutus est τȣ̃ς ὁ, idque cum sensu convenit oraculi. Ac videtur verbum *Hebr. dominatus sum eis*, in ratione scribendi ab eo, quod *fastidivi* eos, denotat, non multum differre; atque adeo ab *Hebræo* librario facile potuit error aliquis committi. Cl. nimirum Autor eorum hic interpretum indicat conjecturam, qui, בעלתי cum בחלתי hic permutatum esse, suspicantur, quæ *Surenhusii* est divinatio. At enim vero ipsum verbum בעל, cum ב, ut hic loci, constructum, idem, quod בחל, significat; id quod *Jos. Kimchi* apud *Davidem* filium cum ad h. l. tum ad *Jer. III, 14*, ostendit, *Arabicam* dialectum excitans testem. Huc & *Ed. Pocockii*, & aliorum, valuit opinio, quæ nec *W. Wall* no-

ſtrum præteriit; ut ex Notis ejus *Criticis ad N. T. pag. 308* apparet. Ex his binis, ut putamus, exemplis patebit, hanc verſionum comparationem ad veram Autorum divinitus actorum ſententiam enodandam parum afferre adjumenti. Quo magis convenit mirari, doctum quendam Virum eo adduci poſſe, ut credat, ex rivulis verſionum fontes *Hebraicos*, ex quibus illæ manarunt, commode purgari ac emendari. Verum potius vocum ac phraſium evolutio, cum reliquis melioribus ſubſidiis hermeneuticis conjuncta, in auxilium vocanda erit ſacroſanctos ſenſus exploraturis. Interim inficias haud imus, eorum operam, qui judicium criticum & hermeneuticum exercituri & limaturi ſunt, his criticis notis eximie juvari. Quod S. R. *Wall* in indice *Hiſtoriæ Pædobaptiſmi* Autor appellatur, id ex virorum in Anglia clariſſimorum fit conſuetudine, quippe qui, nomen ſuum jam famam ac celebritatem aliquam adeptum, ex aliis monumentis, antea in lucem editis, declarare ſolent. *Hiſtoria* illa, jam aliquoties novis Londini formis deſcripta, & eruditis Anglis, & noſtris hominibus, placuit, propterea quod infantum baptiſmum haud contemnendis hiſtoriæ ſacræ teſtimoniis exhibet corroboratum.

REMARQUES CHRONOLOGIQUES SUR L' ANCIen Teſtament, &c.

hoc eſt,

ANNOTATIONES CHRONOLOGICÆ IN Vetus Teſtamentum, propoſitæ examini eruditorum, cum Sciagraphia expoſitionis ſacrarum literarum.

Pariſiis, proſtant apud Rollinum filium 1737, 8.
Plag. 18.

Annotationes haſce chronologicas, ab Autore ſubmiſſas judicio eccleſiæ & eruditorum, conſtare propoſitionibus, quibus in ſacro Codice partes temporis elapſi diſtincte

inde significantur, ante omnia est memorandum. Laborem suum Autor Abbati *Bignonio*, Abbati S. *Quintini*, Consiliario status ordinario, uni ex quadraginta sodalibus Academiæ Franciçæ, Præsidi Academiæ Inscriptionum ac bonarum literarum, voluit consecratum. Nullo Pontificis Conciliive decreto chronologica supputatio certa fuit sancita. Quamobrem libere Pontificii ipsi hic discordant, quos inter Autor eruditissimus tramitem prorsus novum delegit, ratus, veram solidamque Chronologiam per testimonia solius Codicis sacri detegi posse ac stabiliri. Præmissa proinde de Chronologia notione, epochisque generalibus prædefinitis, annos Regum Judæ expendit; ad Reges Assyriæ, quorum in sacris literis fit mentio, progreditur, quos Mediæ, Persidi, terrisque Euphratem inter & Tigrim sitis, imperasse, ostensum it; delibat res Regum Babyloniæ; percenset Reges Mediæ Persiæque. *Judithæ* facinus heroicum in quintum annum *Manassis*, Regis Judæ, collocat, modumque determinare contendit, quo hic *Manasses*, ab Assyriis captus, Babylonem adductus, & in libertatem regnumque suum fuerit revocatus. Quantum ad excidium *Nineves* attinet, illud cum anno 16 regni *Josiæ*, Regis Judæ, conjunctum esse existimat, opinatus præterea, libro *Tobiæ* reliquum temporis aperiri inde ab anno sexto *Hiskiæ*, Regis Judæ, usque ad 17 annum regni *Josiæ* ejusdem. Historiam *Susannæ* credit contigisse sub finem anni secundi exulantis *Jechoniæ*, Regis Judæ, ut hæreticis demat rationem, qua ipsi inducti solent historiam hanc a prophetia *Danielis* resecare; Pontificiis vero adimat causam tribuendi historiam *Susannæ* alii cuidam *Danieli*. Quantum ad librum *Estheræ* attinet, ipse in eo est totus, ut ostendat, argumento hujus libri assignandum esse tempus, quod exilium inter *Jechoniæ* ac extremam Hierosolymæ ruinam intercessit. Septuaginta exilii Babylonici annos inchoat ab excidio Hierosolymorum, tum urbis, tum templi. Septuaginta *Danielis* hebdomadas ad natalem usque Christi effluxisse, sibi persuadet. Ut exordium earum determinet,

ſub incudem & examen revocat plures aliorum ſententias, nominatim *Petavii*, Jeſuitæ, & *Harduini*, qui initia deducit a quarto anno *Jojachimi*, Regis Judæ, finemque figit in anno ſummi Pontificis *Oniæ*. Autor aliis examinandas ſuper hoc argumento proponit duas opiniones. Primam ſic inſtituit. Primordium 70 hebdomadarum figit in anno primo reditionis Judeorum Hieroſolyma. Hebdomadas 7 & 62, conjunctas in prophetia, reputat pro puncto temporis, intra quod Jeſus in lucem fuit editus. Ab eis ſecernit hebdomadam unam, in vaticinio inde ſeparatam. Inter hanc & ceteras interponit intervallum temporis, quo Meſſias in terris miniſterium ſpectabile geſſit. Mortem Jeſu collocat in media hac unicaque hebdomada. Deinde ſingula Prophetæ verba exponit, ac, ea Jeſu Chriſto convenire, oſtendit. Ne quis vero credat, ſententiam hanc ſuffragio eſſe indignam, eo quod plane eſt nova, Autor huic objectioni, quæ per ſeſe haud multum trahit momenti, pro viribus occurrit. Excipit eam opinio ſecunda, ſecundum quam primordia 70 hebdomadarum capiuntur ab anno 32 *Artaxerxis* illius, qui *Nehemiæ* facultatem, eundi Hieroſolyma, indulſit. Hæc ſententia cum priori concordat, excepto, quod deſtinatio, 7 priores hebdomadas complectens, in ſuppoſitionem haud fuerit aſſumta. Proponit ipſe denique opinionem tertiam, ſed magis expiſcandi judicia aliorum cauſa, quam ad eam pro veroſimillima reputandam. Ipſe enim principatum tribuit ſecundæ opinioni, eique congruenter tabulam chronologicam inſtruxit. Accedit ſpecimen expoſitionis in literas ſacras, ſcilicet commentatio in Caput primum *Geneſeos*. Hæc eſt operis ſumma. Hoc eſt argumentum. Id vero inprimis eſt dolendum, quod Alexandrinos interpretes, qui a Chronologia Ebræi Codicis admodum diſſident, Vulgatus Interpres fuerit ſecutus, hunc vero eccleſia Romana amplectatur veluti teſtem omni exceptione majorem & unice fide dignum. Hac enim ratione reſtabit diſſenſus in omne ævum. Præterea anni illi 430 *Exod. XII, 14*, faceſſunt

sunt Chronologis negotii multum. Autor eos supputat promissione *Abrahamo* facta, 30 annis ante *Isaaci* natalem, Pag. 6.
quæ *Pauli* omnino est sententia *Gal. III*, 17. Ab *Abrahami* secessu in Ægyptum usque ad exitum ex ea elapsi fuerunt anni 400. A promissione autem, *Abrahamo* impertita, usque ad terræ promissæ distributionem effluxere anni 450, *Act. XIII*, 20. Anni enim 40, itineri Arabico 8.
impensi, decem vero terræ distribuendæ. Autor porro credit, ab exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad conditum a *Salomone* templum elapsos esse annos 424, ob *1 Reg. VI*, 1. Difficile autem est, determinare temporis epocham, quæ excidium inter Hierosolymæ & natalem Christi profluxit. 10 seq.
In subsidium alii vocant tum exteros scriptores. Autor acquiescit in eis dictis, quæ sparsim sacer Codex continet, licet verosimilem tantum promittat hujus epochæ diductionem, suam sententiam deducens ex 70 annis captivitatis Babylonicæ, & 70 hebdomadibus *Danieliticis*. Si cardines gemini hujus momenti essent admodum 12.
evidentes, nullæ sane exstarent inter Chronologos dissensiones. Nihilo secius vires suas periclitatus est Noster, ut probabilissima quæque inveniret ac propinaret. Singularis ejus existit sententia, qua comprobatum it, tres *Nabuchodonosoros* sibi successisse in regno Assyriæ & Babylonis amplissimo. En demonstrationem. *Brodach* anno 16 *Ezechiæ*, Regis Judæ, in Babylonia regnum stabilivit. *Jojachimus*, Rex itidem Judæ, anno regni sui tertio a *Nabuchodonosoro* quodam in ditionem ac potestatem fuit missus. Intra hosce duos terminos computantur 13 anni regni *Ezechiæ*, qui 29 annis habenas regni tractavit *2 Reg. XVIII*, 2. Post ipsum *Manasses* regnavit annis 55, *2 Reg. XXI*, 1. *Ammon* duobus annis regnavit, *v.19*. *Josias* 31 annos ad clavum sedit *XXII*, 1; *Jojachimus* tertio regni sui anno *Nabuchodonosoro* sese subjecit, *Dan. I*, 1, *2 Reg. XXIV*, 1. Hi anni, in unam summam collecti, ad 150 assurgunt. Numquid est probabile, universos annos uni *Brodacho Baladani* posse attribui? Id tamen haud licet inficiari,

quartum *Jojachimi* regnantis annum exstitisse primum *Nabuchodonosori Jer. XXV, 1*, ejus videlicet, qui urbem & templum Hierosolymæ evertit. Ex quo momento Autor
Pag. 21. colligit, *Brodachum* inter & hunc *Nebucadnezarum* ponendum esse primum aliquem aliumque *Nabuchodonosorum*. Si quæris, cur Autori placeant tres *Nebucadnezari*, ratio in promtu est. Primus, quia vindice dignus in libro *Juditha* incidit nodus, dicitur vixisse usque ad tempus *Judithæ* defunctæ. Secundum, ait Autor, diu post mortem junioris *Tobiæ* regnasse. Tertius in vaticiniis *Danielis* occurrit. Si vero Canonem *Ptolemæi*, *Berosi* fragmentum apud *Josephum*, & *Megasthenis* apud *Eusebium*, nec non sententiam *Josephi Antiqu. Jud. X, 12*, consulimus, nulla restat spes, fore, ut tres *Nabuchodonosoros* eamus confirmatum. *Chyniladanus* enim, *Nabopolassar*, & *Nabocolassar*, sese ex-
22. cipiunt invicem, si horum judiciis suffragiisque stamus. De primo Medorum Rege peculiarem fovet Autor opinionem. *Sennacheribo* defuncto, Medos defecisse, sibi persuadet, adeo, ut *Arphaxad*, de quo in exordio libri *Judithæ* fit mentio, Rex eorum fuerit primus, & ipse Ecbatanæ conditor. Sed quis nescit, *Dejoci* hoc honoris cedere apud *Herodotum?* Sufficit enim Autori, librum *Judithæ* instar amussis historicæ ponere, exterosque scriptores, si suffragari haud videantur, rejicere, veluti a sacris literis discrepantes. Ea, quæ libro *Judithæ* comprehenduntur, pro factis reputat genuinis. Ut autem tempus cladis, *Holoferni* illatæ ab eadem, exquirat, puncta quædam præmittit, e quorum consideratione lineas ducere possit re-
23. liquas. *Sennacheribi* usque ad mortem potentia Regum Assyriorum adeo fuit valida, ut Medi ab eis non ausi fuerint desciscere. *Arphaxado*, primo Medorum Regi, bellum intulit *Nabuchodonosor*, Rex Assyriorum, eumque devicit.
29. *Nabuchodonosor* a Judæis quoque exegit auxilia contra Medos, postulata ejus recusantibus. Hierosolyma ac templum ea ætate adhuc perstabat. *Judith. IV, 5, XVI, 3.* Post
30. facinus *Judithæ* heroicum Palæstini diu exstiterunt ab exter-
no

no hoste securi, *Jud. XVI, 28, 30.* Inprimis hoc est memoratu dignum, quod *Nabuchodonosor* bellum *Arphaxado* fecerit regni sui anno duodecimo, *Jud. I, 5*, regni, puta, Pag. 31.
Babylonici. Autor opinatur, *Nebucadnezarem* diadema Babylonicum suscepisse anno 16 regni *Hiskiæ*, Regis Judæ. Liceat autem monere, *Hiskiam* morbo perniciosissimo levatum fuisse anno regni sui 14; nam promissos a Deo 15 vitæ annos posthæc exegit vivendo. Liceat monere, tunc jam *Brodachum* regnasse in Babylonia, cum *Hiskias* convaluisset (*Es. XXXIX, 1, 2 Reg. XX, 12,*). Liceat monere, Regem *Mrodach*, seu *Brodach*, alias vocari *Mardokempadum*, nequaquam vero *Nebucadnezarem*. In Græco libri *Juditha* traditur, bellum, *Arphaxado* illatum, non illico finitum, sed anno demum 17 regni *Nebuchodonosori* terminatum fuisse. Quinque illos annos, quibus id bellum gestum, Autor ita distribuit, ut eos cum ultimo *Hiskiæ* & quatuor *Manassis* annis regni primis conferat. Libet monere, *Mardokempadum* regnasse duntaxat 12 annos, teste *Ptolemæo Almagest. IV, 6,* nec exstitisse ævo *Hiskiæ*, vel *Manassis*, Babyloniæ regem, qui annum 17 attigerit regnando. Vulgatus Interpres (*Judith. II, 1, 4,*) loco anni 17 habet annum 13. Vulgati Interpretis major est autoritas, quantum ad *Juditha* librum attinet, quam Græci textus. Ille enim accuratiori Codice Græco fuit usus, quam is est, qui superstitat. Quæ cum ita sint, facinus *Juditha* heroicum secundum Autoris computationem incidet in annum *Hiskiæ* extremum. Cur itaque in libro *Juditha* de eo altum est silentium? & cur
in rebus *Hiskiæ* nulla de *Juditha* mentio? Autor obsidionem 33.
Bethuliæ in annum regni *Manassis* quintum rejicit. Liceat monere, nullam in rebus *Juditha* legi de *Manasse* mentionem, quæri potius *Judith. V, 3*, quis Judæorum sit Rex; *Eliakimum*, summum sacerdotem, de quo liber *Juditha* agit, in catalogo summorum Pontificum haud inveniri; urbem *Bethuliam*, campo Esreelitico, seu magno, ab oriente vicinam, scriptoribus aliis esse incompertam; mirum videri, *Manassi* in Ju-
dæorum rebus nullas in libro *Juditha* demandatas esse par- 37.

tes,

tes. Non inficiamur, Autorem id liquido satis ostendisse, historiam *Juditha* haud quadrare ad tempus *Manassis*, ab exilio Babylonico reversi. Sunt, qui eam cum tempore exilii *Manassis* conjungunt. Sed hi sunt fere, qui haud erubescent fateri, *Manassis* captivi in locum substitutum fuisse regulum, a victore Judæis præpositum. An hujus ulla in libro *Juditha* mentio? An ille Babyloniorum Assyriorumque regibus repugnasset? Copiosius hanc de historia *Juditha* tractationem repperivimus, nostrisque admonitionibus interjectis ditare studuimus, ut inter omnes constet, difficultates chronologicas ac historicas, quibus liber *Juditha* premitur, nondum esse extricatas, ita ut in sententia, quæ aliis videtur verosimillima, liceat acquiescere. Dum vero Autor librum *Juditha* & historiam *Susanna*, qua Caput 13 vaticinii *Danielis*, pro canonicis habet, omnino refellitur autoritate *Hieronymi*, in *Prologo galeato*, vulgatæ præfixo, ac in *Epistola ad Paulinum* libros canonicos percensentis. Multum operæ Autor in eo impendit, ut *Danielem*, cujus in historia *Susanna* & fragmento de idolo Bel fit mentio, a Propheta famosissimo *Daniele* haud distinguat. *Danielem* dici *v. 45* παιδάριον νεώτερον, *puellum peradolescentemve*, mirandum sane est. At Autor conjectat, *Susanna* innocentiam a *Daniele* fuisse approbatam ac
Pag. 48 seq. luci expositam sub initio exilii Babylonici, cum Judæis fuerint e gente sua judices. Quod licet nondum fuerit demonstratum, de *Daniele* tamen Propheta esse sermonem ibi, facile patescit ex *v. 64, 65*. Qui Caput decimum tertium illud *Danielis* existimant esse minus canonicum, hisce armis opus non habent. De reliquo facile largimur,
52. *Danielem*, cum in exilium iret obses, circiter duodecim annos fuisse natum. In Capite illo 13 *Danielis*, Ebraico Codici temere adjecto, modo prorsus inusitato de *Daniele* differitur in persona tertia. Abest illud Caput a volumine Judæorum Ebraico, quibus quondam credidit Deus oracula sua. Ut Chronologiam *Esthera* certo determinet, credit, *Achasverum* repudiasse uxorem *Vasthi* secundo anno regni

regni *Zedekiæ.* Requirimus omnino argumenta, quibus Pag. 62.
ea sententia extra dubitationem collocetur. Quid vero de
initio exilii Babylonici est sentiendum? Chronologi illud
eruere tentant ex vaticinio *Jeremiæ XXIX, 10,* quo autu- 67.
mant illud determinatum per exilium Regis *Jechoniæ* cœ-
ptum. Alii potius respiciunt ad *Dan. IX, 2,* quo exordium
illorum 70 annorum ab excidio Hierosolymæ computá-
tur. Hisce accedit Noster. Septuaginta autem hebdoma-
das deducit ac inchoat ab eo tempore, quo exilium Baby-
lonicum fuit solutum, templumque Hierosolymitanum pe- 70.
nitus instauratum, ob *Dan. IX, 25.* *Julius Africanus* epo-
cham illam arcessivit a 20 anno *Artaxerxis* ob *Neh. II, 1,* 81.
8. Eodem in clivo sudavit *Petavius,* Jesuita, qui tamen
distincte per eum intellexit *Artaxerxem Longimanum.*
Verba *Danielis: ab exitu sermonis,* exponit uterque de
publico Regis edicto, quo reædificatio Hierosolymorum
fuerit Judæis indulta. Ad edictum *Cyri,* & *Darii* iidem non
respiciunt, eo quod hisce non constiterit eventus. Sed 83.
quis ignorat, vaticinium illud primo *Darii Medi* anno fu-
isse *Danieli* impertitum (*IX, 1,*)? Num est probabile, an-
gelum ad initium tam longinquum, sub *Artaxerxe Longi-*
mano inchoandum, respexisse? Nonne is potius edictum 85.
Cyri ob oculos habuit? Nonne id jam indicaverat *Esaias* 88.
XLV, 1, 13? Nonne *Haggæus* secundo anno *Darii Histaspi-*
dæ Judæis exprobravit id, quod ædificia jam tenerent bene
ornata, negligerentque reædificationem templi? (*I,* 4.) Au- 89.
tor *Artaxerxem,* de quo legitur *Cap. XVI Esdræ, Dario* 91.
huic addit pro regni consorte. *Assverum* & *Artaxerxen,*
quos sacræ literæ commemorant, præfectos Babylonis fu-
isse, idem memoriæ prodit. Utrumque pro filio *Cyri* ha- 95.
bet, illum pro *Cambyse,* hunc pro *Tanaxerce.* Illum, hoc
defuncto, adscivisse *Darium* regni socium, credit, ratus, 96.
artificium, quo *Darium Herodotus* regno potitum tradidit,
esse effictum. Ita sese solvisse putat nodos, quos videtur
suppeditare liber *Esdræ,* & quibus systema *Petavii* laborat. 97.
Hinc progreditur ad dijudicandam P. *Harduini* opinionem,

qui contendit, vaticinium *Danielis* sublimi ratione finem suum attigisse in morte optimi Sospitatoris, secundum literalem sensum in summo Pontifice *Onia*, tanquam typo Jesu Christi, ita ut numerus 70 hebdomadum ad hunc
Pag. 101. *Oniam* duntaxat sit restringendus. *Exitum sermonis* expo-
104. nit hic de verbis patefactis ab angelo, de verbis, a *Jeremia* quondam *Cap. XXV, 1*, prolatis. Sed subest huic hypothesi contradictio. Finis enim 70 hebdomadum po-
111. nitur ab eo tum in morte *Oniæ*, tum in morte Christi. Omittimus reliqua incommoda, quibus opinio *Harduini* est involuta. Prætervehimur duas, immo tres, opiniones,
173 seq. quas Autor lectori proponit dijudicandas. Tabulam chronologicam, eis subnexam, ita instruxit, ut ab orbe terrarum condito ad natum Christum effluxisse arbitretur annos 3959. *Cainanem*, Patriarcham postdiluvianum, e sua Chronologia eximit, quippe in Vulgata & Ebræo haud obvium, in Caput *Lucæ III, 36*, intrusum ab amato-
177. ribus Alexandrinorum interpretum, qui ab antiquis exemplaribus *Lucæ* absit, neglectusque fuerit ab *Hieronymo* & *Epiphanio Hær. XXXIII.* De reliquo non arcessivit Autor in subsidium exteros scriptores, eaque ratione effecit, ut a *Cyro* inde ipsius Chronologia argumentis verosimillimis haud ubique nitatur.

ISTORICA E GEOGRAFICA DESCRIZIONE DELLE antiche Paludi Adriane, &c.

id est,

HISTORICA ET GEOGRAPHICA DEscriptio antiquarum Paludum Adriaticarum, quas nunc lacus Venetiarum vocant, & cursus fluminum, quæ variis subinde temporibus aliquid ad ipsarum firmationem contulerunt, una cum præcipua notitia de antiquissimis civitatibus, Adria, Gabello, Rhodigio, ac statu antiquo terrarum Lendinariæ ac Badiæ, concinnata a Comite CAROLO SILVESTRI, *Nobili Rhodigiensi,*

Rhodigiensi, ac *dedicata* JOANNI SOFFIETTI, *Episcopo Adriæ*.

Venetiis, typis Dominici Occhi, 1736, 4.

Alph. 1 plag. 7½.

Accedunt duæ Tabulæ geographicæ æri incisæ.

Quantæ sint terrarum urbiumque vicissitudines tum physicæ, tum civiles, ex descriptione hac luculentissime perspici potest. Adria olim mari Adriatico in insula adjacebat inter ostium Carbonariæ & Volanæ. Nostra ætate superest nova Adria, ex ruinis antiquæ procul a mari enata, ad Castagnarum fluvium posita. Athesis & Castagnarus, qui veterum Tartarus esse videtur, insulam complectuntur amœnam, solidique soli cultu jucundam, ex quo uterque fluvius tantum limi humique infudit oris adjectis, ut, paludes ubi erant, firma jam regio conspiciatur. Seculo X Hunnorum furor & atrocia hic omnia devastavit, ac Marchiones Estenses sensim ibi dominatum & prædia obtinuerunt. Chersonesum, Pado Athesique interceptam, Pag. 3.
vocant vulgo *Polisine*, *Policinium*, seu Chersonesum Rhodiginam. Tyrrheni, postea Galli, ac Veneti, eam incoluerunt. De Romanis & Longobardis dominis, non est, quod moneamus. Adria & Gabellum Exarchatui Græcorum Im- 8.
peratorum fuere subjectæ. Paludes olim tantæ Ravennam inter & Aquilejam interjacebant, ut ipsæ *septem maria* appellarentur. In hasce Eridanus, seu Padus, Athesis, ac vicina stagna, suas aquas evolvebant. Episcopatus Adriæ a 13 seq.
Carolo Magno submissus fuit Archiepiscopo Ravennensi, una cum ipso loco *Calis*, cujus in Historia Welfica recolitur memoria. Decretum innovavit *Ludovicus Pius*, ac Gabellum nominatim adjunxit, nec non ipse *Rudolphus I* Imperator A. 1279, 14 Febr. qui *Nicolao III* dominium & spirituale, seu ecclesiasticum, & civile, plenum integrumque, in ea & vicina loca exercendum, contulit ac impertivit. De itineribus ad & per paludes illas instituendis scriptor Seculi VI ita exposuit: *Duæ erant viæ, quarum altera pro-* 18.

ficiscendum Narseti erat: una secus Adriaticum mare; altera per mediterraneam regionem. Sed utraque maximas habebat difficultates. Nam secus mare Medoacus primo, dehinc Athesis, & Tartarus, omnes stagna faciunt, quæ pluribus fossis in mare gerunt: & Padus, pluribus ostiis in mare defluens, multis in locis iter interrumpit. Ateste jam memoratur a *Tacito Hist. Lib. III.* Forum Alieni in Ferrariam
Pag. 21. mutatum, & A. 558 Episcopatu instructum fuit, inde translato ex urbe Vicohabenti. Cœnobium S. *Mariæ della Vangadizza* olim nonnunquam nude dictum fuit *Badia.* Ad quod illustrandum proferuntur nonnullæ chartæ antiquæ,
41 seq. e. g. *Amelrici II*, seu filii, A. 953, a *Berengario* & *Adelberto*, filio, Regibus, confirmata; *Francæ*, *Lanfranci* filiæ, *Amel-*
43 seq. *rici* illius I Marchionis viduæ, A. 954, 6 Dec. data; *Berengarii* & *Adelberti*, filii, Regum, A. 961 edita, qua *Martinus*, Abbas Monasterii Vangadicensis, in possessionibus non-
47. nullis confirmatur; *Hugonis*, gloriosi Ducis ac Marchionis,
49. ex *Uberto* Marchione nati, data A. 993, 27 April. ejusdem alia A. 996, 24 Dec. scripta; *Waldradæ*, ex *Hugone* illo natæ, ad A. 997. Extremam illam chartam, siquidem ea in Chronologiam *Ottonis III* impingit, suppositam esse, demonstravit Ven. *Ludovicus Antonius Muratorius* in epistola, descriptioni huic præmissa. Subjunxit Ill. Autor Di-
56 seq. plomata nonnulla, ad idem Cœnobium referenda, quæ ab eodem *Muratorio* in Antiquitatibus Estensibus jam fuerunt in medium allata. Addidit hisce confirmationis chartas, a Pontificibus Romanis profectas. Quo facto, illustrat Lendinariam *pag. 88 seq.* describit Adriam *pag.*
110 seq. *105 seq.* quæ fuit muncipium, & collegio nautarum floruit. Enodat aliquot inscriptiones priscas, quibus collegium illud potest illustrari. Describit Rhodigium, nunc *Rovigo* appellari solitum, *pag. 136 seq.* Recenset seriem Episcoporum Adriæ, variaque inserit Pontificum Romanorum Diplomata bullata. *Henricus*, *Romanorum Rex & semper*
185. *Augustus*, A. 1191 per chartam publicam *Obizoni*, Marchioni Estensi, Comitatum Rhodiginum, teloneum, Athesin, regionem,

gionem, concessit. Diploma Autor illud in lucem publicam hic emittit. Tantam vero ubique ostendit industriam, tantam rerum abstrusissimarum notitiam, & copiam, tantam scribendi venustatem, ut in præstantissimis Historicorum Italiæ monumentis hic liber locum debeat reperire. Prædicanda est illa in patriam pietas, qua adductus, & ipsam, & confinia, mirum in modum ornavit & illustravit.

Gründlicher Bericht von dem alten Zustand und erfolgter Reformation der Kirchen, Clöster, und Schule, in des H.R.Reichs Stadt Nördlingen, &c.

hoc est,

SOLIDA COMMEMORATIO STATUS prisci ac consecutæ reformationis Templorum, Cœnobiorum, & Scholarum, in imperiali urbe Nordlinga, ejusque territorio, una cum multis probatioribus, maximam partem adhuc ineditis, utilibusque Diplomatibus ac supplementis, edita a DANIELE EBERHARDO DOLP.

Nordlingæ, typis Georgii Gottfridi Mundbach, 1738, 8. Alph. 1 plag. 18½.

Cl. Autor, qui, *Rhetiam diplomaticam* sese proxime editurum, promittit, novem ante annis historiam patriæ meditari ac excolere cœpit cura singulari. Vir Consultissimus, & interioris ibi senatus sodalis, *Georgius Henricus Wenng*, eum in finem Editori tradidit collectionem suam, quam de rebus ecclesiasticis Nordlingensium ac Diplomatibus comparaverat. Ipse Senatus nobilissimus cœptum approbavit laborem, ac Cl. Editori tabularii sui publici copiam fecit perquam honorifice, ut ex eo penu saluberrima quævis in usum publicum depromeret, pro qua benevolentia & commodis publicis inserviente humanitate gratiæ ex merito consessui illi sapientissimo sunt habendæ

ac augendæ. Si forte res Nordlingensis reipublicæ nonnullis ad palatum haud sint futuræ, illud tamen extra controversiam est positum, Diplomatum insignem copiam, quæ historiam consequitur, suo usu abundare, inprimis cum plurima eorum pars nondum publicam lucem adspexerit. Ex Diplomate 9, *Joannem*, Regem Bohemiæ, *Henrici VII* filium, citra montes fuisse Imperii vicarium, intelligitur. Ex 26 & 27 Diplomate innotescit differentia stili publici Cancellariorum Imperatricis in Italia ac Germania. Ex 45 Diplomate patescunt sanguinolenta consilia, a Pontificiorum nonnullis olim adversus Protestantes inita. Ex 59 & 60 perspiciuntur familiæ Dominorum ac Dynastarum *de Hirnheim*, ac aliæ potentiores, per pagum, seu tractum, Rhetiæ (*Ries*) quondam florentissimæ. Potiorem usum in patriam ex hisce chartis esse redundaturum, licet facile divinare. Quantum vero ad ipsam tractationem attinet, series Capitum, quid ipsa promittat ac complectatur, facile erit indicio ac documento. *Capite primo* de statu templorum Pontificio exponitur, nominatim de ecclesia parochiali ad S. *Emeranum* in Monte, ac utraque S. *Georgii*, sacellis, seu oratoriis, ac jure patronatus. Jam ævo
Pag. 3. *Arnolphi* Cæsaris floruit Nordlinga, ac templis duobus fuit inclita, teste Diplomate *Arnolfi* in additamentis *Christophori Gewoldi* ad *Wigulei Hundii Metropolin Salisburgensem T. I pag. 165, T. II pag. 254*, ac in *T. I Anecdotorum* novissimorum P. *Pezii P. III pag. 35, 36*, nec non in Ill.
7. *de Falckenstein Antiqu. Nordgav. P. II pag. 162. Carolus IV* A. 1349 facultatem ac licentiam Nordlingensibus impertivit instituendi altaria missarum privatarum, eaque ob victum, sacerdoti missatico suppeditandum, dotandi. *Fridericus II* Imperator A. 1215 Cœnobia imperialia, *Monasterium superius* & *inferius*, Episcopo Ratisbonensi tradidit,
20. imperio autem soli reservavit Nordlingam & Ohringam Hohenloicam. At A. 1216 in comitiis Wirceburgicis ea immutatio fuit rescissa, & omnia ad priorem statum revocata.
22. *Daniel Heiderus* non de Nordlinga, sed de ejus advocatia,

vocatia, prædiisque adjacentibus, ea exposuit, quibus Noster fidem censet esse habendam. Plerumque credunt Historici, Nordlingam demum A. 1251 factam esse urbem, imperio soli obnoxiam. *Conradus* enim *IV* refertur tum Episcopo Ratisbonensi, qui vitæ ipsius struxerat insidias, Nordlingam subtraxisse, ac soli tradidisse Imperio. Ita habet Chronicon Rothenburgense apud *Raimundum Duellium* in *Miscell. Lib. II pag. 258 seq.* nec non *Nic. Hier. Gundlingius Gundlingianorum P. XXXV pag. 488.* Cl. Autor tenet contrarium, ac id, quod Episcopo Ratisbonensi a *Conrado IV* ademtum fuit respectu Nordlingæ, de advocatia, jure patronatus, ac ejus accessoriis, exponit. Jus patronatus Nordlingensium parochiarum *Henricus VII* Cæsar A. Pag. 23.
1310 Cœnobio Hailsbrunnensi donavit. Donationem confirmarunt Cœnobitis illis Episcopi Augustæ Vindelicorum, *Fridericus* A. 1311, *Ulricus* A. 1335, & *Fridericus* denuo A. 1417. Pastor primarius Nordlingæ olim vocabatur *Pfarrer*, reliqui vocabantnr *Sodales*, *gesellen*. Quam miseranda fuerit sacrorum administratio pastoralis intra Nordlingam, non 28 seq.
satis potest dici, vel exponi. *Capite II* differitur de Reformationis exordio, progressu, impedimentis, stipendiis, Superintendentibus, ac Diaconis, ad hanc usque ætatem. 35.
Primus ibi Evangelicus ecclesiastes exstitit A. 1522 *Theobaldus Gerlacher de Billican*, quod est in Palatinatus inferioris præfectura Germersheim oppidulum. De ejus vita copiosius Autor egit. *Billicanum* appellant eum alii. Sequenti anno Abbas Heilsbrunnensis jus patronatus, quo per urbem Nordlingam usus fuerat, lubens ac prudens senatui concessit, cessionemque confirmarunt tum Episcopus Augustæ Vindelicorum, tum Abbas Kaisersheimensis loco Generalis Abbatis Cisterciensium. Molestias, quas 85.
Nordlingæ libellus *Interim* facessivit, edisserere, vel repetere, haud vacat. Qui de Cœnobiis ac scholis accuratiora nosse cupiunt, eorum est, Cl. Autorem adire, ac ex ejus solida expositione sitim suam restringere. Si tamen dicere licet, quod res ipsa videtur flagitare, orandi sunt editores Diplomatum, ut ea, quæ minoris sunt momenti, vel nullius

pæne

pæne uſus, in compendium unamque & alteram propoſitionem mittant ac compingant, ne locus legendis melioribus tempusque plane ſubducatur, licet inficiemur, uſum rei ſcopo unius hominis eſſe dimetiendum. Nolumus tamen adamantinæ Autoris induſtriæ hoc ipſo quidquam detrahere, quæ ſuo ſeſe merito commendat.

HISTOIRE DE SUEDE AVANT ET DEPUIS la fondation de la Monarchie par Mſr. le Baron de PUFENDORF, &c.

hoc eſt,

HISTORIA SUECIÆ ANTE ET POST conſtitutam Monarchiam, Autore SAMUELE *Libero quondam Barone* DE PUFFENDORF. *Nova editio, prioribus emendatior, & ad A. 1730 continuata.*

Tomi III.

Amſtelodami, typis Zachariæ Chatelanii, 1732, 8.

Tom. I plag. 19½, Tom. II plag. 20, Tom. III plag. 19.

R*uſſelius* Gallicum in ſermonem jam vertit *Puffendorfii* & Introductionem generalem & Hiſtoriam de Suecia, majori uſus diligentia, quam venuſtate & fide, ſiquidem ipſe in plerisque locis nativam ſtili *Puffendorfiani* pulchritudinem & elegantiam haud fuit aſſecutus. Anno circiter 1722 Autor, *Puffendorfio* interpretando aptus natus, in eo fuit, ut translationem *Ruſſelii* emendaret, ac progreſſum operis ad ætatem noſtram suppleret, dato ſpecimine publico, cum A. 1721 *Introductionem generalem*, indutus nomine *Stephani de la Chambre*, a ſeſe Gallice converſam, in lucem emitteret, quæ A. 1731 fuit recuſa. Temporis autem anguſtia excluſus, vix acceſſiones exiguas eſt enixus, nec nævi, a *Ruſſelio* tracti, qui operi *Puffendorfiano* inſidebant, admodum ab eo fuerunt ſublati. Qua cauſa motus, Editori huic novo, omnium aptiſſimo feliciſſimoque interpreti, & laboris ſuſcepti delineationem, & laborem univerſum, tradidit, ac in ejus humeris, huic oneri ferendo paribus, impoſitum voluit

luit. Hic, ut operi scopoque satisfaceret, stilum *Russelii* a carceribus usque ad metas correxit, immo seposuit, locis obscuris ac minus perspicuis lucem attulit, veritatem subinde mutatam restituit. *Puffendorfius* raro in rebus minoris momenti a tramite veri deflexit. *Russelius* errores & ipse interpretationi suæ intexuit historicos. Ut hæ maculæ ab hac editione abessent, ac in notis subjectis exponerentur, melioribus substitutis enarrationibus, Editor omnem industriam adhibuit, omnesque contendit nervos. In Gallicam linguam præterea convertit scriptum *Puffendorfii* minus, nondum Gallice redditum, quod Historiæ, de Suecia concinnatæ, B. Autor adjecerat, oppositum mendaci Gallorum scriptori, *Varillasio.* Hoc *Tomo* jam *primo* conspicitur suffixum. Continuatio respondit rationi pragmaticæ, qua *Puffendorfius* uti solebat. *Tomo II* & *III* nihil notarum, vel animadversionum, fuit adspersum, quia, recentiorum temporum res gestas satis in tuto ac luce collocatas esse, Editor existimavit. In primis historiæ hujus Seculis Dani a Suecis nonnunquam discrepant, uti in rebus abstrusis ac remotissimis, non potest non accidere. Non possumus a nobis impetrare, ut *Puffendorfii* opera, quibus nemo solide obtrectabit, pluribus laudemus, vel Editoris, qui sua sese arte & scientia commendat, industriam prædicemus. Cur enim Phœbo tentaremus admovere splendorem?

A TREATISE ON THE OPERATIONS OF Surgery, &c.

TRACTATUS DE OPERATIONIBUS chirurgicis, cum descriptione & figuris instrumentorum, in illis usitatorum. Præmittitur Introductio de natura & administratione vulnerum, abscessuum, & ulcerum, per SAMUELEM SHARP, Chirurgum Nosocomii Guy. Editio altera.

 Londini,

Londini, impensis J. Brotherton, A. Bettsword, C. Hitch, W. Innys, R. Manby, J. & P. Knapton, R. Robinson, C. Rivington, T. Longman, S. Birt, S. Austen, & J. Hodges, 1739, 8.

Plag. 19, cum aliquot Figg. æn.

Ea methodo conscriptus est liber, qua plerumque solent artis chirurgicæ compendia, in quibus breviter admodum summa rerum capita adducuntur. Nec nova prorsus sunt, quæ legas, sed tamen concinne admodum proposita, & experimentis confirmata. Instar omnium esse poterunt, quæ de lithotomia habentur. Hæc, præ omnibus aliis Chirurgiæ capitibus ornatius ab Autore descripta mereri visa est, ut legeretur, quandoquidem hac ætate id scitu præ reliquis dignum videtur, qua ratione hic, vel ille, artifex calculos e vesica educat. De diversis calculum extrahendi methodis sequentia habet Noster. Antiquior calculum exscindendi methodus descripta est a *Celso*, quam post *Joannis de Romanis* tempora recentiores apparatus parvi nomine distinxexunt ab apparatu magno, quod illa administratio parum, hæc plurimum, instrumentorum postulet. Methodus hanc operationem perficiendi sequens est: Sinistra manu index & medius digitus oleo inuncti in anum secandi demittuntur, dum dextra manu supra os pubis tentat artifex id efficere, quo calculus vesicæ cervici propius admoveatur; quo effecto, in sinistro perinæi latere super calculum vulnus inciditur, ut deinde vel digitorum, vel tenaculi, ministerio calculus extrahatur. Plurimis difficultatibus exposita est hæc methodus, tum quod, quæ vulnus dirigant, vel calculum extrahant, instrumenta hic applicari nequeant, tum quod in vesica ampliore calculus digitis attingi nequeat. Quapropter *Celsus* ætatem sectioni aptam nono & decimo quarto anno definivit. Quod ad vulnus attinet, illud quidem in eodem fit loco, quo nunc sectio lateralis celebratur; ast instrumentorum utilium neglectus, quibus calculum exploramus, forticemque inducimus, hanc methodum suspectam reddidit. Fieri

Fieri tamen assolet, ut ad hanc sectionem confugere oporteat Lithotomicum, si vel calculus cervicem vesicæ obstruxit, ut catheder introduci nequeat, vel jam in principio urethræ ille est; utroque enim in casu vulnus fit supra ipsum calculum. In priori tamen casu satius est, calculum repellere, & eundem post forcipe arreptum extrahere, quam digitis eundem vellicare, quæ res non nisi cum magno vesicæ detrimento fieri possit. Methodus illa, quæ apparatus magnus dicitur, antiqua etiam methodus vocata, a *Joanne de Romanis* inventa, a *Mariano* autem A. 1524 perpolita fuit. Hanc enchiresium varietas, & instrumentorum operosior supellex, diversam effecit. Qua ratione nunc per Britanniam illa methodus exerceatur, Clarissimus Autor describit sequentem in modum: Corpore ægri supino, in tabula horizontali, talis pedum subter clunes reclinatis, corpore fasciis probe obfirmato, cruribusque gnaviter diductis, & a ministro uno alterove detentis, introducitur catheder oleo inunctus, quem famulo sustinendum, & versus latus perinæi sinistrum inclinandum, magister tradit. Tunc vulnus fit prope scrotum, quod eapropter reclinatur, pone bulbum urethræ, ita tamen, ne rectum lædatur, & ita quidem dirigitur culter, quo ejus apex in fossa cathederis, qui intra vesicam est, subsistat. Si qua majora forte vasa læsa fuerint, ea, antequam progrediaris, convenientibus remediis obstipantur. Vulnere, quousque decet, dilatato, conductor per illud versus crenam cathederis dirigitur, quo tempore cautum decet esse ministrum, qui cathederem tenet, ne vacillet, vel ipse magister teneat, donec conductor rite substiterit. Deinde digito indice per vulnus immisso cervix vesicæ exploratur, & via ampliatur, quo forceps commode immitti possit pro apprehendendo educendoque calculo. Methodus Franconica, quæ etiam apparatus altus dicitur, A. 1556 innotuit, quam *Roussetus* postea A. 1591 in libro *de Partu cæsareo* de meliori commendavit. *Douglassius* eandem in Anglia A. 1719 recoxit. Ægro in convenientem situm

collocato, repletur vesica injectione fluidi per urethram facta. Alii magnam vim potus ebibendam, quo vesica urinis repleatur, imperant; tunc vulnus fit inter pyramidales supra synchondrosin ossis pubis musculos, quod duobus dilatatur digitis; hinc, immisso forcipe, calculus extrahitur. Verum plurima fuerunt momenta, quæ hanc secandi methodum exosam reddiderunt. Injecta per uretram lotio tendit inflammatque vesicam, vel eadem, si minus repleta fuerit, sub osse pubis delitescit, hinc vulnerari commodo in loco nequit; deinde duplicatura peritonæi facile inciditur, & intestina pelvim magno cum periculo ingrediuntur. Hinc & fieri solet, ut inflammata jam a calculo vesica, utpote in parte membranacea, perniciosissime dissecetur. Omnium difficillime ex profundo calculus forcipe extollitur, aut fractus protrahitur, qui tamen in reliquis secandi modis cum urina sponte effluit, dum & urina, inter vulnus & musculos adipemque, inque ipso abdomine, diffusa, deterrima movere solet symptomata; quapropter pauci nunc sunt, qui de hac methodo recte sentiant. Lateralem secandi viam excogitavit Monachus Frater *Jacobus*, fecitque hanc artem Parisiis in nosocomio, quod a caritate dicitur, A. 1697, successu non equidem optimo, quod Anatomiæ rudis esset, quodque cathederem haberet nullo sulco exaratum. Hanc methodum postea correxit *Ravius*, & feliciter exercuit, prout Celeberrimus *Albinus*, *Ravii* successor, scripto exposuit. Vulnus fit in vesicæ cervice juxta prostatam. Quod adeoque in hac re difficillimum videtur, est prostatæ vulnus, haud facile evitandum; quapropter, ut de loco, qui incidendus est, certus sit artifex, cathederem suadent vulgari largiorem, quo vesica in tumorem elevari possit. *Cheseldenius* eapropter tantum aquæ injicit, quantum æger ferre potest; intermisit tamen aquæ injectionem, cum intelligeret, effusa post vulnus acceptum aqua vesicam collabascere, & humorem in habitum cellularem vesicæ cum noxa effundi. *Cheseldenius* & cum eodem nunc omnes per Angliam Lithotomici ita progrediuntur: Ægro in convenientem situm composito, cathedere immisso, quem minister

nister sustinet, vulnus fit amplum per integumenta communia inter erectorem penis & acceleratorem urinæ, ab illo loco, juxta suturam scroti, ubi magnus apparatus exercetur, usque ad anum, inter eundem & subter ischii tuber sinistrum. Dein ipsi etiam inciduntur musculi, quo prostata tactu explorari possit; hoc effecto, catheder, qui in vesica est, ad cuspidem cutelli lithotomi dirigitur, & ad longitudinem parastata finditur cum ipsa vesica, digito tamen uno alterove sinistræ manus, rectum deprimitur, quo facto, illud a vulneris periculo immune est, reliqua secundum methodum antiquam peraguntur. Sicut hæc eleganter exponuntur; sic & in reliquis eadem felicitate usus est Autor, docetque inter alia, qua ratione sine perforatione ossis unguium, dummodo illud a carie liberum fuerit, saccus lachrymalis immisso exploratorio argenteo flexili per vulnus sub angulo oculi interno factum, restitui possit, & instrumentorum Anellianorum, quibus ad puncta lachrymalia adaperienda utimur, in hoc passu & incommoda & noxas castigat. Instrumenta appinguntur & cognita, & quædam nova.

PERILLUSTRIS VIRI, NIC. BOILEAU D' ESPREAUX, Opera, e Gallicis numeris in Latinos translata a D. GODEAU, antiquo Rectore Universitatis Studii Parisiensis. Accessere ad calcem, quæ reperiri potuerunt, Poematum tanti Autoris Latinis modis redditorum ab illustrioribus ejusdem Academiæ Viris, ROLLINO scilicet, GRENANO, BIZOTO, VAESBERGIO, aliisque.

Parisiis, sumtibus Bartholomæi Alix, 1737, 8.

Plag. 20½.

Vigere adhuc in Galliis peritiam Poeseos Latinæ, docemur ex hoc fasciculo Carminum, qui lectoribus exhibet

hibet perilluſtris quondam Viri *Boilæi* Satyras XII, Epiſtolasque totidem, Latinis modulis, eisque poeticis, expreſſas. *Godellus*, ſeu *Godæus*, curavit hoc opus, vir in veterum Poetarum lectione verſatiſſimus. Acceſſerunt de Arte poetica cantus quatuor, Plutei Liber primus ac quintus, Satira III de Coma, Satira IX ad Muſam ſuam, Epiſtola III ad *Arnaldum*, Doctorem Sorbonicum, nec non ad *Nicolaum Boileau* Hendecaſyllabi, Epiſtola XI ad ſuum villicum, Epiſtola X ad ſuos Verſus, Ode in expugnationem Namurci, Autore *Carolo Rollino*, Regio Eloquentiæ Profeſſore; eadem Autore *Lengletio*, Regio Eloquentiæ Profeſſore; eadem Autore *J. B. de S. Remio* *Claudii Fraguerii* ad *Fabullum*, veterum contemtorem, Hendecaſyllabi; ejusdem ad *Fabullum*, faſtidioſum Criticum, Jambus; ejusdem ad *Peraltum* Epigramma; ejusdem ad eundem; *Claudii Fragueri*
Pag. 431. Poema ad V. N. *Nic. Remundum*, Parlamenti Conſiliarium, ad V. C. N. *Boilæum*, e gravi morbo recreatum, gratulatio; *Godelli* Rus Torigniacum, & ejusdem Rus Suciacum, ad
451. illuſtriſſimum D. D. *Nicolaum Lambert*, in ſupremo Galliarum Senatu ſecundæ Libellorum ſupplicum Decuriæ Præſidem integerrimum. Sæpius omnino Gallicus *Boilæi* ſermo, ejusque venuſtas, fuit inimitabilis. Exſtant autem paſſim loca, in quibus *Godæus* exemplar ſplendidum nativa & comta dictionis elegantia anteceſſit ac ſuperavit. Accipe, Lector, ex deſcriptione cœnæ *pag. 9, 10,* ſpecimen egregium:

Cingebant patinam geminæ decora alta patellæ.
Lingua erat hinc, fungis & multo tubere farta.
Cinctus ei vertex apii viridante corona,
Artocreas unde ambuſto faſtidia gignit
Pariete, butyri cui flumen inundat, & oras
Et faciem ſurſum reſtagnans. Ordine nullo
Sedimus. At miſeros en vexat menſa ſodales
Informi quadrata modo.

Ac *pag. 14:*

His ſuper adventat macilento corpore perna,
Si qua fides Domino, dedit hanc Moguntia mater.

Fert

Fert discos famulus, priscæ gravitatis imago.
Non aliter Rector Latio, comitante Senatu,
Purpureus gressum regit. Est servo ardua cervix.
Clavigeri stipant hinc atque hinc, & latus urgent
Calones, crassoque gerunt mantilia filo
Sordiduli, fœtam gestantes quisque patellam.

MEMORIE ISTORICHE DI PERGOLA E degli Uomini illustri di essa, &c.
id est,
COMMENTARII HISTORICI DE PERTIA, ac viris, in ea natis, vel commoratis, illustribus, compositi ab Abbate ÆGIDIO GIANNINIO, ac ab eodem in lucem dati, dedicatique Dominis Academicis Immaturis illius loci.

Urbini, sumtibus Antonii Fantozzi, 1732, 4.

Alph. 1.

Et magnæ urbes sæpius parvos vilesque cives habent, & parvæ magnos quosdam habuere. Hoc *Petrarchæ* dictum sua veritate lucet. *Pergola*, seu *Pertia*, urbs non admodum spatiosa, hoc ipsum satis docet, viris illustribus clara. Sita est ipsa in Ducatu Urbinensi, duos inter Pag. 3.
fluvios, Cesanum atque Ciniscum. *Biondi* in *Italia illustrata* ad regionem quintam: *Post Metaurum fluvium in Adriatici littore sequitur Cesanus - - & interius ad Cesani fontem Pergula.* Cesanum Latini dixerunt *Senam*, 4 seq.
Senonem, ac *Sennam*. *Pompejus Marium* circa Senas debellavit, i. e. in confiniis Senonum, haud procul a Sena, qui nunc quoque appellatur *Suasano*, vulgo *Suasnon*. Suasa oppidum amni huic fuit propinquum, pridem eversum. 9.
Ad dextram Senogalliæ (*Senigaglia*) amnis Misus fluit, postea *Misia* ac *Nigola* dictus. Senogallia vero erat vicus 11.
perexiguus. Pergolam ab Eugubinis, seu incolis, Gubbii 12.
esse conditam, existimant Cardinalis *Tuscus* & *Armanni*.
Exstructio

Exstructio castri Pergolensis incidit in initia Seculi deci-
mi tertii. In Brevi *Gregorii IX* apud *Ughellum* in *Italia sa-
cra T. II f. 898* ita legitur, ad Eugubinos directo: *Gravem
Venerabilis fratris nostri Calliensis Episcopi recipimus quæstio-
nem, quod vos homines castri Montis Episcopalis,
sibi & Ecclesiæ suæ spirituali & temporali jurisdi-
ctioni subjectos, ad quoddam Castrum vestrum, videlicet
Castrum de Pergula, quod noviter extra suam Diœcesim con-
struere incepistis, conamini propria temeritate transferre.*
13. Eugubinis hanc ob causam A. 1304 20 Martii, sententia
definitiva fuit promulgata & missa. Id vero non est omit-
tendum, Pergolam a solis Eugubinis haud fuisse conditam.
Serraltæ commune auxilium fuit itidem præsto. In *Lu-
19. dovici Jacobilli da Foligno* libro: *Vite de' Santi e Beati
dell' Umbria*, memoriæ proditum, *Fridericum Barbarossam*
A. 1155, precibus S. *Ubaldi* motum, Eugubii obsidionem
solvisse, Eugubinis autem varia donasse, inprimis castella
collis Pergolæ & Montis sicci. Initio Seculi XIV jam men-
tio facta nobilium Pergolæ virorum. Locus olim indubie
28. dictus *Persia*, postea *Perusa* ac *Perusia*. *Ptolemæus* in Geo-
graphicis tabulis jam latitudinem ac longitudinem urbis
Persiæ expressit, si Latinis ejus Codicibus confidimus. *Clu-
verio* magna fuit cura, ut Italiam exquisite peragraret ac
describeret. Littora, eisque adjecta, curatius exposuit, quam
mediterranea. Situm sæpius haud assecutus fuit, nec mi-
nus sæpenumero veterem millenariam passuum mensu-
32. ram cum nova confudit. Quod ipsum est de eo *Ludovici
Antonii Muratorii* judicium. De Suasæ oppido ita judi-
37. cavit *Lucas Holstenius* in *Annot. ad Ital. antiquam Cluve-
rii pag. 620*: *Suasa oppidum Semnonum in Italia Ptolemæo
in Umbria transapennina hodie excisum jacet, & locus nunc
Sasa nominatur, ruderibus plenus in Ducatu Urbinate &
in agro Senogalliensi ad flumen Senam sub pagis Mirabello &
Castelleone dictis, ubi præclara etiamnum visuntur antiqui-
tatum monumenta.* In eo tamen fidem suam reliquis Ven.
36. Autor haud denegat, quod existimat, Persiam veterum
esse

eſſe noſtræ ætatis Pergolam, ad minimum hanc ex illius ruderibus fuiſſe enatam. Haud procul fuit Juſicum, ſeu Juphicum, quod vulgo pro *Saxoferrato* habent, apud Senſinum oppidum exciſum, Fabriano, oppido Piceni, vicinum. *Lucas Holſtenius l. c. pag. 626*, Juphici veſtigia clariſſima inter Matellicam & Fabrianum prope Attidium, 2 mill. paſſ. circiter intervallo, exſtare, oſtendit. *Paulus Diaconus de Geſtis Langobardorum II, 18*, fallitur vehementer, dum Urbinum ponit in provinciam Alpium Cottiarum, finitimam Flaminiæ. Alpium enim Cottiarum initium fuit a Seguſione, teſte *Ammiano Marcellino Lib. XV.* Seguſio nunc vocatur Suſa. Sed omittimus reliqua. Suffecerit nobis, notaſſe, Caſtrum Pergolæ A. 1502 juſſu Ducis *Guidonis Ubaldi I* deſtructum, ejusque loco monaſterium pro Monachis, S. *Victoriæ* Virginum dicatum, ædificatum. Quæ exſtructio anno demum 1568 effectui data. Pergolæ templum S. *Secundi* ſatis eſt illuſtre, proprium Ordini Fratrum Eremitarum S. *Auguſtini* Eugubinæ Diœceſeos, in quo corpus S. *Secundi* requieſcere perhibetur. Monaſterium S. *Luciæ* famoſum fuit quondam virginibus S. *Claræ*, quæ ob impudicitiæ ſordes fuerunt ejectæ. Deinde locus Franciſcanis ceſſit. Prætermittimus Cœnobia alia. Tranſimus potius ad viros, literis armisque ſpectabiles, quos Pergola produxit. *Albertus* & *Petrus*, *de Pergola* cognominati, floruere Senis A. 1295. Prior fuit ibi *Capitaneus*; poſterior *Poteſtatis*, ſeu Principis, indidem collega. *Mutius*, *de Voragine*, gratioſus fuit Comiti *Antonio* Montis Feltrini, ac primus Eugubii dominus A. 1384. *Albertinus*, Frater Ordinis Seraphici Minorum, A. 1393 a Papa *Bonifacio IX* impetravit Epiſcopatum Bergenſem. Egregius & venerabilis vir *Conſtantinus de Pergula* ad A. 1411 memoratur. *Matthæus Pergolenſis* A. 1405 fuit *Poteſtas* Maceratæ. *Caſparus* Pergolenſis A. 1427 exſtitit primus *Collateralis* Capitolii. *Delfinus*, Epiſcopus Parmenſis, interfuit Concilio Baſileenſi A. 1425. Ipſe cum tribus aliis Epiſcopis, Græcos ad Concilium œcumenicum ut deduce-

Pag. 39. 49. 59 ſeq. 67. 73. 80. 82. 85.

ret, operam dedit ibi. Deinde ad Episcopatum Mutinensem A. 1463 fuit evectus, obiitque A. 1465. *Ludovicus Aversalis*, Pergolæ natus, A. 1431 Senis functus est mu-
Pag. 90. nere *Potestatis*. *Febus* Medicus A. 1444 Eugubii floruit. M. *Paulus Pergulensis* scripsit *Compendium perclarum ad Introductionem Juvenum in facultate Logicæ*, *Expositionem de sensu composito & diviso*, nec non *Dubia*. Primum scriptum prodiit in lucem A. 1481 Venetiis; secundum ibidem A. 1501, ac 1490, 4; tertium A. 1506. Memorant alii etiam *Universalia Pauli Pergulensis*, ejusque *Quæstiones*
92. *in Porphyrium*, Scriptum *super libris Posteriorum Aristotelis*. Exstitit ipse Lector publicus Venetiis ac Canonicus S.
93. *Marci*, præceptor *Dominici Bragadini*. Corpus illius tumulatum fuit in medio templi S. *Joannis* eleemosynarii. Obiit A. 1451, 16 Dec. eique successit *Dominicus Bragadinus* in officio Lectoris publici sustinendo. Fr. *Casparus Golfi*, Moritis Observantibus adscriptus, Episcopum egit
95. Calliensem inde a 5 Maji A. 1498, nuntiumque, seu oratorem, Papæ per Hungariam ac Poloniam, tandem vero
96. A. 1503 capitali supplicio trucidatus jussu Hispanorum, nominatim *Ugonis Cardonii*, qui tyrannicus tyranni administer fuit. *Bartholomæus*, ejusdem Ordinis sodalis, Theologus insignis, Concilio interfuit Tridentino. *Aurelius della Pergola*, Provincialis per Stiriam, pergratus fuit *Ferdinando I*,
100. Austriæ tum Archiduci. *Ludovicus Buzzacherinus* A. 1547, 21 Aug. egregie stetit in Gymnasio Patavino, triduo continuo disputationi inaugurali inhærens, qua sibi lauream peperit Doctoralem. *Attilius Ruggierius* exstitit insignis Jureconsultus. *Torquatus Aldobrandinus*, Jureconsultus
101. doctissimus, Pisauri fuit *Potestas*, seu Prætor. Comes *Hieronymus Gratiani*, Secretarius primus status Serenissimi Ducis Mutinensis, poematibus inclaruit, institutor Academiæ *Immaturorum* Pergolensis. *Ludovicus XIV*, Galliarum Rex,
104. eum stipendio aureo dignatus est. *Ascanius Blasius* exstitit Auditor *Francisci* Judicis Papæ *Clementis XI*, obiitque A. 1710. *Angelus*, exeunte Seculo XIV Pergolæ natus,

rei

rei bellicæ gloria fuit illustris inter legiones *Francisci Sfortiæ*, Mediolanensium Ducis. Amissæ Brixiæ culpa in eum conjecta. Obiit diem supremum A. 1427. Filius ejus *Antonius* militaria munia præstitit *Philippo Mariæ*, Duci Mediolanensium. Pater *Alexius*, Sacerdos Capucinus, puritatis virginalis fertur studiosissimus, austerus maxime in pœnitentiæ negotio, & revelationibus famosus. Hæc sunt puncta argumenti, quod Ven. *Janninius* solide & copiose concinneque fuit persecutus. Index, Commentationi subjunctus, diligentiæ, Operi insumtæ, respondet. Pag. 113. 142. 145.

TRAITE' DU JEU, &c.

id est,

LIBELLUS SINGULARIS DE LUSU, in quo expenduntur potissimæ quæstiones Juris naturæ ac doctrinæ moralis, quæ huic materiæ sunt affines, Autore JOANNE BARBEYRACIO, Professore Juris in Academia Groningæ. Editio secunda revisa ac aucta, cui juncta est ac addita Dissertatio de casu fortuito, seu sorte, ac alia Autoris scripta, quam maxime inservitura vindiciis innocentiæ lusus per sese considerati.

Tomi III.

Amstelodami, impensis Petri Humberti, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 20.

Operis, suo Autore dignissimi, præstantia eo etiam nomine effulget, quod ipsum Serenissimi Principis Arausicani Nassoviensis conjugi, *Annæ*, ita inscriptum est, ut dotes & elogia tantæ Foeminæ pulchre atque diserte in dedicationis formula percenseantur. Præfatio accessit nova, ac vetus illa denuo fuit præmissa. Argumenta deinde tractationis exponuntur. Tractatio eam excipit, & hanc consequitur Appendix, in qua sese lectori offerunt epistolæ nonnullæ, ab Autore Parisios scriptæ, quibus examinatur

 recensio

recensio hujus *de Lusu* libri, quæ A. 1710 in *Ephemeridibus doctorum* Parisiensibus prodierat in lucem. Inseruerant Patres Trevoltini biennio post Ephemeridibus suis de eodem hoc libro, præter summam, judicium suum, a scopo Autoris alienum. Quam ob causam ipse literis non unis, quæ hic cum lectore communicantur, causam suam & privatim & publice dixit. In Dissertatione, quam ipse *de Sorte* concinnatam addidit, inprimis librum famamque suam defendit a *Joncurtio*, qui A. 1713 Hagæ Comitum *quatuor Literas super lusibus fortuitis* ediderat, eisque Cel. *Barbeyracium* notare operæ duxerat pretium. Spicilegium dixeris hanc Dissertationem. Adeo enim conducit illustrando operi ipsi, ut nihil supra. Argumenta singula in eo evolvuntur, quibus doctrinæ haud paucæ, antea strictim monstratæ, supplentur, majorique luce donantur. De Indice, non est, quod moneamus. Et hæc est rudis & generalis totius Commentationis sciagraphia. Jam vero liceat ad prima redire, & passim decerpere ea, quæ lectorem & docere & delectare possunt. Quæritur autem primo, an editio hæc iterata a prima haud differat; & quantum inter utramque intersit. Quæstioni huic solvendæ facile sumus partes, dummodo ex Præfatione nova & collatione utriusque editionis didicerint, argumentum ejusque nexum mansisse eundem, stilum passim venusto cultu fuisse indutum, hinc inde argumenti rationes novas, novasque illustrationes & additiones, esse insertas tum tractationi, tum notis subjectis. Appendix præterea abfuit a priori editione. Tantum inter utramque editionem discriminis intercedit. Literarum, in Appendice expromtarum, hæc olim exstitit occasio, hæc origo. Operis hujus *de Lusu* summam exhibuerant *A. 1710 Mens. April. pag. 483 seq. ed. Amstelod.* Autores Ephemeridum Parisiensium, quæ *Journaux des Scavans* appellantur. Minus ea recensio ad palatum erat Autori, non solum quod ea non satis fideliter adornata, sed etiam quod nonnullis criticæ artis speciminibus parum solidis videbatur onerata. Autor eam ob causam literas, questus plenas, dedit ad amicum Parisiensem.

ſem. A. 1712, menſe Aprile, vir doctiſſimus *Frain du Tremblay* Commentariis Trivoltinis (*Memoires de Trevoux*) inſerendam curavit epiſtolam, qua libri *Barbeyracini* dijudicavit locos non unos, culpandum credens Cel. Autorem, eo quod ipſius librum, *Converſations morales ſur le Jeu*, hic non legiſſet. Reſpondit *Barbeyracius* itidem epiſtolæ interventu, Ephemeridibus Pariſinis *A. 1712 Menſ. Octobr. pag. 404 ſeq.* inſertæ. Regeſſit reſponſorias *Frainius* A. 1713 in Trivultinis Ephemeridibus eruditorum *A. 1713 M. Jul. Art. 102.* Quibus Noſter eodem anno in *Ephem. Pariſ. Menſ. Dec.* ſeu ſecundum editionem Amſtelodamenſem *A. 1714 Menſ. Febr.* ac *April. pag. 168 ſeq.* vindicias oppoſuit ſuas. Literas haſce exhibet Appendix. Pag. 22.
Joncurtius, de quo diximus, luſus omnes ideo in Literis 4 damnaverat, quod ita ſortis, cui in luſibus locus, non haberetur ratio, ac inſimul providentia Dei profanetur. Inprimis hoc ſcripto Theologus graviſſimus *La Placette*, qui libro peculiari innocentiam luſuum ſortis per ſeſe conſideratorum iverat demonſtratum, confutari viſus. Modeſtiam, qua in eum uſus fuerat, abjecerat omnem, ſimul atque oratio ipſius ad Cel. *Barbeyracium* deflecteret. Reſponſione hic ſuperſedit. Jejune enim, confuſe, & precariis rationibus, ſua deduxerat *Joncurtius*, ratus, demonſtrationum philoſophicarum robur a facilitate, homiletis nonnullis delicioſa, pendere. Calculos vero reduxit, conſiliumque mutavit, Cl. Autor, ac antagoniſtæ oppoſuit Diſſertationem ſupra commemoratam A. 1714. Commoveri ea viſus *Joncurtius*, graviterque excandeſcere. Quod ipſum intelligitur ex ejus *Additione*, quam addidit *Epiſtola extrema*, cujus titulus eſt integer ita formatus: *Derniere Lettre, ou derniere Piece, fournie au Proces contre les Jeux de Hazard — — entre M. de la Placette & l' Auteur.* In ea nil ſolidi allatum, acerbitatis plena e contrario omnia. Quapropter, ut reſponderet Cel. *Barbeyracius*, ratio exſtabat nulla. Diſſertatio illius *de Sorte* locupletata quidem fuit poſthæc admodum, cum adderetur reliquis Diſſertatio-

(Margin: 24. 25. 26. 27.)

 nibus,

Pag. 28. nibus, A. 1731 editis sub hoc titulo: *Recueil de Discours sur diverses matieres importantes, traduits, ou composés, par* — —. In hac editione denuo ei accessit nonnihil ornamenti per annotationum augmenta. Rei ordo, summa, & nexus, perstitit huc usque immobilis. Quæ cum Autor Cel. copiose & apposite commemoravit, profert Anglorum nonnullorum sententias, a suis ne hilum quidem discrepantes. *Thomas* enim *Gatakerus* Londini A. 1619, 4, edidit *de Na-*
29. *tura & usu sortis* librum, *of the nature and use of Lots, a Treatise historical and theological.* Liber Germanis vix auditus. *Gatakerus* in eo disseruit de sorte, de eventibus fortuitis generatim, ac diversis sortis generibus, quæ constituit tria secundum usus finisque triplicem diversitatem. Sortis enim usus est in rebus seriis, ludicris, ac divinatoriis. Primum usum crimine vacare, ostendit; secundum, in sese consideratum, demonstrat, esse ex permissis; tertium
30. damnat, nisi luculentæ Dei revelationi & præceptioni superstructum. Abusum prosternit argumentis robustis. Cautionis regulas, quibus ille evitari possit, subministrat. Objectiones enodat. Theologus Anglus *Jacobus Balmford*, ante *Gatakerum* scripserat ediderat que jam librum in forma
32. *Dialogi*, in qua conatus fuerat obnixe, ut, ludos, a sorte pendentes, ostenderet, nec permissos, nec ferendos, esse. *Gatakerus*, rationes ejus, justa lance trutinatas, levioris, immo sæpe nullius, esse ponderis, demonstravit. Controversia ex eo tempore inter utrumque agitata, quam delineare veretur Noster, scriptis ultro citroque in Anglia emissis carens. Vix apparuerat in medio *Gatakeri* liber ille, cum *Guilielmus Amesius*, Anglus natione, Professor Frane-
33. queranus, Cantabrigiæ A. 1622 verba e suggestu sacro fecit adversus ipsum. Exemplum Sermonis hujus *Gatakerus* paulo post fuit nactus, una cum scripto *Amesii* alio,
34. in quo loca libri sui satirico sale erant perspersa. Inter hæc denuo opusculum suum, *de Natura & usu Sortis* inscriptum, A. 1627 revisum auctumque juris publici fecit. Quo ipso stimulos *Amesius* sibi subditos esse putavit ad meditandas

ditandas vindicias, quas enixus fuit tum in *Medulla theologica* ac *Thesibus Academicis*, Franequeræ in publica disputatione excussis. *Gatakerus*, sero satis de hisce certior redditus, composuit responsum, Thesibus hisce oppositum, quod tamen, adversario suo defuncto, suppressurus fuit. Quod consilium intervertit ac intercepit deinde successor in sententiam *Amesii*, *Gisbertus Voetius*, qui anno exeunte 1636 publice disputavit *de Sortis aliisque divini Numinis abusibus*, atque in ejus disputationis scripto nominatim *Gatakerum* refellere constituit. Perhibet Autor Celeberrimus, *Voetium* objectiones, a *Gatakero* dudum exsolutas, duntaxat repetivisse. Opposuit ei *Gatakerus Antithesin, partim Guilielmi Amesii, partim Gisberti Voetii, de Sorte Thesibus oppositam* A. 1638. Ut omnia melius intelligantur, antagonistarum verba scripto huic denuo fuerunt inserta, indidemque repetita. Vixit posthæc *Gatakerus* 26 annos, quibus *Gatakerus* ab hac controversia calamum disjunctum voluit. Quinque vero annis, postquam *Gatakerus* e vita discesserat, recudi fecit Lugduni Batavorum A. 1659 *Antithesin* suam in forma, quam duodecimam appellant. Anno autem 1660 Ultrajecti *Disceptationem de Lusu aleæ a censuris vindicatam*, 12, repetitis ibi integris suis Thesibus ac *Gatakeri* Antithesi, causatus in Præfatione, sese siluisse tam diu ob retardatam Disputationum suarum Academicarum editionem. Nihil operæ non insumsit in eo scripto, ut memoriam *Gatakeri* redderet invisam, veluti patroni lusuum lusorumque pervicacis, qui responsiones ferre non valuerit. Autoritate profecto usus fuit, non argumentis, judice *Barbeyracio*. Surrexit eodem anno suffragator *Amesii*, *Leonhardus de Ryssen*, Ecclesiastes Heusdinensis, qui Ultrajecti A. 1660, 12, edidit *Veritatem secundum pietatem de Lusu Aleæ a Clarissimo Theologo Gulielmo Amesio L. II Medullæ Cap. 11 solide defensam, & nunc ab impugnationibus Thomæ Gatakeri vindicatam.* Adversarius quidem *Voetii* vindicias huic scripto opponere moliebatur; sed eventus haud respondit destinationi. Inter hæc *Martinus Schoockius*,

Marginal page references: Pag. 35 (beside "1636 publice disputavit"); 36 (beside "Guilielmi Amesii"); 37 (beside "bus Gatakerus ab hac"); 38 (beside "um lusorumque pervicacis"); 39 (beside "Medullæ Cap. 11").

ckius, Professor tum Groninganus, A. 1663, 4, Ultraje-
cti edidit novam editionem, eamque auctam, suarum *Exerci-
tationum variarum de diversis materiis*, in quibus de variis
quæstionibus moralibus actionibusque per sese indifferenti-
40. bus exposuit. Inter eas sese offert *Dissertatio, an sit per-
missum bibere in sanitatem cujusquam. Voetius*, negantem tue-
ri solitus sententiam, rationem expromsit eam, quæ per-
hibet, eam bibendi actionem esse consimilem lusibus, a
sorte pendentibus. *Voetii* librum *de Lusibus Sortis Schoo-*
41. *kius* dixerat commiseratione dignum esse, miserandam
quippe rhapsodiam. Erat ei in animo, vindicare sententi-
am *Gatakeri* adversus *Voetium* in Diss. *de Lusibus sortis*, uti
in Præfatione indicavit. Volumen vero satis excreverat,
42. ideoque eam omisit luci dare, paulo post A. 1669 Fran-
cofurti ad Viadrum defunctus. Cel. *Barbeyracius* opinionem
Voetii annumerat fermento obscurorum seculorum, ratus, di-
stinguenda esse ea, quæ per sese sunt nec bona, nec mala, sed
44. abusu demum admisso reddi mala consueverunt. Et hæc
quidem est materies ac summa Præfationis novæ. Fuimus
solito copiosiores, ut rei literariæ, ejusque fatis percensen-
dis, litaremus.

De libro ipso, non est, quod multa proferamus. Jam olim de eo disseruere majores nostri. Nec satis commode fieri potest, ut liber in compendium redigatur, qui methodo solida & convictionis plena, in qua catena demonstrationis utramque facit paginam, atque cum elegantia dictionis, compositione, testimoniorum annotationumque lumine, certat, adornatus fuit, ac secuturæ ætatis approbationem procul omni dubio merebitur. Ingenium *Barbeyracii* non immerito dixeris officinam Phidiæ, quippe ex quo non nisi pulchra omnibusque numeris absoluta profluxerunt. Id unum quærimus, an non remitti animus possit perfectiori ac utiliori actione, & quæ paucioribus abusibus pateat, quam ludis lusibusve variis. Sæpius enim vitanda sunt permissa ob affinitatem non permissorum. In actionibus certe indifferentibus valent

valent illa *Pauli 1 Theſſ. V, 22, 1 Cor. VIII, 9, VI, 12.* Memoratu digna nobis viſa fuit admonitio Pl. Rev. *Romani Telleri*, quam produxit in Nota ad *Diſſ. de trina ſacræ doctrinæ moralis methodo pag. 60 ſeq.*

ANDREÆ ALTHAMERI VITA. ACCEDUNT 1) ALTHAMERI Hiſtoria Monaſterii Etal, item Biga Epiſtolarum, & de Sueviæ laudibus Epiſtola; 2) JO. HORNBURG de ſitu Gundelſingæ; 3) Epiſtolæ XXX ad ALTHAMERUM. Omnia cura & ſtudio JO. ARNOLDI BALLENSTADII, Art. Mag.

Wolfenbuttelæ, ſumtibus Joann. Chriſtoph. Meiſneri, 1740, 4.

Plag. 11.

Meruerat ſane pridem *Andreas Althamerus*, alias Palæoſphyra Græco nomine appellatus pro ſeculi more, natione Suevus, patria Brentius, ut accuratior de eo notitia exſtaret. Labore hoc tandem Cl. *Ballenſtedius*, qui Lipſiæ Magiſter Artium eſt renuntiatus, perfunctus fuit ſolide, & tractationem hanc, de *Althammero* ſuſceptam, Illuſtri *Adriano Stegero*, egregiis in patriam & literas meritis clariſſimo civi noſtro, inſcriptam, eleganter concinnavit, effigie *Althameri* ornatam. Tentaverat nonnihil *Chr. Jac. de Jmhof* in *Relationibus innocuis A. 1713 pag. 733 ſeq.* Expoſuere de eodem pauca Cel. *Schelhornius Tom. XII pag. 698 Amœn. literar.* & *Beiſchlagius* in *Vita Brentii P. I pag. 13 ſeq.* nec non *Pantaleon Proſopogr. P. III pag. 141.* At plenior eſt hæc enarratio, multisque paraſangis illorum expoſitiones poſt ſeſe reliquit, qua oſtenditur, pagum & caſtrum Brentium exſtitiſſe patriam *Althameri*, hunc ob vicinitatem & cognatos, qui Gundelſingiaci habitabant, Gundelſingium fuiſſe dictum, Pag. 3.

 natum

natum honesto quidem loco, sed parentibus ex agricultu-
ra quærentibus victum. Artibus addiscendis liberalioribus
Althamerus operam navavit Augustæ Vindelicorum per
sex annos, nomenque dedit A. 1518, 8 Maji, Tubingæ
albo studiosorum. A. 1519 Lipsiam sese contulit. Præ-
ter Theologiam studuit Poesi ac Historiæ, carus *Erasmo*
Pag. 6. *Stellæ*, Historico, Medico, & Consuli Cygneæ. E Lipsiensi
Academia evocatus est Suevorum Halas, & ibi Gymnasii eva-
sit moderator A. 1521. Anno sequenti Ecclesiasten, ne-
scimus ubi, agere cœpit. A. 1527 in pago Alterdorfii inter
Noribergam & Bruckam eidem officio munerique præfuit.
A. 1528 Onoldum concessit, Pastoris primarii munia
exornaturus. Constituit ibi liturgiam Onoldini Principa-
7. tus ac reipublicæ Noribergensium. In Disputatione, A.
1527, 17 Dec. Bernæ de præsentia corporis sanguinisque
Christi in sacra Cœna suscepta, præsto fuit, a Pontificio-
rum parte delectus, ut oratoris munere in suggestu funge-
retur, nec tamen ideo ab ecclesia Evangelica defecit. A.
8. 1539 ab Onoldinis missus fuit Noribergam ad collo-
quium, in conventu Evangelicorum Francofurti habito ad
9. id laboris cooptatus. Non multo post desiit esse in vivis,
successorem nactus M. *Martinum Moningerum.* Defensio-
nem ejus suscepit *Gust. Lissæus* in *Defensione pro Theologo
Evang. Seculi reformationis.* Annum ejus & natalem &
10. emortualem huc usque ignoramus peræque. Scripta ejusdem
Cl. Editor deinde recenset, e quorum uno patet, *Althame-
rum* præsentiam corporis sanguinisque Christi in sacra
Coena demonstratum ivisse ex doctrina de omnipræsentia
Christi hominis, inter quam tamen & sacramentalem mul-
tum intercedit differentiæ. Catalogus scriptorum ex Bi-
bliotheca Ducali Wolferbuttelana admodum est auctus &
12. amplificatus. Notandum est *Althameri* dogma, statuentis,
labem insitam esse exitio æterno infantibus tam Christiano-
rum, quam eorum, qui a vera religione sunt aversi. Prin-
cipatum tenent in numero scriptorum *Althameri Diallage,*

sive

five Conciliatio locorum Scripturæ, qui prima facie inter sese pugnare videntur, & *Commentaria in Tacitum de Moribus Germanorum.* Monasterium *Etal* a *Ludovico Bavaro* fuisse fundatum conditumque, scripsit. Reliqua Lectori volumus reservata, potiora sectantes, & Editori Cl. gratulati de opera tam bene dextreque collocata.

LETTERA DEL P. LETTORE VENTURELLI AL P. Maestro AGNANI, &c.

hoc est,

EPISTOLA P. LECTORIS VENTURELLI AD P. Magistrum AGNANIUM, Bibliothecæ præfectum Casanattensium Romæ, super libro, quem hic edidit sub titulo: Philosophia Neo-Palæa.

Sine loco, die, consule, 4.

Plag. 2½.

Præconia Philosophiæ *Aristotelicæ* Pl. Rev. Autor summo in pretio habet, gratulatus orbi erudito, eo quod Dominicani Lombardiæ novatoribus Philosophiæ, *Cartesianis* quam maxime, mataras tragulasque suas immittere aggrediantur Pag. 4. feliciter. Per modum Dialogi examinat librum, cui est inscriptio: *Philosophia Neo-Palæa D. Thoma Aquinate Magistro ad Christianismi & rationis normam, novæ ac veteris* 5. *Scholæ dogmata expendens.* Leges motus *Aristotelem* fugisse, ac recentiora esse inventa, monstrat. Veritatis naturalis lucem luci revelationis divinæ repugnare posse, negat. Physicen sine peritia Mathematum doceri haud posse, credit & ostendit. *Aristotelicorum* regulas physicas nullius, exi- 6. mat, esse momenti, nullius emolumenti. In *Neo-palæa Philosophia Cap. X* criterium veritatis ita describitur: *Statuendum est* 10. *illud criterium in vivida quadam luce, perceptiones nostras objectaque*

ctaque illarum illustrante, quae plurimum splendet in tribus illis, definitione, divisione, argumentatione. Ac paulo post criterium illud dicitur esse *vivida illa lux intentionalis.* Censor requirit hic perspicuitatem & lucem, sibi alienum esse, monens, asfirmare, quid illa *intentionalitas* sibi velit. Inprimis indi-
Pag. 10. gnatur illud, quod *pag. 204 Astrologia judiciaria* fuerit reputata pro scientia, quae *non omnino repugnet Christianis, aut philosophicis, documentis.* Ea enim, quae a libertate & arbitrio hominis dependent, ab astrorum positu haud possunt derivari tuto solideque. Eadem definivit Pontifex *Sixtus V* in bullatis literis, quibus nugas Astrologorum proscripsit. Naevos vero hosce Philosophiae *Neo-palaea* Autor a Domi-
16. no quodam ac Juvene generosiori fingit esse enarratos ac expositos. Exagitat deinde Patriarcham novatorum, *Isaacum Newtonum*, ejusque *attractionem.* Autor Neopalaeae Philosophiae, *aeris gravitatem & fluidorum aequilibrium in physicis magno argumentorum apparatu exagitanda esse,* sta-
18. tuit, *si non tanquam omnino vana, saltem ut certo dubia.* Tandem Censor, indubie salibus delectans satyricis, subjungit judicium bellum, ad Philosophiam recentiorem exterminandam aptum, quod ipse ita expressit: *Novatores non sunt Christiani; ut vero sis Christianus, oportet te esse bonum Aristotelis discipulum.* Id quod sese copiosius post
19. haec esse demonstraturum, promittit. Epistolam sese hanc dedisse Ravennae 12 Mart. A. 1735, sub ejus finem significavit. Epigramma Latinum, epistolae subjectum, plus habet salis, quam peritiae prosodicae. Ne vero Autor, nos haec monuisse, succenseat, etiam atque etiam ab eo petimus.

ELOGIUM PAULI GOTTLIBII HOFFMANNI, Theologi non incelebris.

P*aulus Gottlibius Hoffmannus* natus est Torgaviae d. 16 Aprilis A. 1678, patrem nactus *Paulum Hoffmannum,* virum

virum doctrina, munerisque dignitate, venerabilem, eoque tempore, cum lucem videret noster *Hoffmannus*, antistitem Torgaviensem, postea vero Thoruniensium seniorem, Theologum de ecclesia Evangelica meritissimum, & qui olim gratiam Electoris Divi *Joannis Georgii II*, cujus Principis Electoratus hæreditarii, ad consilium senatus Academici Lipsiensis & Witembergensis, fidelissimus Ephorus lectus, submisse veneratus, hucdum scriptorum fama celebratur, quem & Noster, defunctum Thoruni A. 1704, maxime mœruit. Matrem autem habuit *Joannam Susannam*, *Birnbaumii*, celeberrimi Dresdensium Archiatri, filiam, matronam omnibus, quæ sexum hunc decent, virtutibus ornatam, & ab ipso Electore ipsi nuptam, nec minus domum adductam. Primis literarum elegantiorum elementis imbutus est in Gymnasio Thoruniensi, ubi sub fidelissimis præceptoribus, *Wendio*, *Sartorio*, *Bœhmio*, & *Reiskio*, insignes fecit progressus, ita ut, e Gymnasio isto discessurus, sub Præsidio *Sartorii de primitivæ ecclesiæ persecutore Catholico Messio Decio*, *Christianorum sanguine rubente*, publice multaque cum laude disputaret, Gymnasioque simul Thoruniensi, rebus suis egregie ibi gestis, ultimum vale diceret. Musas deinceps Vratislavienses salutavit, &, præeuntibus *Gryphio*, *Kypfendero*, & *Titio*, acquisitam jam literarum, quæ ab humanitate nomen habent, cognitionem non parum locupletavit. Sed fama *Schelwigii*, Theologi celeberrimi, excitatus, Dantiscum quoque se contulit, ejusque sub Præsidio binas Disputationes ventilavit, unam *de novissimis*, alteram, proprio, ut ajunt, Marte elaboratam, *de Marcellino*, *ultimo Romanorum Episcopo*. Quo in Gymnasio adhibitam a *Schelwigio* in erudiendo Nostro singularem plane diligentiam maximopere prædicavit, eandemque in *Bebrio*, *Wolfio*que, grata agnovit mente,

 quippe

quippe qui omnes ad altiora, quæ in Academicis tractantur, ſtudia optime præpararunt eum, adeo, ut in Academia primum Regiomontana ſedulo ſtudia perſequi poſſet. Et, cum Theologiæ ſe jam dudum conſecraſſet, *Wegnerum*, & *Peſſarovium*, eam docentes, diligenter audivit. Biennio autem elapſo, Lipſiam venit, ibique A. 1703 Philoſophiæ Baccalaureus renuntiatus, anno vero inſequente lauream philoſophicam conſecutus eſt. Paulo poſt cathedram conſcendit, ipſeque Præſes *de triplici Principis regimine* ea, qua erat, ingenii felicitate, diſputavit. Quodſi, ut apud Poëtam eſt, non ultima laus habetur, viris principibus placuiſſe, jure meritoque de *Hoffmanno* noſtro dici poteſt, quod viris in iſta Academia tum principibus, *Pippingio* nimirum, *Ittigio*, *Seligmanno*, *Schmidio*que, ſe ſtudiaque ſua magnopere approbaverit. Quorum, ut & *Crellii*, *Hardtii*, *Werneri*, & *Reineccii*, ſcholis ſedulo interfuit. Frequentavit etiam Collegium homileticum, quod maximum dicebatur, illudque Philo-Biblicum, quod Præſide *Cypriano* florebat. Ut vero ſtudiis ſuis finem eo felicius imponeret, Witembergam A. 1708 adiit. Hic, ut, quam comparaſſet ſibi, rerum philoſophicarum ſcientiam publico oſtenderet ſpecimine, ſub Præſidio *Ræſchelii de initiis rerum naturalium* habuit Diſputationem. Mox, conſcenſa ſuperiore cathedra, *de primo creationis opere* diſputavit, pauloque poſt *Angelorum exiſtentiam atque ordines* eruditorum ſubjecit examini. Neque tamen, cum hoc in cathedra philoſophica ageret, nuntium Theologiæ miſit, ſed ab ore *Neumanni*, ſcholas theologicas maximo cum applauſu aperientis, pependit, ejusque ſub Præſidio Diſputationem *de revelatione & enthuſiaſmo* publice defendit. His atque aliis ſpeciminibus, quæ non vulgarem Theologiæ prodebant cognitionem, motus eſt ſenatus

tus

tus Academicus, ut *Hoffmannum* summo, qui Dresdæ est, Senatui ecclesiastico dignum commendaret, cui, licet publico nondum munere in republica fungenti, Theologiæ ut crearetur Licentiatus, concessionem daret. Neque defuit eorum nostrique desiderio Senatus ille ecclesiasticus summus, concessionemque eo nomine suam dedit lubens. Memoratis itaque paulo ante honoribus A. 1709 ornatus est, habita prius, Præside *Wernsdorffio*, *de gratia Spiritus Sancti docente* Disputatione, & anno subsequente Ordo theologicus ipsum Theologiæ Doctorem renuntiavit; quem honoris gradum Oratione *de Criminatoribus orthodoxiæ* aggressus est. Apertus ei nunc erat campus, in quo eruditio ejus liberius excurrere poterat, cujus usum in eo maxime repositum credidit, ut alios etiam erudiret, doceretque. Quapropter non solum Theologiam iis, qui ipsum præceptorem elegerant sibi, omni cura atque fide tradidit, sed etiam colloquia disputatoria habuit, regulasque demonstravit, secundum quas conciones sacræ essent formandæ. Nec intermisit hosce labores, cum A. 1712 Lipsiam sese recepisset; verum hic quoque de juventute Academica optime meritus est. Quam industriam diligentiamque non parum deinceps auxit, cum a Rege Poloniarum Potentissimo potestas ei, Theologiam extra ordinem profitendi, clementissime concederetur, addito simul stipendio, quod munificentiam vere regiam luculenter declarabat. Id quod munus, publice Theologiam profitendi Oratione *de Tentationibus Theologorum gloriosis*, præmisso Programmate *de eo, quod in Theologo debet esse doctrinæ puritas, & vitæ rectitudo*, A. 1713 auspicatus est. Destinatum sese Academiæ nunc credebat Noster, cum præter spem opinionemque suam ad subeundum apud Saydenses Superintendentis munus a summo, qui rebus ecclesiasticis Dresdæ præest, Senatu

Senatu A. 1719 vocaretur. Cui ſpartæ per ſexennium omni cura præfuit. Anno enim 1725 & Conſiſtorium Witebergenſe partes Antiſtitis ſacri apud Belzigenſes, & ſenatus Annabergenſis eandem provinciam apud ſe, uno eodemque fere tempore ei obtulerunt. Re autem accuratius perpenſa, Annabergenſium precibus annuit, Belzigenſi muneri renuntiavit, Seydaque relicta, oblatum munus Dom. XII poſt Trinit. adiit, & hoc munere haud longe poſt edito *de propenſione animi, qua in ſuos Theologus debet eſſe*, Programmatte, a ſacrorum antiſtite B. *Marpergero* ſolenni ritu inauguratus eſt. Nec pœnituit unquam Annabergenſes eum elegiſſe præſulem, qui & doctrinæ puritate, & ſanctitate morum, nemini fuit ſecundus. Nam indefeſſo ſtudio cœtum ſacrum docuit, curamque egit animarum, uſque dum d. 30 Jan. A. 1748 placida exſpiraret morte, LXX ætatis ſuæ annis, ſi ſex ſeptimanas demas, impletis. Thori vitæque ſociam ſibi aſſumſit A. 1715, *Dorotheam*, natam *Zſchochiam*, *Arnoldi*que, annonæ militaris præfecti, viduam, fœminam ornatiſſimam. Ex qua licet liberos ſuſceperit nullos, cum ea tamen per XXXIII fere annos mira ſane concordia vixit, eademque paucos menſes ante Noſtrum vita functa eſt. Privignas, quas habuit duas, plus quam pater dilexit, omnique educatas cura ſuis elocavit impenſis, atque alteram earum, Prænobiliſſimo Conſultiſſimoque Regis Pol. apud Stolbergenſes Præfecto nuptam, ex aſſe ſcripſit hæredem. Bene precamur Manibus Viri optimi, & rem ſacram æque ac literariam pro virili ſua parte juvantis, dignique adeo, cujus memoria in animis eorum, qui & ipſi ſunt boni, & bonis prorſus ſunt dediti, æternum vivat. Exemplum hujus ſi quis imitandum ſibi proponat, & ita, ſicut ille, vivat, is Deo æque ac hominibus vitæ ſuæ rationem probabit, & a ſera poſteritate recte actorum laudem feret.

* * *

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio II.

DELLA ELOQUENZA ITALIANA, &c.
id est,

DE ELOQUENTIA ITALICA JUSTI FONTANINI, Archiepiscopi Ancyrani, Libri tres, recens recusi; in primo explicatur origo & progressus Italici sermonis; in secundo tractatur de ejus incremento per opera scripta; in tertio digeritur Bibliotheca, composita ab Autoribus singularibus in materiis potissimum classicis, illustrata multis observationibus.

Venetiis, impensis Christophori Zano, 1737, 4.
Alph. 2 plag. 5.

Non est, quod, Lector, de Eloquentia ab Italis exculta hic exspectes enarrationem. Opus constat expositione fatorum sermonis Italici, & librorum, in eo conscriptorum. In *tertia Parte* censuram Summe Rev. Autor subinde adhibuit acriorem, quam qui ferre haud potuerunt viri doctissimi, integris jam disceptationibus & operibus in eam insurrexerunt, in quibus recensendis suo tempore

opera

opera noſtra haud deſiderabitur. Volumen ipſum Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino *Laurentio Teupolo*, Equiti & Procuratori S. *Marci*, eſt inſcriptum, cujus Viri Autor prædicat favorem in ſe ſatis magnum. In orthographia ipſe ſequitur ſubinde ſingularem opinionem. Acceſſiones in fine fuerunt additæ, quæ, ſeparatim editæ, excreſcere potuiſſent in Volumen ſecundum. *Diſſertationem* Autoris hic præfixam habet *de Eloquentia Italica*, comprehenſam Epiſtola, ad Dominum
Pag. 14. Marchionem *Joannem Joſephum Orſi* conſcripta. *Libro primo* diſſerit ipſe de ſtudio, quod jam Latini collocarunt in lin-
6. gua ſua. Addit, linguam Italicam ſucceſſiſſe Latinæ. Ediſſerit orginem ſermonis Italici ex lingua Latina. Conditionem linguæ Romanæ, qualis illa exſtitit Seculis IX & X, ſpeciatim in Italia inde ab exordio Seculi XIII, exponit. Progreditur ad faciem inde ſermonis Theotiſci, ſeu *Francici*, & *Francigeni*, ſimulque vulgaris, ſeu communis Romaneſei Italici, inde
14. ab ætate *Gregorii V* triti. Barbaros eſſe autores linguæ Italicæ, oſtendit. Literatos Italicos ſcripſiſſe prius ſecundum morem linguæ Romaneſcæ Francorum, quam Italis, proprium, docet. Prioris principatus perſtitit adhuc in Italia Seculo XII
38. & XIII. Divitias linguæ provincialis exponit, adoptatæ ab antiquis ſcriptoribus Italis. Recenſet opera Autorum Italico-
47. rum, in antiqua lingua Romaneſca Francica ſcripta. Tranſlationes enumerat ſacri Codicis in lingua Romaneſca. De dialecto communi, & multis aliis antiquæ linguæ Romaneſcæ
49. dialectis, eisque, quæ adhuc frequententur, exponit. Ediſſe-
62. rit Autores, qui ea fuere uſi. De fabuloſo ſcribendi genere *Turpini* & Realis Franciæ, jam a *Dante* notato, haud tranſ-
84. latitia habet. De antiquitate fabulæ Romanenſis, a *Meſchino* & *Amadigio di Gaula* ſcriptæ, quæ a *Torquato Taſſo* maximi æſtimata eſt, & *tabulæ rotundæ*, affert haud contemnenda.
60. *Sordelli Catanei* inprimis mentionem facit, Domini *rupis del*
67 ſeq. *Goito*, A. 1189 nati, qui lingua provinciali ſcripſit. De auriflammeo, S. *Dionyſiani* Cœnobii vexillo, nonnihil intexit. *Guilielmum*, Poetam Italum, qui Latine ſcripſit, vindicat ætati
69. *Ottonis IV*. *Turpini* fabulas Gallis A. 1200 demum innotuiſſe,

notuisse, ex Hispania nuper allatas, autor est *Gaufredus*, Pag. 70.
Prior Cœnobii Vosiensis. *Papirius Masson* fuit primus, qui,
Turpinum scripsisse fabulam, fuit subodoratus, vel potius,
eam ab homine otioso compositam esse in gratiam juventutis, contendit, circiter tempore *Caroli Calvi* Imperatoris. *Albericus*, trium fontium Monachus, ad A. 1066 monstravit, 71. 72.
tunc cantilenam Rolandi inchoatam, ut Martium viri exemplum pugnaturos accenderet: inclamatoque Dei auxilio, prælium utrinque consertum. Enati ex ea fabula fuerunt libri alii, nondum formis publicis descripti, verbi causa de *Roncisvalle* & *Rinaldo*. *Guilielmus Brito* jam autoritatem Pseudo-*Turpini* fuit secutus *Philippidos Lib. III v. 394 seq.* Mirum, ex narratione *Turpini Rolandum* in Turciam ipsum pervasisse, observante *Petro Bellonio Observat. Lib. III Cap. 42*, & *Augerio Busbequio Epist. pag. 138* ed. Oxon. anni 1660.
Exstat liber alius ejusdem commatis, vulgo dictus *Guerrino* 76.
di Durazzo. Autor vulgo cognominatur *Meschinus*. Volumen complectitur Libros VII, editos jam Patavii A. 1473 in forma maxima, Venetiisque A. 1477, 1480, & 1481. Sed missum facimus Autoris *Librum primum*, ad *secundum* progressuri.
Cur sermo Italicus fuerit dictus *Vulgare Latinum*, statim ab 105.
exordio ejus disquirit. Seculis scilicet inferioribus Italiam dixere *Latium*, & Italos appellarunt *Latinos*. *Dantes* hæc tra- 121.
dit: *Istud, quod totius Italiæ est, Latinum vulgare vocatur.* Italicus sermo, ex Latino corruptus, Seculo jam XI colloquiis adhiberi cœpit, plebi gratior, quam nobilioribus hominibus, abhibitus ante in versu, quam in oratione prosa. *Dantes* indubie fuit pater Eloquentiæ Italicæ. Comœdia ejus adhuc est in pretio. *Bembus* & *Casa* in eo varia notarunt, *Speronius* vero eum evexit. *Dantes* poema suum appellavit poema. 142.
Scripsit ipse librum *de Vulgari Eloquentia*, Latine posthæc 151.
conversum, Parisiisque editum. Ejus summam exponit Autor. Lingua Sicula, quam *Dantes* laudavit, fuit olim Italica communis. Dialectum communem Italicam *Dantes* antepo- 217.
suit reliquis Italiæ municipalibus, ipsique Toscanicæ, aulamque Neapolitanam prædicavit, fautricem quippe tunc Poeta-

 rum.

Pag. 220. rum. Autor addidit nonnihil de Italiæ dialectis non unis. *Libro tertio* exponit ritum ecclesiasticum Latine ex suggesto
247. sacro disserendi, & postea lingua vulgari. Veneti hujus primam dedere Grammaticen, *Fortunio* inprimis præeunte qui
260. a plagio absolvitur. Accedit Bibliotheca, Eloquentiæ Italicæ
265. infervitura. Apparent loco primo regulæ sermonis vulgaris,
285. Grammatici vulgares sermonis Latini, & Lexica linguæ vulgaris.
294. In Classe secunda Autor exponit de arte oratoria & Oratoribus Italorum tum in lingua Latina, tum in Italica, nec non de Epistolarum scriptoribus. In Classe tertia disserit de arte poetica & scriptoribus, qui artem poeticam exposuere, no-
398. minatim de poemate *Ariosti*, *Tassi*, & *Dantis*. Classe quarta comprehendit scriptores dramaticos, eosque haud negligit, qui Italica lingua loqui a translatoribus fuere jussi. Classe
488. quinta commemoravit Poetas lyricos. Classe sexta enumeravit artem historicam, Historiam literariam, Biographos, historiam fabulosam antiquam, eamque lingua vulgari expres-
576. sam, historiam fabularem recentiorem, historiam nummariam & lapidariam, historiam civilem, vitarum scriptores de viris toga sagoque claris, Cosmographiam, Geographos Græcos, in Italicum conversos, Historicos Græcos, ab Italis translatos, nec
629. non Latinos, atque Historiam Ecclesiasticam. Classe septima complexus fuit libros philosophicos, tum eos, qui ad Logicam, naturalem, moralem, civilem, & equestrem Philosophiam, referuntur, tum illos, qui ad symbolica pertinent, nec non ad Jurisprudentiam omnem, ad Mathematicen, ad computationem ecclesiasticam, ad Architecturam, ad scientiam bellandi, ad picturam & sculpturam, prætereaque ad
673. Musicen. Classe octava, seu ultima, enarravit libros theologicos, & Biblicos, & morales, & polemicos, & asceticos, scriptoresque adjunxit ecclesiasticos, tum Græcos, tum Latinos, Italice translatos. Opus ipsum insigni scatet industria. Ni censura passim exstaret acrior, libro nihil inesset, quod laude esset indignum. At obiit Autor, nec causam suam amplius valet perorare. De capitibus nonnullis disseremus distinctius, recensuri scripta, quibus ad censuras modo dictas debi-

debite respondetur. Nolumus tamen inficiari, Autorem hinc inde libros nonnullos Italicos omisisse intactos, nec defutura esse in posterum virorum doctorum supplementa. Utinam vero omnium cultiorum gentium catalogi, libris recensendis proprii, consimiles exstarent! Cur de scientia medica haud separatim commentatus fuerit Noster, nostrum non est assequi conjecturis.

DE PAULO B. APOSTOLO IN MELITAM Siculo-Adriatici maris insulam naufrago ejecto Dissertationes apologeticae in Inspectiones anticriticas R. P. D. IGNATII GEORGII de Melitensi Apostoli naufragio, descripto in Act. Apost. Cap. XXVII & XXVIII, Autore C. JO. ANTONIO CIANTAR.

Venetiis, apud Christophorum Zane, 1738, 4.
Alph. 2 plag. 12.

Liber hic apologeticus, *Mariae Annae* Austriacae, Lusitanorum Reginae semper augustae, inscriptus, & Praefatione galeata praemunitus, versatur in vindicando *Pauli* naufragi hospitio non Meletae Dalmatorum, sed Maltensibus Siciliae vicinis. In Praefatione dictitat, antogonistam suum Pag. 3. ad sophismata captionesque confugisse, eumque appellat *recidivum calumniatorem.* It ostensum, *Matthaei Beroaldi* sententiam & loculos adversarium excussisse, ejusque argumentis latius diductis pugnasse, licet ab eo nominando absti- 4. nuerit sese. *Beroaldum* antecesserat eadem sentiens Imperator *Constantinus Porphyrogennetus* in libro *de administrando impe-* 6. *rio ad Romanum filium Cap. 36.* Pungit *Ciantarus* antagonistae 10. sui notitiam linguarum exoticarum, nec tamen inficiatur, eum accerrimi ingenii specimen dedisse, multaque erudite ac jucunde pertractare. Minas adjicit, sibi esse adhuc hastas teretes cly- 15. peosque rotundos, tum galeas, tum thoracas, procul igne micantes, quas sit expromturus, si forte adversarius ausit iterum

conferre manum. Summa operis continet, præter formulam
Pag. 16. Dedicationis & Præfationem, 1) descriptionem Melitæ & Gauli insularum; 2) seriem Episcoporum Melitensium; 3) singularum Dissertationum argumenta; 4) verba *Lucæ*, quibus ipse descripsit Melitense *Pauli* naufragium; 5) typum sinus Melitensis, qui vulgo *la Cala di S. Paulo* dicitur; 6) Dissertationes numero viginti; 7) epistolam D. *Marci Lamæ*, egregii Mathematici, continentem quasdam observationes practicas in *Pauli* navigationem, Melitensi naufragio terminatam, Dissertationi septimæ suffixam; 8) Catalogum Autorum, in hoc opere laudatorum; 9) Indicem rerum & verborum locupletissimum. Demorsos sane ungues sapit, lucernamque olet, Me-
38. litæ descriptio geographica æque ac historica. Episcopum Atheniensem evasisse credit Autor *Publium*, principem virum Melitensem, qui *Paulum* hospitio excepit. Primum Episcopum Maltæ vocat *Sylvanum* quendam ad annum 408.
39. *Acacium* ibi ecclesiis præsedisse circa A. 450, addit, quem adversarius dixerat Armeniacæ Melitenæ Episcopum, cui tamen Noster tum *Constantinum* præfuisse, ex actis Concilii Chal-
41. cedonensis it demonstratum, quippe non *Melitensem* vocatum, sed *Melitenensem Episcopum*. Differit deinde de *Lucilo*, *Trajano*, *Mana*, *Gualterio*, *Eberardo*, *Joanne*, *Rainaldo*, *Stephano*, *Joanne II*, *Rogerio*, *Nicolao*, *Alduino*, *Henrico*, *Nicolao Boneto*, *Hilario Conrado*, Monacho Benedictino, *Antonio Vulpeno*, *Nicolao Papalla*, *Joanne de Pino*, *Mauro*
51. *Cali*, *Andrea de Pace*, *Conrado Caracciolo* ad annum 1408, *Michaele de Literis*, illo *de Valgnarnea*, *Joanne Ximenio*, *Antonio de Platamone*, *Mauro Cali* secundo, Senatore *de Mello*, *Bernardino Paterno*, reliquisque Maltæ Episcopis usque ad
68. *Paulum Alpheran de Bussan*, A. 1727, 14 Cal. Aug. ad thro-
69. num infulamque evectum. Sequuntur Dissertationes viginti. *Prima* evincit, vel potius studet comprobare, Adriaticum mare permisceri cum Ionio ac Siculo a Græcis ante *Claudium Ptolemæum*. Dissertatione *secunda* tentat ostendere Autor, *Strabonem* in Adriæ prolatatione secum stare. *Tertia* docet, Latinos Autores, *Lucæ* ætati suppares, vel ipso antiquio-

tiquiores, in Ionio ac Siciliensi pelago Adriam recognovisse. *Quarta* demonstrat, quanti facienda sit *Claudii Ptolemaei* aliorumque, qui post ipsum scripsere, de Adriae situ atque confinibus sententia. *Quinta* ostendit, tum Graecos, tum Latinos scriptores, ab adversario perperam pro Adria allegari. *Sexta* docet, haud esse reprehendendam eorum sententiam, qui, Adriae nomen apud *Lucam* haud certi maris *proprium*, sed appellativum, esse, autumarint. *Septima* tradit, flante vento typhonico *Pauli* navigium neutiquam in Meletam, utique in Melitam, impelli potuisse. *Octava* ostendit, barbaros, quorum meminit *Lucas Act. XXVIII*, non in Meleta, sed in Melita, reperiri potuisse. *Nona* persuadet, ante naufragi Apostoli in Melitam appulsum, nec innoxios serpentes, nec theriacas fuisse glebas Melitenses. *Decima* tractat de Melitensibus glossopetris ac lapillis, quos serpentum ocellos vocant. *Undecima* ostendit, dithalassum, a *Luca* memoratum, in Melitensis sinus introitu ad amussim recognosci. *Duodecima* versatur in tribus adversarii argumentis refellendis. *Decima tertia* comprobat, argumentum de Syracusis Autori apprime opitulari, idque frustra diluisse adversarium. *Decima quarta* expendit alia tria argumenta, ipsi faventia. *Decima quinta* agit de *Publio Martyre*, principe viro Melitensi, hospite *Pauli*, ac primo Melitae Episcopo. *Decima sexta* persuadet, eundem *Publium Dionysio Areopagitae* in Atheniensi ecclesiarchio successisse. *Decima septima* agit de *Trophimo*, qui ab Apostolo relictus fuerit in Melita aegrotus. *Duodevicesima* ostensum it, temere suspicari adversarium, Melitenses Christianos militiae Christianae nomen sero dedisse. *Undevicesima* perhibet, Melitensium traditiones esse laudabiles ac fide dignissimas. *Ultima* disseritur de monumentis, Melitensium traditiones corroborantibus, ac maxime de Crypta *Paulina*. In Dissertatione *prima* exponitur potissimum rei momentum. In ea affertur *Thucydidis* testimonium e *Lib. VII* de Acarnanibus, quos ille tradidit habitare intra sinus Ionii fines (boreales). At id testimonium *Gregorio* favet, ostendens, Adriam ad oram Acarnanum ter- Pag. 78.

mina-

minari Ionio mari. Accedit deinde ad *Scylacis Caryandensis* pronuntiatum, in quo legitur vulgo: τὸ δ' αὐτὸ Αδρίας ἐςὶ καὶ Ἰόνιος. Locus hic legitur *pag. 11 Volum. I Scriptorum Græcorum minorum Geographiæ veteris*, a *Joanne Hudsono* Oxoniæ A. 1698, 8, edito. Si itaque ibi omnia expendimus, lectio ibi fallit recepta, ideoque *Ciantaro* haud patrocinatur. Dabimus argumenta. *Scylax* ita de initiis Ionii sinus habet; *Os* Ionii *sinus est a Cerauniis montibus usque ad Iapygiæ*, oppositæ in Italia, *promontorium. Ad urbem vero Hydruntem in Iapygia a Cerauniis os hujus sinus stadiis quasi 500 navigationis patet.* Vides itaque, ςόμα τȣ̃ Ἰονίȣ κόλπȣ inchoari ad boream a Cerauniis montibus, qui nunc montes Chimeræ vocantur. Quicquid itaque ultra ad boream patet, erit Adria. Ea verba, quæ dedit *Ciantarus*, debentur manui hominis recentioris, qui putavit, Maltam, in *Actis Apostolicis* memoratam, & *Pauli* naufragi suffugium, non posse locum tueri, ni Ionius sinus gestasset nomen Adriæ. Ipsa verba repugnant prorsus verbis præmissis, quibus significatur, Ionium sinum a Cerauniis demum montibus capere primordia, ac deinde introrsum versus meridiem patescere. *Scylax* sane *pag. 6* Umbris, Gallis ad Padi exitum incolentibus, & Venetis, *Adriam & sinum Adriaticum esse confinem ab Oriente*, docuerat. Nil ibi de Ionio occurrit ingeriturve sinu. *Scylax* ultra Ceraunios versus meridiem nunquam de mari Adriatico quidquam habet. Emendator illud glossema indubie hausit ex *Marciani Heracleotæ* hoc pronuntiato *pag. 9: Nonus sinus est Adriaticus, sive Ionicus*, ἔννατος ὁ Ἀδρίας ἤτοι Ἰώνιος κόλπος. Ex quo testimonio nihilo minus nondum sequitur, Adriam & mare Ionium tunc idem valuisse, & nomina exstitisse promiscua. *Marcianus* enim sinum illum, a Venetiis usque ad Africam fere procurrentem, noluit bifariam secare; quare eum a parte superiori vocavit Adriaticum, ab inferiori Ionium. Ionium mare a Cerauniis inde ad Cretam usque a *Thucydide* aliisque proferri, nemo negat, unde Autor nescio quid exsculpere nititur. Quæritur hic, an *Lucæ* ætate Oceanus, Maltam alluens, dictus fuerit *Adria.* Hoc nec

Lyca-

Lycophron affirmat, nec *Æschylus*, nec *Polybius*. Postremus Pag. 83.
contra *Lib. II*, *sinum Adriam* a borea confinem esse *trajectui Ionio*, indicat, qui a Ceraunïis montibus ferebat Hydruntem. Ipse addit praeterea, Ionium trajectum versus meridiem juxta promontorium Cocinthum separari a mari Siculo. Quo ipso intelligitur, *Polybium* ne Ionium quidem mare ad Maltam usque & Siciliam extendisse. Trajectum Ionium, Πόρον Ἰόνιον, confundit Autor cum sinu Ionio. Ille enim 84.
interjacet Hydruntum inter & Ceraunios montes, hic infra latius patet. *Scymnus Chius* eadem ratione trajectum illum *vers. 300 seq.* descripsit, & mare supra trajectum versus boream situm appellavit Adriam, seu Ἀδριακὴν θάλατταν. Umbros videtur *Scymnus* infra Adriam ad meridiem collocare, sed invito *Scylace*. Quare, transpositos ibi esse versus apud *Scymnum*, jam alii monuerunt, certe includendi sunt in parenthesin *versus* tres *365, 366, 367*:

(Μεσαίτατον δὲ οἰκοῦσιν Ὀμβρικοὶ λεώ - - ἐμφερέστατα)

Si Adria ultra Umbros ad boream a *Scymno* fuit collocata, id ipsum pronuntiatum nemini magis, quam Cl. *Ciantaro*, nocet. Quod ipse animadvertit, scribens: *Ceterum haud inficior, bujusce scriptoris de Adria sententiam haud satis perspicuam esse.* Quod e *Diodori Siculi Libro XVI* Autor id com- 86.
probatum, mare Siculum appellatum fuisse pelagus Adriaticum, id in eo loco reperire haud valuimus, per hoc intelligentes mare ad boream confine Ionio trajectui. Ionium 87.
vero sinum ab Ionio mari fuisse olim diversum, negamus merito cum Cl. Autore, commoti testimonio *Dionysii Halicarnassensis* & aliorum, licet largiamur, mare Ionium latius patere in austrum ipso Ionio sinu. Id vero singula- 88.
re minusque solidum est, *Dionysium Periegeten* (*) *Adriam* ad

(*) Is vero demum tertio vixit Seculo, ut demonstravit *Henricus Dodwellus* in Diss. *de Ætate & patria Dionysii*, praefixa *Tomo IV Geographiae veteris Scriptorum Graecorum Hudsoni*, edito Oxoniae A. 1728, 8. Nihil itaque hoc testimonio *Ciantarus* efficit adversus praestantissimum suum antagonistam.

ad littora Africæ usque protendisse secundum interpretatio-
Pag. 91. nem *Prisciani* & Autoris mentem. Ad Epiri partem, quæ ad Epidamnum sita est, *Adriaticum* exstitisse *pelagus*, perspicitur ex *Ignatii Martyris* actis, a *Theodorico Ruinarto* editis, & ex eo ingressos esse comites mare Tyrrhenicum, ibidem statim additur. Id autem haud omittendum videtur, ex eo testimonio nihil lucrifieri posse, tum quod ætate minori est, & ab hominibus Geographiæ imperitis exstitit, tum quod *Straboni* id haud repugnat. Dum vero Noster, *Appianum Alexandrinum* ætate præstitisse *Claudio Ptolemæo*, ut Adversa-
93. rium refellat, opinatur, se ipse erroris facit reum. Nec locus, e *Strabonis Libro II pag. 123* allatus, evincit, mare infra trajectum Ionium nomen gestasse Adriatici ad Maltam usque. Ipse enim *Strabo*, *Ionium sinum*, perhibet, *partem esse Adriæ*, ad boream usque Aquilejam procurrentis. Siculum certe ibi mare dicitur disterminari trajectu Ionio, seu faucibus Ionii sinus, ad Iapygium promontorium. Quicquid igitur maris infra fauces illas ad meridiem excurrit, dicitur ibi *Siculum*, pars vero maris superi, seu Adriatici, quædam australis ultra Ambracium sinum & promontorium Iapygum vocatur ibidem *sinus Ionius*. *Octavius Cajetanus* nequaquam locum illum *Strabonis* recte explicasse censeri potest, quicquid tan-
95. dem Vir Cl. lectori studeat inculcare. Idem ex *Pomponio Mela I, 2*, distinguit mare Adriaticum in interius ac exterius. At *Mela Ionium* existimat *exterius*, Adriaticum vero *interius*, id est, introrsum versus Aquilejam vergens. Locum omnino recte exposuit Vir Pl. Rev. *Georgius*, & expositionem suam autoritate *Plinii* solide munivit, qui mare, quod inde a trajectu Ionio in austrum patet, vocavit *exterius*, id vero, quod ad Aquilejam inde pertinet, *interius* appellavit. Siciliam apud *Strabonem* nomine Italiæ comprehendi, credit Noster.
100. Nobis vero tam oculatis esse haud licuit, ut vim argumenti potuerimus assequi, quo persuadeamur, *Strabonem* per Italiam, Adriæ vicinam & confinem, complexum fuisse simul Siciliam. Eo enim in loco, ubi *Strabo* describit sinistrum Adriæ latus, nempe Italiam, non solum Siciliam ab Italia distinguit, sed

ſed etiam per Italiam, quæ ſiniſtrum latus obvertit Adriæ, loca intelligit, quæ verſus ſeptentriones ultra trajectum Ionium ſunt ſita. Locus habetur *Lib. II pag. 123*, ſeu ex edit. Amſtelod. A. 1707 in fol. *pag. 185*, quem adhibita luſtravimus attentione omni. Confer eundem *Lib. VII pag. 317*. Ea, quæ ad Illyricum & Aquilejam ac Apennini fines orientales ſpectant, loca *Strabo Lib. IV pag. 207* dicit ſpectare & vergere πρὸς τὴν Ιλλυρίδα καὶ τὸν Ἀδρίαν, *ad Illyridem & mare Adriaticum, Lib. IV pag. 207.* Idem tradit, montoſam eſſe regionem, mari Adriatico & Pannoniæ interjectam *inde ab intimo Adriæ ſinu,* ἀπὸ τȣ̃ μυχȣ̃ τȣ̃ Ἀδρίȣ, *Lib. VII pag. 314*. Legit deinde & perſequitur *Strabo* totam oram Illyrici usque ad Ceraunios montes, &, ad hoſce delatus, addit: Τὰ Κεραύνια ὄρη ἡ ἀρχὴ τȣ̃ ςόματος τȣ̃ Ἰονίȣ κόλπȣ καὶ τȣ̃ Ἀδρίȣ, *montes Ceraunii initium faucium* (oſtii) *ſinus Ionii & Adriatici.* Ut hæc recte intelligantur, ipſe addit: *Oſtium utrique* & Adriæ & ſinui Ionio *commune;* eoque tantum differunt, quod primæ parti maris hujus nomen hoc Ionii impoſitum ſit, *Adria autem ſit nomen* τῆς ἐντὸς μέχρι τȣ̃ μυχȣ̃, *maris ejus, quod eſt interius prope receſſum illum* ad Aquilejam, νυνὶ δὲ καὶ τῆς συμπάσης, *nunc vero ſit nomen totius illius maris* inde a receſſu interiori usque ad os & initia ſinus Ionii Siculique. Id ipſum quoque patet ex *Chreſtomathiis Strabonis*, ubi *Lib. VII pag. 1252* extremi fines Adriæ terminantur Ambracio ſinu. Docet enim Autor, *Epirum circumdatam eſſe a mari Adriatico usque ad Ambracium ſinum.* Quo ipſo intelligitur, mare, quod inde ad auſtrum ſe diffundit, ab Adria fuiſſe ſatis ſuperque diſcretum. Sunt, qui per *totum illud mare* intelligunt mare Ionium, quod inde a trajectu Ionio usque ad Cretam & Siciliam ſeſe diffundit. Qui vero τὴν ἐντὸς θάλασσαν & τὴν συμπᾶσαν ſecundum *Strabonis* mentem & uſum vocis, apud ipſum receptæ, exponunt, non poſſunt non ſententiam ita exponentium repudiare, licet a *Caſaubono* adoptatam. Cum *Strabo* oram maritimam Illyrici usque ad Ceraunios montes, & porro Pannoniæ confinia ad auſtrum, nec non Thraciam, expoſuiſſet, & jam in eo

esset, ut a montibus Ceauniis progrederetur versus austrum, hæc prius interposuit *pag. 320: Enumeravimus eas gentes, quæ, Istro & Illyricis ac Thracicis montibus circumscriptæ, universam Adriæ oram accolunt a sinus intimo recessu.* Ad montes Ceraunios constitit *Strabo*, in Occidentem prospectans, ita ut Illyricum ei esset ad dextram, ad sinistram reliquæ nationes Epiri. Quibus observatis, patet, Adriam a *Strabone* haud ultra in meridionalem plagam fuisse prolatatam, sed hoc mare ab eo *sinistrum* dictum fuisse, tum *Siculum*, tum *Ionium sinum*. Siculum enim ad boream usque porrexit prope *sinum Ambracium Lib. VII pag. 323.* Nemini autem non constat, interesse intervalli aliquid inter Ceraunios montes & os Ambracii sinus; eas vero gentes, quæ ultra Ceraunios versus septentriones habitarunt, accoluerunt, teste *Strabone*, ὑπὲρ τοῦ Ἰονίου κόλπου, *supra Ionium sinum*, *pag. 326.* Fluvios autem, qui ab Ambracio sinu inde ad meridiem fluunt in mare, tradit *Strabo*, influere *in Ionium sinum*, *pag. 327.* Nulla ibi de Adria mentio. Quin potius *Strabo Lib. II pag. 109* refert *Eratosthenis* famosa illa promontoria, ac tertium quidem, quod intercipiatur mari Siculo ad austrum & *Adria* ad septentriones, nempe *promontorium Iapygum* circa Hidruntem. Ex quo testimonio constat denuo, *Siculum mare* per *Strabonem* ubique satis perspicue distingui ab Adria, &, hoc teste, Siculum mare a promontorio Iapygum & sinu Ambracio incipere ab aquilonibus, & inde in australem plagam proferri. Tantum de *Strabone*, quem certe ea legimus, ad hanc litem geographicam solide investigandam, diligentia, quæ in homines cadere potest. Res huc redit. *Strabo* sinus Adriatici fines australes determinat montibus Cerauniis & Hidrunto, ac trajectu ab ora ibi una ad alteram. Mare vero, quod existit inde ad Ambracium sinum & Iapygum promontorium usque, statuit referri tum ad *sinum Ionium*. Mare Siculum inchoat a sinu Ambracio & promontorio Iapygum, ac inde ad Siciliam & in austrum producit. Illud autem mare, quod Acarnanum & Peloponnesi occidentalem oram alluit, idem appellat *sinum Ionium*.

Hæc

Hæc est illa Geographi accuratissimi de tribus illis maribus sententia. Cum vero scriptores accurati, & prosa oratione usi, *Luca* antiquiores, *Adriam* pro mari Siculo & eo, quod Maltam alluit, pelago nunquam posuerint, quin potius mare Adriaticum, intra recessum ad Aquilejam ex una parte, & trajectu Ionio sinuque Ambracio, Hidrunto, & Iapygum promontorio, ex altera, nempe meridiana, parte, concluserint, non possumus, quanta quanta etiam exstiterit doctissimi *Ciantari* diligentia, Maltam pro ea insula habere, quam *Lucas* appellavit Μελίτην, *Melitam*, & quam in mari Adriatico sitam fuisse tradidit. Ipse *Dionysius Periegetes* initium Adriæ deducit ab Hyrio, urbe maritima, ad quam usque gentes Iapygum sint extentæ, ita canens: τόθι σύρεται Ἀδριὰς ἅλμη πόντον ἐς ἀγχίπορον ἀκυλήιον, *inde flectitur Adriaticum salum ad mare, Aquilejæ vicinum, trajici ex utroque littore solitum.* Græciam idem incipit a terra Oricia, ibique versus Occidentem incipere Siculum mare, tradit. Adde, quod Cl. *Ciantarus* ad locum quendam *Dionysii* haud jure suo provocavit, exemplo sinistre inrerpuncto usus. En locum:

Πρὸς δὲ Νότον Λιβυκός τε πόρος καὶ Σύρτιδος ἀρχὴ
Τῆς ἑτέρης, ἑτέρην δ' ἂν ἴδοις, προτέρωσε περήσας,
Ἑσπερίην τῆς πρόσθε δύω νησῖδες ἔασσι
Μήνιγξ καὶ Κέρκινα, Λιβυστικὸν ὅρμον ἔχουσαι.
Ἀλλ' ὁπότ' ἀδριάδος σκαιὸν πόρον Ἀμφιτρίτης
Εἰσελάσῃς ἐπὶ νηὸς Ἰηπυγίην ἐπὶ γαῖαν,
Δήεις ἰφθίμου Διομήδεος αὐτίκα νῆσον.
Ἑξείης δὲ πόροιο πρὸς αὐγὰς ἠελίοιο
Ἀψήρτου νήσων ἀναφαίνεται ἄσπετος ὁλκος.

En translationem Latinam: *Sed ad Austrum est & Libycus trajectus* (ex Sicilia), *& ini ium Syrtidis alterius (alteram vero* Syrtin, *simul ac ulterius feceris iter, videbis ad Occidentem positam). Ante illam duæ exiguæ jacent insulæ, Meninx & Cercina, Libysticum portum habens.* Jam ad novum sese confert

fert argumentum *Dionysius*, & mare Adriaticum describit, cujus trajectum vocat sinistrum, quasi ipse faciem ad Orientem convertisset inter scribendum. Initium maris ejus ab austro deducit a terra Iapygia, & in mari Adriatico collocat insulas Apsyrti & Liburnicas. En translationem continuatam: *Verum, cum Adriatici sinistrum vadum maris intraveris cum navi Iapygiam ad terram, invenies fortis Diomedis confestim insulam. - - Sequenti item tractu ad ortum solis relucet immensus ductus insularum Apsyrti. Scymnus* quoque *Chius* in *Orbis Descriptione versu 192 seq.* Adriam prope Venetos & juxta fictum a veteribus Danubii exitum collocat. De Ionio autem trajectu & mari Adriatico sic disserit: *Post Italiam statim Ionius trajectus est situs, porrecti autem ad illud ostium* (trajectus) *habitant Iapyges. Juxta quos sunt Oenotrii & Brundisium & navale eorum, qui ibi mediterranea incolunt. Trans hac loca* (ultra trajectum) *sunt montes Ceraunii (mediam vero partem, μεσαίτατον, habitant porro Umbri populi - -). Deinde succedit Adrianum,* seu *Adriaticum mare. Theopompus ita describit positum hujus: ὡς δὴ συνισθμίζουσα πρὸς τὴν Ἰονικήν. Ipsum veluti isthmo conjunctum est cum mari Ionico, insulas habet Cycladibus simillimas, Absyrtides, Electrides, Liburnicas.* Populi deinde, ad sinum Adriaticum habitantes, hi recensentur a *versu* inde *375: Heneti*, seu Veneti, Istrii, Hymani, Mentores, Pelagones, Liburni, Bulini, Hylli, Illyrii, habitatoresque insulæ Diomedeæ. Illyrios, perhibet *Scymnus*, oram interiorem maritimam *Adriæ* incolere, *vers. 418.* Obiter paulo post indicat, Epidamnum *ad mare illud πρὸς τῇ θαλάττῃ* esse sitam, quemadmodum *Acta Ignatii Martyris* id quoque significant. Posthæc de Adria apud *Scymnum* est altum silentium. Operæ pretium est, *Agathemeri* locum addere ex ejus *Geographia Lib. I Cap. 3*, Latine redditum: *Tyrrhenum* mare *ab extrema Liguria porrigitur usque ad Siciliam. Deinde sequitur Libycum, Creticum, & Siculum; tum & Ionium cum Adriatico, ἀνακεχυμένον ἐκ τοῦ Σικελικοῦ πελάγους, quod refusum est e Siculo mari sursum* (in mare superum). Idem quoque paulo ante memo-

memorat, *os Adriæ* vocari a nonnullis *Ionium mare*, & *mare Adriaticum* inde a promontorio Iapygiæ ad montes Ceraunios Epiri patere 1700 stadia in latitudinem. Quid igitur est clarius, quam quod 1) initia & terminus Adriæ versus austrum locanda sint inter Iapygiæ promontorium & montes Ceraunios; 2) Siculum mare ab Adriatico differat & ad austrum trajectus illius, qui ostium est Adriatici, demum incipiat; 3) mare Ionium initia habeat ab eodem trajectu versus Peloponnesum & mare Corinthiacum? Commemorabilis est *Agathemeri* locus ex *Cap. 5 pag. 14 seq.* edit. *Hudsoni*: *Sunt quoque in Adriatico mari, ἐν τῷ Ἀδρίᾳ, insulæ propter oram Illyrici, quarum insigniores sunt Issa, & Corcyra nigra, Pharus, dein & Melita, καὶ Μελίτη, quarum dimensiones non habeo compertas.* Addere porro juvat alium ejusdem scriptoris locum ex *Lib. II Cap. 14 pag. 59*, qui jubare meridiano est illustrior, & omnem controversiam dirimit. En verba Latina: *Siculum mare magnum tractum occupat versus meridiem usque Pachynum, & promontoria Cretæ versus Orientem, versus Boream usque Iapygiam: post quam Adriaticum mare, ὁ Ἀδρίας κόλπος, sane magnum diffunditur sursum (ἀναχεῖται) versus septentriones, ἐπὶ τὰς Ἄρκτους, sed mox ad occasum obliquatur, longus quidem stadiorum 3000. - - - Hujus oram dextram prætendit Illyricum, Lævam Italia usque ad intimum recessum circa Aquilejam & Polas. Post Siculum pelagus est Creticum.* Possemus, nisi hæc sufficerent, loca adjungere complura. Dissertatione *tertia* Clariss. Vir conquirit veterum testimonia, quibus antagonistam suum devincat. *Ciceronis* inprimis loculos solicitat, qui *Lib. III de Orat. Cap. 19* Thuscum mare vocat inferum, *Ionium* vero *superum, Græcum quidem & portuosum.* Sed indicatur illud Ionium ab Acroceraunia ad sinum Corinthiacum perfluens. Laudat locum *Cæsaris* ex *Lib. I Cap. 25 §. 3 de B. C.* ubi *Pompejus* dicitur Brundusii remansisse fortassis ideo, ut *facilius omne Hadriaticum mare cum extremis Italiæ partibus regionibusque Græciæ in potestatem haberet.* Hic vero nil reperitur, quo causa *Ciantari* possit confirmari. Pag. 108 seq.

Cæsar

Pag. 110. *Cæsar* autem fauces (τὸ στόμα) Adriatici maris jussit occu-
pare *Antonium*, quorum ille castra posuerat Illyrico littore,
hic Corcyræo, testibus *Cicerone ad Atticum Epist. 6 Lib. V*,
*Flor*oque *IV*, *2*, quorum hic addit, *Curionem freto Sculo* invi-
111. gilasse ac præfuisse. Nihil hisce inest obscuritatis. *Livius*
V, *98*, *99*, memorat mare Thuscum, seu inferum, & Adriati-
cum, seu superum, additque, *Italicas gentes* utrumque sic vo-
casse, non Brutios, nec Siculos. Res adhuc in vado. Idem
112. de reliquis testimoniis *Horatii Lib. I Epist. 18*, *Carm. Lib. I*
Od. 33, *Sexti Propertii Lib. I Eleg. 6*, *Pomponii Melæ 1*, *2*,
115. *Ovidii*, *Lucani*, *Plinii H. N. XII*, *1*, *III*, *16*, affirmandum.
Solini locum affert Autor ex *Cap. 10 Polyhist.* faventiorem si-
117. bi. En illum: *Sunt & alii duo montes* (in Sicilia) *Nebro-*
des & Neptunius. E Neptunio specula est in pelagus Thuscum
& Adriaticum. At particula *in* ibi idem est ac *versus*. Et
quis ignorat, *Solinum* exeunte Seculo secundo scripsisse? De
eo enim lis haud agitatur, an *Ptolemæus* & juniores Adriam
ultra trajectum Hidruntinum in austrum extenderint. Io-
nium mare inde ab Acroceraunia & Iapygia patuisse & sur-
129. sum & deorsum, *Ciantarus* distincte satis evicit. At de sinu
Ionio idem haud demonstravit, multo minus ostendit lucu-
lente satis, Adriam, ante *Ptolemæi* ætatem, australiorem ex-
stitisse trajectu Hidruntino. Mare enim Ionium, qua Pelo-
ponnesum, Cretam, Siciliamque, pulsat, *sinus* nulla ratione
dici potest, siquidem ibi duabus terris invicem oppositis illud
haud amplius intercipitur. Varia passim Autor inserit, tum
jucunditate, tum eruditionis laude, commendabilia. *Pausa-*
niam extendisse mare Adriaticum usque ad Siciliam, distincte
127. firmiterque ostendit. Complures, *Ptolemæo* juniores, eidem
130 seq. addictos fuisse sententiæ, idem copiose exponit. Plus tamen
138. justo tribuit loco *Dionysii Periegetæ*, quem Poeta Latinus,
141. sive is *Priscianus*, sive *Rhemnius Fannius*, fuerit, non satis
154. intellexit. Locum dedimus & exposuimus supra. *Seneca &*
Tullius Adriaticum mare a Siculo distinguunt, quod Autor
inficiari haud valet. Dissertatione *septima* de *vento typho-*
nico & euroaquilone doctissimis rationibus commentatur, at-

que,

que, ut fortius elidat antagonistam, in præcipitium delabitur, persuasurus lectori, *omnia ferme Græca Novi Test. exemplaria esse vitiata*, Vulgatam sequens, quæ *Act. XXVII*, 15, *euroaquilonem* cum manuscripto Alexandrino Græco præfert. Pag. 158. Dolendum, doceri haud posse, eam vocem tunc fuisse tritam, eaque denotatum fuisse ventum typhonicum. Solebant ætate *Lucæ* scriptores Græci aquilonem vocare *βοῤῥᾶν*, haudquaquam *ἀκύλοντα*. Maltæ incolas fuisse *Pauli* ætate de gentibus barbaris, Græcisque literis eruditos, solide Autor demonstrat. Dum vero credit, serpentes ante *Pauli* adventum 197. in Malta fuisse venenatos, posthæc innoxios, immo & glossopetras negat esse petrefactos carchariarum dentes, suamque 209. sententiam copiose exequitur, pugnam *Entelli* pugnat. Exstare 236. in Malta littus loci bimaris, negaverat Pl. Rev. *Georgius*; quod e contrario *Ciantarus* collocat extra dubitationem, qui id etiam monet, numerosos comites *Pauli* ad Melitam Illy- 259. ricam tum vacuam & desertam haud quadrare, ratus præterea, *Publium*, *Pauli* hospitem, in Malta exstitisse Episcopum pri- 312. mum, & palmam Martyribus propriam reportasse, postquam *Dionysio Areopagitæ* in ecclesiarchio Athenis successisset. Notum est, *Trophimum* a *Paulo* relictum esse Mileti 358. ægrotum 2 *Tim. IV*, 20. Hunc locum Autor cum *Cæsare Baronio* pro Malta habet. Quæ vero ad traditiones Malten- 373. sium attinent, ea a nobis haud sunt repetenda. Diligentiam & vivax ingenium *Ciantari* merito concelebramus, orantes ipsum, ut ea, quæ de Adria inseruimus, vel solide refellat, vel cum Antogonista suo redeat in gratiam.

MEMOIRES TOUCHANT LA VIE DE MONsieur de S. Cyran, par M. LANCELOT, &c.

hoc est,

COMMENTARII DE VITA VEN. ABBATIS S. Cirani, Autore LANCELOTO, ad illustrandam Portus-regalis, Seminarii quondam Parisiensis, historiam.

Tomi II.

Coloniæ, ſumtibus Societatis, 1738, 12.
Alph. 2 plag. 17.

Seminarii, quod *Port-Royal* vocant Galli, maxima quondam extitit excelluitque autoritas. Id vero aliis ſuſpectum apparuit, præceptores, in eo literis docendis occupatos, *Auguſtinum*, ejusque de gratia ſententiam, araneis Scholaſticorum præpoſuiſſe. Ut igitur Janſeniſtæ oſtendant, doctrinam ſuam ad vitæ inquinatæ nævos deducere neminem, hiſce Commentariis adjutrices præbuere manus, eosque in lucem exire juſſerunt. Præcedit tractationem vita ſcriptoris, *Claudii Lanceloti*, ex *Commentariis Lanceloti* ipſius, ex *Commentariis Fontainii*, ex *Necrologio Portus regalis*, ac *Supplementis Dictionarii Moreriani*, contexta. *Lancelotus* hic, honeſtis parentibus A. 1615 Pariſiis editus, & informatus a viro eccleſiaſtico, anno 1627 exeunte in communionem S. *Nicolai (du Chardonnet)* ſeſe adſciſcendum dedit, cui interfuit aggregatus ad annum usque 1638. Eluxit jam tum in eo mentis vigor,
Pag. 12. judicii ſoliditas, animi candor atque pietas. Ex Clerico fieri Monachus ſtudebat, tactus devotione, quam in vitis Jeſuitarum primorum nonnullorum animadvertere ſibi fuerat viſus. Cum nonnihil ſcriptorum ab *Auguſtino* & *Hieronymo* legiſſet, flagrare cœpit deſiderio incidendi in aliquem, qui & pietate & ſcientia eſſet eis æqualis. Ac paulo poſt voti ſui damnatus eſſe ſibi videbatur, cum veniret in notitiam *Joannis de Vergierio de Hauranne*, Abbatis S. *Cyrani*. Ipſe tam carus erat præfecto ſuo *Burdeſio (Bourdoiſe)*, ut ex commendatione ejus in commercium Abbatis S. *Cyrani* perveniret. Abbas novitium, graviſſimis quibusque rebus aptum, ipſe formavit. Solitudinis ac pœnitentiæ male actorum amatorem aggregavit *Singlino* Magiſtro, ac *Sericurtio* intra Seminarium Portus-regalis Pariſinum, A. 1638 d. 20 Jan. Sed paulo poſt d. 14 Maji Vincennam captivus fuit abductus, cum inſtituendis adoleſcentibus animum applicuiſſet. Rediere triumviri in Portum-regalem A. 1639. *Lancelotus* vero erudire

cœpit

cœpit *Bignonios*, remque divinam expedivit. Anno circiter 1640 enituit schola illa recentissima, ac officinæ literarum induit vultum. *Nicolius* tradidit Philosophiam ac humaniora; *Lancelotus* Græca & Mathematica; alii alia. Ob discentium copiam schola in rus transiit, ac abiit in alias complures. Universæ autem A. 1660 fuerunt exstinctæ. Stantibus scholis Portus-regalis, *Arnaldus*, *Nicolius*, *Lancelotus*, reliquique sodales, insignium librorum editionibus nomen suum reddidere celebratissimum. *Lancelotus* composuit *la Grammaire générale & raisonnée*, A. 1660 typis expressam; materiem suppeditarant *Arnaldus* ac *Nicolius*. Edidit præterea libros grammaticos, qui vocantur *Methodes*, *Greque*, *Latine*, *Italienne*, *Espagnole*, vulgo dicti *Methodes de Port-Royal*. Attribuitur ei præterea libellus: *Le Jardin de racines Grecques*. Versus autem Gallicos concinnavit Dominus *de Saci* inter prodeambulandum. *Lancelotus* Latinam linguam tradidit primus inter suos verbis Gallicis, quæ a tironibus intelliguntur. *Ludovicum XIV* Regem, ajunt, hac methodo usum. Compendium methodi Latinæ editum fuit Parisiis A. 1658, 12. Compendium Græcæ prodiit A. 1655. *Lancelotus* ea collegerat vocabula, quæ in Græca ac Gallica lingua consonant, & illa *Methodo Græcæ* addiderat. *Labbeus*, Jesuita, huic collectioni opposuit libellum, cui titulus: *Les etymologies de la Langue Francoise contre la nouvelle secte de Port-Royal*, Parisiis A. 1661, 8. Prodierunt *Lanceloti* libelli A. 1668, 8, in lucem: *Quatre traités de Poësies*, *Latine*, *Françoise*, *Italienne*, & *Espagnole*. Instituit idem porro Ducem *de Chevreuse*, filium Principis Contiaci. Tandem, favoribus aulæ multatus, rediit ad Abbatem *de S. Cyran* in diœcesin Burgensem, vitam profiteri incipiens monasticam, gradu Subdiaconi contentus. Scripsit tum ad reformationem Ordinis S. *Benedicti* Dissertationem *sur l'hemine de vin & sur la livre de pain*, cujus in regula S. *Benedicti* fit mentio, contendens, heminam vini æquare circiter 10 uncias. Difficultates contra hanc sententiam obmoliti sunt in scriptis typo non expressis Abbas Fucarmontensis, Ordinis Cisterciensis, &

Pag. 17. 18. 21. 26.

Pag. 27. *Jacobus Clericus*, ex Congregatione S. *Mauri*. Ut *Lancelotus* hisce refutationibus responderet, Dissertationem retractavit, emendavit, & auxit, respondit utriusque argumentis, addiditque disquisitionem de die & anno emortuali S. *Benedicti*. Secunda hæc editio in lucem prodiit Parisiis A. 1683, 8. Heminam vini ad 12 uncias dilatavit, ac *sanctam communionem lectoris*, quam antea de S. *Eucharistia* communione exposuerat, interpretatus est de communione charitatis ac pre-
28. cum. *Claudius de Vert* eam posteriorem sententiam argumentis novis ivit stabilitum in admonitione, quam novæ interpretationi regulæ S. *Benedicti* adjecerat. *Joannes Mabillonius* priorem præferebat expositionem, eamque comprobare moliebatur in scripto: *Traité, où l'on refute une nouvelle explication que quelques Auteurs donnent aux mots de Messe & de Communion, qui se trouvent dans la Regle de S. Benoit. Lancelotus* regessit nihil, intestinisque inimicitiis appetitus, in exilium fuit ejectus, Jansenismi accusatus, abiitque in Britan-
29. niam inferiorem, ejusque locum *Quimperlé*, ubi a *Charrierio*, Abbate, Commendatario sanctæ Crucis, habitus fuit admodum benigne. Duriter, parce, ac religiosissime, ibi degit, defunctus tandem A. 1695 d. 15 Apr. natus annos 79, vir pla-
30. cidæ indolis, candidus, plenus integritatis ac pietatis, assiduus in labore precibusque, solitudinis amans, fugitans gloriæ, pacis avidus, lites exosus. Scripsit præterea *Chronologiam sacram* Gallice, A. 1662 in folio editam, junctam Bibliis *Vitrei*, quibus multum industriæ adhibuit. Scripsit quoque duas Commentationes, quæ ita inscribi solent: *Nouvel-*
31. *le Methode pour apprendre le plein chant*, & *Nouvelle disposition de l'Ecriture sainte, pour lire toute la Bible pendant l'année. Sacius* eum permovit, ut A. 1663 exponendæ vitæ *Vergierii de Hauranne*, Abbatis S. *Cyrani*, sese accingeret. Quæ jam in dias luminis auras fuit emissa. Scripsit paulo post partem ejus separatam, cui titulus: *L'*
32. *Esprit de M. de S. Cyran*. Adornavit quoque tria colloquia, quæ ipse cum tribus viris summis sociaverat, denuo, quantum attinet ad primum, hic recusa. Vita ejus, in Lexicis eruditorum obvia, hinc est emendanda ac supplenda. Et eam ob

cau-

causam fuimus solito copiosiores. Obiter vero illud notamus, Seminarium S. *Nicolai*, *de Chardonnet* cognominatum, esse fundatum ab Archiepiscopo Parisiensi A. 1644, cum id *Ludovicus XIII* antea constituisset *communitatem sacerdotum*. Addimus hoc etiam, Seminariorum Parisiensium in numero illud esse antiquissimum, ejusque originem deberi zelo M. *Adriani Burdesii*, qui consilia primus subministravit erigendis per omnem Galliam Seminariis. Nunc ad rem ipsam progredi juvat. *Parte priori* enarravit *Claudius Lancelotus*, qua ratione ductui Abbatis S. *Cyrani* fuerit traditus, & quid ab eo tempore contigerit memoratu dignissimum usque ad obitum Abbatis. *Parte posteriori* exponuntur vitæ, tum Ven. illius Abbatis, tum *Andillii*, *le Secq*, Marchionis *de Portes*, *Singlini*, *Sacii*, *Magistri* (le Maitre), & *de Sericourt*, *de Bascle*, *Arnaldi* (Arnaud), Principis fœminæ *de Guimené*, illustris fœminæ *de Saint-Ange* dictæ, *Guilleberti*, *du Hamel*, *Pelletieri des Touches*, *de Luzanci*, *Caroli de Cruce*, religiosarum Portus-regalis, nepotum & neptium Abbatis S. *Cyrani*. Adduntur in fine opuscula septem, primum de instituto S. Sacramenti, in concordiam & conjunctionem sociarum in monasterio Portus-regalis. Elogium, in Abbatem S. *Cyrani* compositum a *Sammarthanis*, occupat locum secundum Tertio suppeditatur lectori elogium, in *Petrum Aurelium* jussu Clericorum Galliæ adornatum. Quarto succedit expositio dogmatica atque historica de *Contritione*. Sexto additur epistola viri præstantissimi, *le Maitre*, ad Cardinalem *Richelium*, qua ipsi exhibet refutationem Commentarii Episcopi Lingonum. Quartum, ne quid prætereamus, in locum conjecta est epitome literarum dedicatoriarum *Arnaldi d' Andilly*, ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ scriptarum, quarum interventu ille his A. 1645 epistolam Abbatis *Vergerii de S. Cyrano* tradendam curavit. Septimo accedit epitome vindiciarum pro religiosis virginibus Cœnobii Portus-regalis, ac moderatoribus earum, operis a *Claudio Sammarthano* concinnati, A. 1667 editi, quo ipse a confessionibus earum religiosarum defendit eas ab objectionibus *Chamillardi*, in eas con-

Pag. 281 seq. 324 seq. 340 seq. 363 seq. 435. 532.

conjectis. Quibus curæ est notitia Cœnobii ac ludi Portus-regalis, ii hoc libro ægre carebunt, cui Index subiunctus est, qui accuratione sua obtinet facile principatum. *Arnaldi* vitam & opera exposuit P. *Quesnel* in libro: *Histoire abregée de la Vie & des Ouvrages de M. Arnaud le Docteur.* Abbas *S. Cyrani* ei fuit autor, ut Theologiæ excolendæ sese daret, ac in ea Doctoratum reciperet, qui cum jurejurando erat conjunctus, quo is, qui eum sumebat, sese obstringebat ad veri-
Pag. 320. tatem tuendam *usque ad effusionem sanguinis.* Qui historiam Jansenismi, per Gallias sparsi, propius nosse avent, eis hi Commentarii erunt instar ducis viarum. Dolemus, nostrum haud permittere institutum, ut plura exinde decerpamus. Non enim *Lanceloti* tantum hic anecdota apparent, sed etiam annotationes passim subtextæ eminent, quibus Historiæ literariæ ingens accessio poterit conciliari.

CHEMICAL LECTURES, &c.

id est,

LECTIONES CHEMICÆ PUBLICÆ, Londini annis 1731 & 1732, & in Scarborough A. 1733, habitæ, ad culturam artium, Mechanicæ, & Philosophiæ naturalis, spectantes, Autore PETRO SHAW, Medico Scarboroughensi.

Londini, sumtibus Thomæ Osborne, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 5.

Præmittuntur termini artis, & Chemicæ Philosophiæ definitiones. Ante omnia exponuntur objecta, quorum affectiones Philosophia per ignem declarare suscipit; nec tria tantum regna stabiliuntur naturæ, quod hactenus dici suevit, sed vegetabili, minerali, & animali, adduntur regnum marinum & atmosphæricum. Aliter etiam paulo concretorum classes adornantur. Metalla, facta a pondere eorum specifico definitione, sic sequuntur: Aurum, mercurius, plumbum, argentum, cuprum, ferrum, stannum; abhinc semimetallis,

lis, sulphuribus, salibus, terris, lapidibus, locus est. Circa istorum corporum prima principia versatur pyrotechnia, dum vel segregare rerum elementa docet, quam Chemicam analyticam Autor vocat, vel ex disjunctis antea principiis restituere priora, aut analoga quædam corpora producere, tentat, id quod in Chemica synthetica peragitur. Utriusque instrumenta activa sunt ignis, aer, aqua, terra. Ignis actualis æque ac potentialis sua penetrandi efficacia dissolvit rerum compagem, vel partium suarum textura concretum in diversum mutat. Quid sit ignis, exponitur, adductis experimentis, expansionem corporum ignitorum declarantibus. Ferrum, quod per annulum trajicitur, ignitum illo majus est. Materia ignis aer esse censetur: nam in vacuo ignis esse nequit. Focus ignis in superficie corporum est phlogistorum. Ignis gradu differt penes Chemicos. Intenditur ejus calor arte, prout corporum textura obsequiosa plus, vel minus, id requirit. Minimus ignis est in vegetabili calore, qualis est ille, quo germen ex hordeo excitatur in zytopœia; alius vitali proximus est, quo ova ad maturitatem perducuntur; tertius aquas thermales æquat; quartus plumbum & zincum fundit; quinto ferrum liquefit; summus, illi similis est, qui speculis ustoriis excitatur ad calcinationem, & vitrificationem auri. Æquivalent igni fermenta, vinosa, acida, putrefactiva, quæ calorem internum partium concitant, vel conflictu elementa disturbant. Aer ad causas solutionum efficaciores pertinet; hoc solvuntur salia fixa, hoc ignis gradus intenditur, fermentativus motus, pro varia ejus temperie, augetur, vel imminuitur, isque juvat metallorum solutiones. Cuprum & spiritus salis ammoniaci in vacuo, non prout in aere, viridem producunt colorem; ast major est ebullitio. Aqua par est solvendis corporibus; simplicissima sales solvit; efficacior illa, quæ spiritus, vel oleum, solidiora corpora, disjungit. Ast menstrua omnia fluida haud sunt; nam & hydrargyrus corpora solvit. Finis Chymiæ analyticæ est, assequi vel ad theoriam, vel ad praxin, corporum elementa, aquam, terram, oleum, sal, prout unum alterumve, hoc, vel illo, abundaverit. Quædam tamen corpora

sale

ſale carent. Fixum in partibus animalium haud eſt; aliis deeſt ſalis volatilitas, prout metallis quædam corpora parte inflammabili deſtituuntur, lapides. Metallorum aliquis itidem eſt elementorum quaternio, prout id exemplo cinnabaris nativæ docetur, ex qua obtinemus ſulphur, mercurium, terram, & rem quandam acidam. Aſt non ſic obſequioſa ſunt reliqua metalla, de quorum Mercurio obtinendo multa experimenta adducuntur. Altera Chemiæ pars ſynthetica eſt, analytica multo utilior. Hæc ſuum in re familiari etiam uſum habet, quandoquidem eſt ars, analogum aliquod corpus illi, quod natura produxit, imitatione principiorum, producendi. Huc pertinent vinorum in priſtinum integritatis ſtatum reductio, ars cereviſiaria, deſtillatoria, mutatio & compoſitio colorum, ipſa medicina corporum, tam animatorum, quam vegetabilium, dum id ad rectum reducere tentat, quod a ſtatu naturali diſceſſit, Chemiæ ſyntheticæ pars eſt. De omnibus uberrima proponuntur experimenta. Metallurgia etiam illa attingitur, quæ metalli novi artificioſam compoſitionem docet. Dignus eſt liber, qui legatur, utpote quem ordo, & acre ingenium Autoris, commendant.

EXCERPTA EX LITERIS ANTONII LAZARI MORO ad F. O. M.

Intellexi nuper, qualecunque meum Opus *de Cruſtaceis* &c. inter *Acta Eruditorum Lipſienſia* (*A. 1744 Menſ. Maj. pag. 273*) relatum fuiſſe per Lipſienſes Eruditiſſimos Viros, quorum tu, aviti hæres inſtituti, magna cum laude familiam ducis. Itaque maximas ago tibi habeoque gratias, quod non modo opus tantilli pretii inter eximia magnorum virorum Opera recenſeri, verum etiam illius Autorem iis efferri laudibus, voluiſti, quæ tum exſpectationem, tum meriti noſtri exiguitatem, ſuperant. Si qui autem præter te Viri hanc in rem quidpiam operæ impenderunt, eorum quoque liberaliſſimo me devinctum eſſe officio, teſtatum velim. Ceterum, quoniam, qui ſe literis abdiderunt, præcipue vero qui literaria judicia ſuſcipiunt,

piunt, eos non magis, quid comitati colendæ, quam quid veritati tuendæ, tribuendum sit, penitus dispicere oportet; hic veniam ab suavissima humanitate tua, sociorumque tuorum, peto, *Menckeni* optime, ut, quid sentiam de judicio, quod in Opus meum dedistis, exponere liceat. Nullus hic dabitur locus querimoniæ, nullus invidiæ, nullus contemtui, nullus procacitati; sed omnia honori atque amori Veritatis litanda, ne, sicut inter homines quisque in eas, quæ magis arrident, sententias abeundi libertatem sibi vindicat, ita libertas hujusmodi, frænis nullis coercita, nos aut in errorem, aut in veritatis offensam, pertrahat.

Dubitamus tamen, (inquitis, estque ista vestri summa judicii,) *an terræ motus, & materiæ ex ignivomis montibus oriundæ, per strata varia dispersæ, omnes mutationes telluris explicare possint. Causam quidem concurrentem & sociam fuisse, nemo negabit, at vero primariam & solam fuisse, ex testimoniis Historicorum minime probari poterit; ideoque sola analogia, & conclusio a minori ad majus, ad hanc rem declarandam vix sufficiet. Cum tamen impossibile videatur, in re hac ardua, & longius a sensibus nostris remota, omnes errores evitare; in his exponendis sufficit omnino, phænomena cognita allegare, explicare, & ulteriori Physicorum disquisitioni permittere. Dubitamus* &c. Dubitandi rationabilem hic nullam esse causam, spero, fore, ut mox pateat. Primo enim, dum dubitatis Vos, an terræ motus, & materiæ ex ignivomis montibus oriundæ, per varia strata dispersæ, omnes mutationes telluris explicare possint, id in comperto esse existimo, hasce mutationes, de quibus incidit sermo, non esse mutationes leves, parvique momenti, cujusmodi sunt, quæ veniunt a pluvia, a fluviis, a torrentibus, a rupium quarundam ruinis, quas nostis me repetitis exceptionibus ab aliis diremisse; sed sermonem nostrum magnas principesque telluris mutationes respicere, ac præsertim quæ conjunctæ videntur fuisse cum parte aliqua phænomeni, quod ego primario explicandum suscepi. Neque ab ista mea sententiam vestram reor esse alienam: ideoque tanquam indubium habeo, dubitationem ve-

 stram

ſtram non circa leves illas, de quibus nulla poteſt eſſe controverſia, ſed circa magnas iſtas, telluris mutationes verſari.

Deinde, dum dicitis, *terræ motus, & materias ex ignivomis montibus oriundas, cauſam concurrentem & ſociam hujusmodi mutationum fuiſſe*, primo aliquid obſcuri, dein pugnam quandam, in ſermone veſtro video contineri, quorum utrumque, ut veritas elucefcat, aliquantulum excutiendum puto. Quoniam vero in omni veritatis perquiſitione, niſi lucidus ſervatur ordo, confuſio exoritur, ac veritas majoribus perpetuo tenebris offunditur; ordinis & claritatis gratia diſtinguantur hic oportes effectus a cauſis; & inter cauſas item alias ab aliis dirimere æquiſſimum eſt. Quod autem ad rem noſtram pertinet, terræ motum ego inter cauſas telluris mutationum recenſere non auſim. Omnis enim terræ commotio ab efficiente ac movente aliqua cauſa prodeat, neceſſe eſt. Dum itaque Vos terræ motum inter cauſas terreſtrium mutationum reponere videmini, id a Vobis per metonymiam fieri crediderim, qua effectus loco cauſæ reponi ſolet. At Vobis compertum jam eſt, tropicam locutionem in phyſicis rebus obſcuritatem parere; eaque de cauſa terræ motum potius inter effectus, quam inter cauſas, quod ad rem noſtram pertinet, cenſendum eſſe, facile mihi, ut puto, aſſentiemini. Ideoque terræ motus neque primaria, neque concurrens, aut ſocia, cauſa nobis erit; ſed effectus, individuus comes magnarum in tellure mutationum, quæcunque & undecunque illius ſit cauſa. Id autem ſi tenebimus, ſermonis obſcuritatem vitabimus.

Pugna item quædam inter ſermonis veſtri verba intercedere videtur. Nam primo dubitatis, *an materiæ, ex ignivomis montibus oriundæ, per ſtrata varia diſperſæ, omnes mutationes telluris explicare poſſint.* Deinde, ſublata dubitatione, has easdem materias cauſam, pronuntiatis, eſſe, concurrentem quidem & ſociam earundem mutationum; idque a nemine negandum arbitramini, ſed, ſi ejusmodi materiæ cauſa ſunt concurrens & ſocia terreſtrium mutationum, cur, quæſo, dubitatis, an iſtæ per eas poſſint explicari? Quænam aptior eſſe poteſt explicatio, quam explicatio effectuum per cau-

causas eorum? Per causas, inquam, quas veras esse causas, nemo, Vobis testantibus, negabit? At enim non sunt causa primaria, & sola. Hoc ipsum tamen non aufert ab iis (dum veræ sint causæ) aptitudinem suorum effectuum explicandorum. Aut igitur hæ materiæ e censu causarum sunt omnino rejiciendæ; aut dubitare non licet, num per ipsas telluris mutationes omnes possint explicari. Si meam de re ista sententiam postulatis; illud asserere audeo: materias, de quibus est sermo, omnium terrestrium mutationum materialem causam esse, efficientem non esse: divisionem vero causæ tum materialis, tum efficientis, in primariam & concurrentem, sive sociam, nihil aliud parere, nisi mentis confusionem.

Illud autem hic ego suspicor, quod, dum verbo materialem causam persequimini, re ipsa cogitatio vestra circa efficientem causam versetur; eoque magis augetur suspicio mea, quod statim atque meum *de Crustaceis* Systema exposuistis, sermone atque animo ab ipso meo systemate averso, in dubium revocare meam de re illa sententiam nitimini, dicentes: *Dubitamus tamen* &c. Cum autem statuerim ego, plurimis, iisque validissimis, rationibus innixus, subterraneos ignes effectricem esse causam magnarum omnium in tellure mutationum; de hac effectrice causa reor Vos dubitare, num omnibus telluris mutationibus apta sit explicandis; de hac Vos enuntiare, neminem negaturum, eam esse causam earum mutationum concurrentem & sociam; de hac vos evulgare, ex testimoniis Historicorum minime probari posse, eam primariam & solam terrestrium mutationum esse causam. Tripartitum itaque cum de re ista judicium vos emiseritis; ea de causa, ut mihi liceat hic tripartitas subjicere animadversiones, peto.

Subterraneos ignes, moles montium tollentes, & per aperta montium ora omnis generis materias emittentes, easque per varia strata in convallibus alibique disponentes, causam ego communem omnium magnarum in tellure mutationum asserui, probavi, &, ut puto, demonstravi. Vos contra de causa ista primo dubitatis, num omnibus telluris mutationibus apta sit explican-

 dis,

dis, sed, quia, cur dubitetis, nullam rationem adducitis, nullamque terræ mutationem, cui caussa ista non sit explicanda, profertis; ideo, dubitatio vestra ut sit rationabilis, maximopere verendum est. Si quam autem illiusmodi mutationem certo novistis, quæ explicari per hanc caussam nequeat; ut mecum eam communicare velitis, & peto, & rogo, & obtestor; ne mihi (quandoquidem, *Tullio* teste, dubitatio cogitationem significat injuriæ,) suspicari liceat, cogitationem injuriæ contra veritatem in animo vestro cubare, dum, veritatem cognitam Vobis esse, innuitis, sed eam alto premitis silentio.

Enuntiatis secundo, caussam terrestrium mutationum, a me propositam, esse caussam concurrentem & sociam; idque tam certo affirmatis, ut a nemine id negandum existimetis. Unde tam certa atque firma animi vestri de re ista persuasio ortum duxerit, divinare non ausim, nisi crediderim, Vobis inditam eam fuisse firmissimis iis rationibus, quas in opere meo legistis. Sed, quoniam ego, unicam horum effectuum eam esse caussam, demonstro, Vos autem illam concurrentem & sociam prædicatis, hinc, Vos ex me nihil hausisse, comperio. Verum, si momenta Vos tantæ firmitati parandæ habetis, cur tanto, tantique pretii, thesauro literariam rempublicam silendo fraudatis? Si rei tantæ caussam alteram primariam novistis, quæ, nisi luditis, tam certo Vobis debet esse comperta, quam certo alteram concurrentem & sociam asseritis; cur, quæso, illam anxie omnium literatorum exspectationi non panditis? Cur veritati, quæ tam diu eluctatur, ut e profundissimo emergat puteo, suppetias non fertis? Ego, ut ostenderem, subterraneos ignes effectricem caussam esse phænomenorum, ad rem nostram pertinentium, a cognitis ad incognita, Vobis ipsis fatentibus, progressus sum: quo vos itinere processeritis, me penitus latet. Video tamen, Vos mecum in eo convenire, quod, *Phænomena sola, caute observata, & inter se comparata, difficili huic doctrinæ lucem affundere*, arbitramini: quo dogmate nihil verius, nihil acceptius, dummodo etiam circumstantias rerum perpendendas includat, & Phænomenorum nomine non modo rerum præsentem statum, sed & facta,

qui-

quibus in statu, in quo nunc sunt, res ipsæ olim positæ fuerunt, intelligamus. Verum, etsi maxima æstimatione Vos prosequor, mirari tamen cogor, Vos meliora videre, ac probare, dein deteriora sequi: nam, etsi nullius Phænomeni exemplum habeatis, in quo alia præter ignem causa magnarum telluris mutationum sese prodiderit, ipsum tamen ignem causam concurrentem & sociam mearum mutationum esse vultis; &, aliam primariam causam non nominatam, incertam, atque abditam, subesse, quasi divinando, existimatis. An est ista (mihi, quæso, sic instanti parcite,) cautio illa, quam in Phænomenis observandis dogmate inconcusso statuistis?

Attamen, ignem hunc *primariam & solam earum mutationum fuisse causam, ex testimoniis Historicorum* (quæ tertia pars est judicii vestri) *minime probari poterit*. Non is sum ego, qui, nulli me obnoxium errori esse posse, existimem. In hunc tamen errorem, quem hic oblique mihi objectari sentio, me non incidisse, sum certus. Nunquam enim subterraneos ignes Phænomenorum, ad quæ explicanda animum appuli, causam primariam, sed ubique solam, dixi. Cuinam enim hominum, serio cogitanti, venire in mentem potest, unam eandemque & solam esse posse, & primariam, unius effectus causam? Si primaria, non sola; si sola, non primaria esse potest. Adeoque id omnibus persuasum puto, ut & de Vobis idem sentiam. Propterea vero unam eandemque causam a Vobis primariam & solam appellatam fuisse censeo, quod id inopinate de vestro ceciderit calamo. Quodsi, testimoniis Historicorum, putatis, sententiam meam probari non posse; id etiam a rei veritate alienum esse, ipsi noveritis, si mentis obtutum in ea convertatis quatuor capita historicarum observationum, quæ post *primum Caput* mei *secundi Libri* me enarrasse, Vos ipsi notastis. Illa sunt totius ædificii mei fundamenta. Nec alia de causa, subterraneos ignes, asserere sum ausus, unicam esse causam effectricem structuræ totius prope superficiem telluris, nisi quod ex testimoniis Historicorum didici, quorundam montium, quarundam planitierum, structuram per subterraneos ignes fuisse conflatam, atque

constratam. Ceterum Vos, quibus persuasum est, causam, per me propugnatam, concurrentem esse & sociam, fatemini, quæso, eo, qui vester est, candore: num id probari ex testimoniis Historicorum potest?

Judicio vestro tripartito consectarium quoddam, quandamque animadversionem, adjicitis: quorum utrumque quanti sit momenti, expendere hic, fortasse proderit. Consectarium hisce comprehenditur verbis: *Itaque sola analogia, & conclusio a minori ad majus, ad rem hanc declarandam vix sufficiet.* Consectarium hoc in duas divisum esse partes, video, quarum altera *analogiam*, altera *conclusionem a minori ad majus*, attingit. De utraque parte singillatim verba faciam; sed prius quiddam commune præmittam. Ex consectaneis hisce verbis unusquisque inferre potest, me in ratiocinatione mea sola usum fuisse analogia, semperque me a minori ad majus conclusisse; ac proinde me viam inivisse, quæ ad rei propositæ veritatem noscendam ducere vix possit. Quoniam autem ultima cujusque orationis pars profundiora, quam reliquæ partes, menti legentium imprimit vestigia; hinc, etiamsi narrationis vestræ initio dixeritis, *Phænomena sola, caute observata, & inter se comparata, difficili huic doctrinæ lucem affundere;* etiamsi testati sitis, me *in disquirenda telluris natura maxime ad Phænomena respexisse; crustacea animalia, & alia marina corpora, in diversis montibus, eorumque stratis, reperta, examinavisse; non mea tantum, sed aliorum quoque, observata, hac de re collecta, in indagatione veritatis adhibuisse;* etiamsi præterea fassi sitis, me *in hac tractatione a cognitis superficiei telluris mutationibus ad incognitas conclusisse;* Lectores tamen plerique, ne dicam omnes, narrationis vestræ priorum dictorum obliti, atque pondere maximo verendæ autoritatis vestræ pressi, tenacius postremæ vestræ adhærebunt censuræ, meque usum sola analogia, nempe argumentatione *a simili*, qua nulla argumentatio levior creditur, & conclusione *a minori ad majus*, qua nulla conclusio debilior putatur, existimabunt; ac proinde conjicient, me verbis inanibus aerem passim verberasse, pagellasque non nisi erroribus ople-

plevisse, præsertim cum Vobis subjicere placitum sit, *impossibile videri, in re hac ardua, & longius a sensibus nostris remota, omnes errores evitare.* At vero, quantum hinc damni noscendæ superveniat veritati, fortasse per ea, quæ sequuntur, commonstrabo. Venio itaque ad Analogiam.

Omnis Analogia (ut ipsi Vos me docere potestis) ex comparatione unius ad aliud exoritur. Omnis autem comparatio in similitudine, vel dissimilitudine, æqualitate, vel inæqualitate, fundatur. Si de similitudine rerum loquamur, vel dissimilitudine; ea vel refertur ad essentialia, vel ad accidentalia rerum attributa, si comparatio instituatur unius rei ad aliam respectu attributi accidentarii & contingentis, quicquid ex comparatione, vel analogia, colligemus, erit instabile, incertum, nutans, atque vix probabile; e. g. si dicam: Mores filiorum similes esse solent moribus patrum: atqui pater quidam optimis est præditus moribus: ergo & mores filiorum ejus erunt ejusmodi; conclusio ista erit incerta, neque moralem probabilitatem excedet. Item, si dicam: Homines in Europa nascuntur alba facie: ergo ubique terrarum homines alba facie nascuntur; tam languida & flaccida erit ista conclusio, ut nemo sensatus sit illi adhæsurus. Contra vero, si comparatio instituatur unius rei ad aliam relate ad attributa rerum essentialia, & ad similitudinem naturæ, quicquid ex comparatione, sive analogia, colligemus, erit firmum, constans, atque certissimum; e. g. si dicam: Homines in Europa sunt ratione præditi: ergo homines ubique terrarum sunt ratione præditi; conclusio erit certissima. Item, si sic argumenter: Homines quidam, quos agnosco, ex quadam determinata causa certam quandam habuerunt originem: ergo omnes ubique homines ex simili determinata causa similem habent originem; certissima erit conclusio, & procul ab omni dubio.

Nunc ad dogma vestrum accedamus, quo, analogiam ad rem nostram declarandam vix suffecturam, dicitis, si comparatio instituatur unius insulæ ad aliam, unius montis ad alium, unius strati ad aliud, relate ad accidenden-

dentarium aliquod attributum; ad rem declarandam, aut probandam, infirma erit conclusio, & nulla explicatio ex analogia deducta. E. g. si dicam: Montes quidam castaneas gignunt; non licebit inferre propter analogiam inter montem & montem, montes omnes producere castaneas; quia castaneas producendi facultas non essentialis, sed accidentaria, est monti. Verum, quia essentialis est relatio effectus ad causam, quotiescunque instituetur comparatio rerum harum relate ad earum causas, quibuscum necessarium habent nexum, optima erit, certa, & solidissima, deductio. Tantum abest autem, ut ejusmodi analogia inter causas & effectus non sufficiat ad legitime concludendum, ut Celeberrimus & præstantissimus ille Philosophus, *Isaacus Newtonus* analogiam istam posuerit tanquam firmissimum totius Philosophiæ fundamentum. Ego vero satis mirari non possum, Vos tanti Viri tam parvi fecisse sententiam, quam adhuc a nemine in dubium revocari comperi. Præterquam quod Principium illud vulgatissimum, syllogisticæ artis fundamentum & columen, videlicet: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; quid aliud est, nisi analogia quædam, qua omnis argumentandi firmitas & soliditas innititur? Quapropter, nullo jure (nisi ego penitus desipio) cum solam analogiam dicitis ad hanc rem declarandam vix sufficere, iis, qui vestra legunt, umbraticum timorem incutitis, ut satis bene per analogiam ego sententiam meam statuerim. Quod bene quidem verteret, si comparatio mea inter accidentaria facta esset. Verum, quia semper in essentiali naturæ similitudine conferenda versatus sum, tanta vi sententiam meam solidasse me reor, ut rei nostræ explicandæ large sufficiat. Ut clarius autem vis analogiæ in ratiocinatione mea pateat; ad amussim logicalium regularum eam componam, &, principio *Newtoniano* innixus, sequenti syllogismo complectar:

Effectuum naturalium ejusdem generis eadem sunt causæ;
Omnes Insulæ sunt effectus naturales ejusdem generis;
Ergo omnium Insularum eadem sunt causæ.

Quod

Quod autem concludo de Insulis, idem concludendum de montibus, idem de stratis totius telluris. Ceterum nocetne analogia veritati & firmitudini hujusce Syllogismi? Severo ipsum subjicite examini: singulas expendite propositiones. Si cui autem sunt obnoxiæ vitio, admonete me, arguite, objurgate. Quicquid dicetis, æqui bonique faciam; imo magno in pretio habebo. Verum sinite me, quæso, argumentatione progredi:

Omnium Insularum eædem sunt causæ:
Ergo, quæ causæ aliquot Insulas produxerunt, eæ produxerunt Insulas omnes.

Subestne hic ulla fallacia? Peccatne alicunde ista conclusio? An vero potius cernere incipitis, quæ sit vis analogiæ in iis, quæ sunt natura similia? Prosequor:

Quæ causæ aliquot Insulas produxerunt, eæ Insulas produxerunt omnes:
Atqui certo novimus, aliquot Insulas per subterraneos ignes productas fuisse:
Ergo Insulæ omnes per subterraneos ignes productæ fuerunt.

Hæc est tota ratiocinii mei analogia, cui si altera accedat *Newtoniana* philosophandi regula: *Causas rerum naturalium non plures admitti debere, quam quæ & vere sint, & earum Phænomenis explicandis sufficiant;* in eam spem venio, ut & Vos fateamini, per istiusmodi analogiam non infirmari, sed maxime roborari, vim & demonstrandi, & explanandi rem nostram, ceteroqui perdifficilem. Ut autem multo magis innotescat, quanta sit analogiæ ad concludendum virtus, quando de iis comparandis agitur, quæ similia sunt natura, sive quæ unius ejusdemque sunt generis, illud oro, ut intento animo perpendatis, vim omnem illam maximam, quam ad de-

demonſtrationem faciendam habet analogia in rebus geometricis atque arithmeticis, ex eo oriri, quod res comparatæ ſub uno eodemque genere contineantur. Quodſi fundamentum hoc tantam habet in geometricis & arithmeticis vim; vis ea profecto minime debet in phyſicis imminui, cum ejus imminuendæ nulla ſit cauſa. Nolite itaque, nolite, quæſo, ſi veritatem amatis, animos hominum a veritate comperta per id ipſum avertere, quod ad eam cognoſcendam maxime conducit.

Ad alteram nunc conſectarii partem, quæ de concluſione *a minori ad majus* eſt, paucis accedo. Hujus argumentationis natura hæc eſt: ut, ſi quidpiam, quod minus probabile eſt, verum ſit, multo verius debeat id eſſe, quod magis probabile eſt; ſoletque ſemper argumentatio iſta circa contingentia verſari: minimumque roboris habet in inquirenda rerum phyſicarum natura & origine. Verum argumentatio mea hujusce non eſt modi; eſt enim a parvo ad magnum, cujus fundamenta ſemper poſui in ea analogia, quæ inter ea intercedit, quæ ſimilia ſunt natura, atque ejusdem ſunt generis, ut oſtenderem, eandem originem atque cauſam habuiſſe magnas juxta ſuperſiciem telluris moles, quam habuere parvæ, neque argumentatio iſta obnoxia videtur eſſe errori. Quis enim mihi errori tribueret, ſi, viſis quibusdam hominibus ſtatura decempedalibus, aſſererem, eos ſimili cauſa & origine productos fuiſſe, ac noſtrates homines, qui multo minores ſolent eſſe ſtatura, hoc tantummodo niſus principio, quod illi ſint iſtis natura ſimiles? Quapropter, cum non ſit argumentatio mea *a minori ad majus*, quæ quandam probabilitatem ſolummodo gignere ſolet, ſed ſit ab analogia ſimilitudinis inter ea, quæ ſunt ejusdem generis ac naturæ, quæ argumentatio certam cognitionem parit; hinc, niſi prorſus ego deſipio, palam cognoſcimus, neque jure, neque merito, hanc a Vobis concluſionem *a minori ad majus* vocari, aut eam, ad rem noſtram explicandam, vix idoneam pronuntiari.

Nunc

Nunc ad animadversionem, quam judicio vestro subjicitis, animum convertamus. *Cum tamen impossibile videatur,* (inquitis,) *in re hac ardua, & longius a sensibus nostris remota, omnes errores evitare; in his exponendis sufficit omnino Phaenomena cognita allegare, explicare, & ulteriori Physicorum disquisitioni permittere.* Duae pariter in hac animadversione sunt partes, ex quarum altera alteram extrahi cerno. Quod autem ad priorem spectat, experimento nimis infelici cognoscimus, errandi pericula hoc in negotio esse confertissima. Plures in illis scriptores collapsos fuisse, ego, nisi prorsus hallucinor, in *primo Libro de Crustaceis* demonstravi, sed, quoniam errores in mente ita plerumque se habent, uti naevi se habent in facie, quos, qui gestat, non videt; facile mihi forte fuit, errores notare alienos, meos vero mihi per memet intueri non datur. Quare Vos vehementer etiam atque etiam rogo, obtestorque, ut lapsus meos, quibus Tractatum meum scatere forte vidistis, mihi quoque significare non pigeat, ut discam posthac pede cautiore incedere. Imo, quoniam oratio vestra, qua impossibile innuitur fuisse, errores omnes in re ista evitare, adeo firmam errorum istorum opinionem animis vestra legentium ingerit, ut illis dubitare non liceat, quin plures operi meo fuerint errores immixti, autor esse vobis audeo, ut, si quidpiam veritatis amor in Vobis pollet, non modo me privatim de erroribus illis, verum etiam publice universam literariam rempublicam, commoneatis. Hinc enim fiet, ut &, qui mea legunt, vera a falsis discernant, & veritati suus servetur decor, & Vos munere sapientia vestra digno functi fuisse videamini. Contra vero, si silere pergetis, vestra nullo limite arctata commiseratio errorum in re ista, ut putatis, inevitabilium id efficiet, ut eorum plurimi, qui mea legent, passim vera pro falsis, falsa pro veris, promiscue habeant, atque omnia mea meticuloso inspecturi sint oculo; efficiet item, ut veritati non parum decoris dematur; quod, ubi forte ipsa veritas adest, larvati sub ejus specie errores intrusi putabuntur; ac tandem ef-

ficiet, ut Vos dignitati vestræ, mihi semper spectatissimæ, non satis prospexisse existimemini, qui, multorum errorum suspicione injecta, errorem nullum re ipsa patratum fuisse, monstraveritis.

Pars altera animadversionis vestræ, quæ ex priore per Vos deducitur, hæc est: *In his exponendis sufficit omnino, Phænomena cognita allegare, explicare, & ulteriori Physicorum disquisitioni permittere.* Aliud quiddam, diversum ab eo, quod verba ista obvia significatione præ se ferunt, in mente vestra fuisse, dum hæc dictabatis, existimo. Nam non, quæ cognita, sed quæ obscura, quæ implexa, quæ involuta sunt, opus est explicare, & ulteriori Physicorum disquisitioni permittere. Historico quidem sufficere omnino, Phænomena cognita allegare, & incognita ulteriori Physicorum disquisitioni permittere, ultro Vobis assentior, sed, si, hoc idem officium esse Philosophi, Vos arbitrari crederem, sapientiæ vestræ injurius essem. Nam Vos minime præterit, Philosopho satis non esse, cognita allegare Phænomena, ut abscondita, quam ipse inquirit, veritas detegatur, & innotescat; constatque Vobis, cognita incognitis esse applicanda, & exquisita comparatione inter se conferenda, ut, explorata omnimoda incognitorum cum cognitis habitudine, quod de istis agnovimus, id affirmare de illis possimus. Quam viam si ego inire quoquo modo tentavi, id mihi a Vobis vitio verti, vix ausim putare, nisi illud mente intelligitis, quod verba vestra obscure quidem indicare, non tamen palam edicere, videntur, nempe meam plectendam esse tum imperitiam, tum audaciam, quod mihi munus præripuerim, primorum subselliorum Physicis relinquendum, sed, quia nostis, me operis mei initio meam ipsius tum imperitiam accusasse, tum audaciam metu non parvo temperasse; neque pluribus in locis propositam quæstionem ulteriori Physicorum disquisitioni & permisisse, & commendasse, vix mente possum percipere, tum quid pœnæ fuerit a severitate judicii vestri imperitiæ meæ timendum, tum quid veniæ non fuerit a comitate vestra humanissima audaciæ meæ sperandum. Valete.

PARA-

PARAGONE DELLA POESIA TRAGICA D'Italia con quella di Francia, &c.

id est,

COMPARATIO POETICES TRAGICÆ, ITAlis consuetæ, cum Poetice tragica, qualem adhibent Galli.

Tiguri, typis Marci Rordorf, 1732, 8.
Plag. 13.

Potuisset Autor, alias satis notus ac celeber, nomen suum scripto huic præfigere summo suo cum jure, siquidem fœtus parente suo haud est indignus. At modestia ipsum videtur impedivisse, quo minus famam opere politissimo sibi studuerit parare, ni forte veritus fuit, ne Poetarum alterius nationis odia incurreret invitus. Editor, cui Autor libellum hunc donaverat, Epistola Latina præmissa *Commentarium* hunc vocat *subacti ingenii*, *acerrimi judicii*, *& recondita eruditionis*, *fœtum*. Cui judicio quo minus album calculum adjiciamus, nos haud possumus temperare. Editor, cui Autor librum inscripsit, vocatur *Jacobus Bodmer*, isque perhibetur Autorem ad hoc opusculum adornandum excitasse. Illustrissimus Marchio *Scipio Maffei* in Præfatione Pag. 2. ad *Theatrum Italicum* Italicam Tragœdiæ componendæ artem præposuit ei, quam Galli solent in usus convertere suos, brevius tamen sese expediens. Autor vero ex professo exploratum ivit, quanta utriusque Poeseos tragicæ sit excellentia, quantum utrique ponendum sit pretium, & quanti in utriusque nationis Poesi tragica supersint nævi. Ut feliciter propositum persequeretur, discrevit prudentissime ea momenta, quæ in Poesi tragica separatim sunt 3. consideranda, & quæ ad perfectionem artis hujus obtinendam conferre decet. Fabula enim est Tragœdiæ anima. In censum quoque veniunt consuetudo, sententia, sermo, ac metrum. Præterea usus ipse exigit, ut indolem actionum

tragicarum ob oculos habeamus, mutationum ac viciſſitudinum ſubitanearum modulos, epiſodia. Operæ quoque pretium eſt, examinare artem præparandi fortuitos eventus, diſtribuendi actus & ſcenas, ſummam dialogorum, uſum ſoliloquiorum, licet hæc per ſeſe familiam haud ducat. Ut populo gaudia & voluptates ſuppeditarent viri ſummi, excogitata ab eis fuit olim tragœdia. Perfectione Græci eam perfuſuri, excoluere inprimis ſpecies ejus potiores, dramaticam
Pag. 4. ac epicam. *Homerus*, *Æſchylus*, *Euripides*, & *Sophocles*, in ea arte excelluerunt, id agentes ſimul, ut ſpectatores deducerent ad virtutis ſenſum. *Ariſtoteles* & *Horatius* Poeſin tragicam in artis formam redigere tentarunt. Inter Italos ſub initia Seculi XVI *Joannes Georgius Triſſinus* tragœdiam primam Italice conſcripſit, cui ſucceſſere *Rucellaus*, *Speronius*, *Giraldus*, aliique. Inter Gallos *Jodelius* ac *Ronzardus*, Italorum exemplo invitati, tragicæ rei animum appulerunt, licet applauſu longe minori, eo quod literatura Gal-
5. lorum ea ætate adhuc erat infirma & infans. *Quinaltus* majori approbatione exceptus fuit Seculo ſuperiori, licet a nævis minus liber. *Petrus Cornelius* omne propemodum tulit punctum, eumque imitati fuere recentiores Gallorum tragœdi. *Ariſtoteles* an id, quod in tragœdia eſt præſtantiſſimum, finique convenientiſſimum, intellexerit, quæſtio eſt anceps. Regulæ autem prius afferendæ ſunt univerſales, ad quas tanquam ad lapidem Lydium ſpecimina artis ſunt exigenda. Ignoramus fere, an rei tragicæ periti conſenſu quodam ſolido congeriem regularum ſuſceperint, aut ſuſcipere unquam velint. Galli ſane nec *Ariſtotelem*, nec *Horatium*, nec Patris *Boſſu* librum de Poemate epico, morantur, ad tribunal ſenſus communis judiciique, e naturalibus genuinisque rerum practicarum princi-
9. piis deducti, provocantes. Eundem inſiſtit tramitem Autor, uſus ea diſcernendi judicandique facultate, quam Galli *l'eſprit de Philoſophie* vocant. Libellum ſuum in *Capita ſeptem* diſtribuit. *Primo Capite* pertractat fabularum tragicarum, & ab Italis, & a Gallis, ſcriptarum, indolem ſecundum potiſſimum

ſui

ſui momentum. *Secundo* differit de circumſtantiis, quæ in ſubitis ac inexſpectatis eventibus Tragœdiarum ſuo haud deſtituuntur effectu; *tertio* exponit de epiſodiis; *quarto* Pag. 43.
agit de principatu, quem Galli in ordine ac forma Tragœdiarum obtinuerunt; *quinto* expendit regulas de moribus 88.
& conſuetudinibus; *ſexto* de generibus ſtili differit, quo tragœdiarum utriusque nationis ſcriptores utantur; *ſeptimo* 158.
denique de diverſis metris, queis Itali ac Galli in Tragœdiis conſcribendis uti conſueverunt. Loco epiſodii, ſeu concluſionis, diſputat de Tragœdiis Domini *de la Motte*. Scopum primarium Tragœdiæ in expurgandis affectibus vi- 182.
tioſis per affectus puriores verti, ſibi perſuadet, eoque nomine Italos Gallis eſſe anteponendos arbitratur. Id quoque 18.
plerisque Gallorum Poetis tragicis vitio vertit, quo hi rebus venereis plerumque indulgent exponendis, digreſſionibusque ſcatent. In eo, quod ad decorum attinet, putat ſeſe inve- 51.
veniſſe aliquid, quod & Gallorum & Italorum Poetis curæ cordique eſſe debet ultra eam, quam ipſi tenent, conſuetudinis formam. Nec ſibi temperat, quin in utrisque, ac 102.
præcipue in *Petro Cornelio*, nævos ſtili notet. Linguam Ita- 120.
lorum æque accommodatam eſſe ad Poeſin tragicam, exiſtimat, ac ea, qua utuntur Galli. Metro autem Italorum principatum tribuit haud obſcure, ſimulque P. *Jacobum Martelli* refellit. Nec omittendum eſt, Clariſſ. *Joſephi Salii* tragœdiam *Temiſto* ab Autore videri labecula quadam adſpergi, quam ille a ſuo ſcripto A. 1732 Patavii amolitus fuit, edito ibi Commentario critico, cui titulus: *Eſame critico di Giuſeppe Salio, Padovano, giam Segretario perpetuo dell' Accademia de' Ricorrati, intorno a varie ſentenze d'alcuni rinomati Scrittori di coſe poetiche, e in particolare del paragone della Poeſia Tragica d'Italia con quella di Francia* 1732, 8, pagg. 380.

LETTRE D'UN MATHEMATICIEN A UN Abbé, &c.

id eſt,

id eſt,

EPISTOLA MATHEMATICI AD ABBAtem quendam, qua oſtenditur, materiam in infinitum haud eſſe dividuam, infinita in numero rerum creatarum nec numeri, nec magnitudinis, reſpectu dari, ac Metaphyſicos, ſecus cogitantes, Mathematicis imponere, ſuisque in demonſtrationibus falli, quoties eis ad ſtabiliendas opiniones ſuas utuntur.

Pariſiis, apud C. A. Jombertum, 1737, 8.
Plag. 6.

Hæc eſt prima illa Epiſtola, qua progreſſus materiæ in infinitum dividuæ profligatur. Addidit ei Autor idem ſecundam & tertiam. Plagulis 12 ſecunda conſtat, ac perſequitur materiam, ad juſtos limites revocatam per veram Metaphyſicam & Mathematicos. Tertia complectitur plagulas 4, verſata in ſolvendis quamplurimis difficultatibus metaphyſicis ac mathematicis, quæ indiviſibilitati materiæ opponi poſſunt. Autor *infinitum* bifariam interpretatur, ſiquidem id vel quibuscunque caret limitibus, vel eis quidem eſt præditum, quos tamen nos aſſignare & determinare haud valemus. Priori
Epiſt. I pag. 8. ſenſu ſolum Deum eſſe infinitum, oſtendit. Numerum ſumi docet vel in abſtracto, vel in concreto; illum a nobis mente duntaxat figurari, ac nonnunquam fere cogitari, velut infinitum; hunc vero ad res creatas eſſe referendum, & ſemper manere finitum. Notatu digna credimus hæc, *pag. 12*
10. prolata: *Deus potuit creare inde ab omni æternitate haud ſecus ac poteſt creare, durante omni æternitate.* Poſſibilia, quæ Deus mente conſpicit cernitque, eſſe ita innumerabilia, credit, & infinita, ut eis æqualem numerum cogitare haud poſſimus, quantumcunque ſimus vel addituri, vel multiplicaturi.

cari. Numeros indeterminatos, qui infiniti vocantur, Pag. 13.
Autor oſtendit, eſſe duntaxat tales per mentis abſtractionem,
non re ipſa. Numerus enim rerum creatarum manet 17.
ſemper limitatus, ſive ad vires, ſive ad numerum ipſum
earum, reſpicias. Sin vero materiam ponis, qua creatam
in infinitum individuam, non potes non limites earum
tollere, eamque Deo æquiparare infinito. Individua 18.
materiæ an ſint penetrabilia, an impenetrabilia, an
reſiſtant, nec ne, in ſcholis diſputare ſolent. At, ſimul
ac, materiæ repugnare infinitam indiviſibilitatem, oſtenderis,
ad quæſtiones illas facile reſponderi poterit. Sunt enim individua
illa nec penetrabilia, nec impenetrabilia, ſiquidem
haud ſunt extenſa. Vi vero reſiſtendi ea ſunt prædita, ac ob- 19.
viare ſibi poſſunt ſecundum directiones oppoſitas. Vis illa
eis eſt naturalis ac eſſentialis, eaque differunt ab entibus individuis,
quibus ineſt vis cogitandi. Sufficit, ut ipſa ſint ex- 20.
tra ſeſe poſita, ſiquidem eo modo ſatis innoteſcit origo, qua
coeunt & oriuntur *compoſita* ac corpora. Id vero, cujus terminus
a nobis nequit definiri, vel aſſignari, & illud, quod
quacunque additione & multiplicatione peracta exhaurire
non poſſumus, nec eſt limitibus vacuum, nec a Deo tanquam
a limitibus immune creari poteſt, ſiquidem Deus id creare
non poteſt, quod potentiam ipſius limitat, vel contradictionem
involvit. Unde facile pateſcit, lineam Geometrarum 24.
infinitam ſatis eſſe diverſam ab ea, quæ omni limite caret,
ni malis, Deum aut exhaurire potentiam ſuam, aut ea facere
poſſe, quæ contradictionem involvunt. Crepant quidem 26.
Mathematici infinita, lineam admittunt infinitis conſtantem
punctis, calculum infiniteſimalem docent ſuos, lineas incommenſurabiles
dari credunt, aſymptota largiuntur, quæ
ſemper propius ad hyperbolen accedunt, licet eam nunquam
valeant attingere. At iidem ponunt, punctum eſſe quoddam
individuum, & ipſi id vocant infinitum, cujus limites
habent pro *inaſſignabilibus*, ſeu haud definiri aptis. Idea infi- 37.
niti penes ipſos eſt *relativa*, ad naturam rei per ſeſe conſideratæ
haud accedens. Phyſici certe, dari numerum partium,
qui a nobis definiri determinarique haud poteſt, uno

ore largiuntur. Physici existimant ipsi, comparationem in-
stitui posse inter duo quanta, in quorum altero id, quod
differt, ita est minutum & exiguum, ut a nobis definiri
assignarique haud possit. Mathematici id vocant *infinite*
Pag. 38. *parvum* per ideam relativam. Unde illud denuo perspici-
tur, doctrinam de ideis relativis in libellis Logicis merito
locum occupare, dummodo ipsa perspicue & plene & scien-
tiis congruenter tradatur. Quæ de incommensurabilibus &
asymptotis Autor attulit, hic omitti possunt, siquidem ea
in Elementis mathematicis traduntur. Id vero attentione
est dignum, perspicue docuisse Autorem, ne quidem ex illis
Mathematicorum particulis colligi quidquam posse, quo con-
ficere valeamus, existere infinita præter Deum. Objece-
runt ipsi hoc affectatores *Cartesii*, quod inconveniens videa-
57. tur, *Cartesio* reclamare. Respondet vero Autor, *Cartesium*
& *Cartesianos* sibi suæque sententiæ haud repugnare, quo-
rum quippe *indefinitum* haud sit aliud ac suum *inassi-
gnabile.* Distinguendum porro docet inter sensum propo-
sitionis, abstracta continentis, physicum & geometricum.
Geometra enim sumit tantum ex phænomenis naturæ,
quantum scopo suo sufficere putat; Physicus vero phænome-
na rerum creatarum, uti re ipsa sunt conjuncta, conjungit,
& ad principia eorum per observationes & ratiocinationes
70. cursum judicii persequitur, quoad potest. Geometra par-
tes cubiti unius æque ac alterius assumit æquales similesve.
Scopo enim suo ita satisfacit. At Physicus non potest ad-
mittere *indiscernibilia*, siquidem, ea, quæ cognosci possunt,
diversitate quadam esse insignita, necessum est. Tantum ve-
ro abest, ut mathematicæ scientiæ faveant indivisibilitati
materiæ, ut potius ipsæ ultra id, quod est *inassignabile*,
haud progrediantur. Atque id ipsum eis est inculcandum,
qui *simplicissima naturæ elementa* & *monadologiam* assen-
su suo dignari recusant, admissuri potius labyrinthum pro-
gressus causæ materialis in infinitum, quam veritati ma-
Epist. II nus daturi. In *Epistola secunda* Mathematicus, cujus nomen
pag. 5. latere dolemus, docet, quomodo illa simplicissima elemen-
ta, quæ existunt nec spiritus, nec corpora, possint esse
apta

apta ad constituendam corporum compagem. Inprimis monet, imaginationis insultus haud esse collocandos in solio rationis, sed id potius, quod debitæ demonstrationi insistit, semper ob oculos esse ponendum. Exemplis geometricis, Pag. 8.
uno & altero, dari ejusmodi imaginationis incommodá, docet. Indivisibilitatem materiati denuo impugnat, eo quod, ipsa, 12.
admissa, non possumus non in uno loco minimo admittere infinitos locos, quod ipsum contradictione laborat, certe indicio est, Deum simul producere omnia in sese possibilia. Quis autem, quæsumus, haud intelligit, utramque sententiam esse oppido insulsam? Et quis ea, quæ sunt in infinitum 16.
individua, dividere potest? Unde sequi videtur, pennam meam, licet eam dissceces, haud esse divisam, nec dividi posse. Frustra tradunt nonnulli, partes materiati singulas esse materiam. Nam quis contendet, omnes partes exercitus 18.
esse exercitum, & singulos milites exercitum dici posse? Quis affirmabit, Deum id materiæ attributurum, quod materiæ, limitibus haud carenti unquam, ejusque essentiæ, repugnat? Deus certe finitudinem haud detrahet materiæ, 22.
ut ipsa ad infinitatem educatur. Qui divisibilem credunt ma- 27.
teriam in infinitum, solent ita argumentari: dimidium, cujuscunque illud tandem sit magnitudinis, aut exiguitatis, essentialiter compositum est ex duabus quadrantibus, quadrans vero constat ex duabus partibus octavis, hac ratione $\frac{1}{2}$ $\frac{2}{4}$ $\frac{4}{8}$ $\frac{8}{16}$ $\frac{16}{32}$, &c. Si sumseris unam quadrantem ex $\frac{2}{4}$, illa quadrans una erit $= \frac{2}{8} = \frac{4}{16} = \frac{8}{32}$. Si rursus sumseris unam octavam ex $\frac{2}{8}$, illa unica octava erit $= \frac{2}{16}$ $\frac{4}{32}$ $\frac{8}{64}$, &c. & sic in infinitum. Provocant præterea ii, qui sic sentiunt & ratiocinantur, ad Mathematicorum demonstrationes. At facilis succurrit responsio. 28.
Si fingimus cum Geometris partes totius pro arbitratu, tunc

ad utrumque possumus esse parati ostendendum. Pone enim duos casus: primus erit, ut, materiam dividi posse, dicas in partes aliquotas; secundus erit, ut, eam dividi posse, statuas, in dimidia dimidiorum. *Priori* casu demonstrabitur, materiam haud esse dividuam in infinitum; *posteriori* ex
Pag. 30. casu intelligetur, eam esse dividuam in infinitum. At, quia Deus dispicit omnino omnia loca, per quæ hoc, vel illud, corpus potest simul dissecari, eapropter omnino existimandum est, materiam esse dividuam. Cum hæc plenius exposuisset Autor; ipsi placuit ad alias objectiones solvendas progredi, & quidem eas, quibus simplicissima mundi ele-
38. menta infestantur. En primam: *Materia & substantia, ideoque individua mundi elementa, si qua sunt, ipsa quoque debent esse substantiæ; quis enim dixerit, substantias componi ex modis, aut accidentibus? Si ipsa autem sunt substantiæ, erunt quoque materia, seu id, quod fœtum fœcundumque est partibus.* En modum solvendi. Non omnis substantia est materia. Quis enim Deum & Spiritus vocare ausit materiem? Individua illa sunt omnino substantiæ, licet sint neque spiritus, neque corpora, sed tertii generis quiddam. Materiem
41. esse substantiam, pernegamus. En secundam: *Resistentia exoritur ex unione partium; at individua carent partibus; ergo haud sunt prædita vi resistendi; unde porro sequitur, corpora, quæ ex eis coaluerunt, hac vi carere, quod est absurdum.* At hinc potius colligendum erat, vim inesse individuis, eorumque directiones contrarias gignere id, quod vim reagendi, seu resistendi, vocamus. Si directiones illæ contrariæ fuerint propemodum æqualium virium, inde oritur coa-
42 seq. litio, qua juxta sese sita sunt illa individua. Hæc coalitio, quæ exigit, ut quodque individuum sit in proprio suo loco, constituit *materiem*, seu tendentiam plurium physice unitorum ad resistendum. Hinc a priori patescit, quid sit materia, & quæ ejus sit origo. At *undenam*, quæris porro, *directiones illæ individuorum contrariæ ceperunt sua primordia?* Respondendum est, illas niti legibus, a Deo prædefinitis. Simul ac enim in caussis secundis nil restat, unde possint effectus exponi, ad caussam primam est recurrendum. En

quar-

quartam: *Si corpora formari possunt per individua; quid impedimento erit, quo minus fateamur, ipsa corpora formari posse per spiritus dispositos in longum, latum, & profundum?* Nihil, fatemur, est impedimento. Quis enim Jovem jurabit lapidem, extensionem, generatim sumtam, esse differentiam materiæ essentialem? At individua illa constituunt materiam, quæ est impenetrabilis, ac vim resistendi tenet, nec sese motu instruere, vel figuram mutare, per sese potest. Hæc materia haud coalescit ex spiritibus, arcte congregatis, quippe quibus est intellectus, voluntas, & agendi libertas, libertas accedendi & recedendi, cogitandi, ordinemque pro arbitratu mutandi priorem. En quintam: *Ponamus, Deum velle privare cœtum quorundam spirituum facultate cogitandi, & ei dare vim resistendi, nonne tunc erit verum, spiritus hosce genuinum corpus esse constituturos?* At quis negabit, spirituum essentiam consistere in eo, quod ipsi sunt præditi intellectu & voluntate? Si Deus eos privat hac facultate, ipsi haud amplius sunt spiritus. De reliquo haud negamus, Deum posse e spiritibus facere, mutata ipsorum essentia & sublata, corpora, siquidem e lapidibus potest creare filios *Abrahami*. Non potest hic objici id dogma vulgare, quo essentias existimamus esse æternas & immutabiles, siquidem nil obstat, quo minus res desinat esse id, quod fuit, & aliud quid fiat. Autor paulo post argumentum ex ipsa Geometria nectit adversus materiæ indivisibilitatem. Ejus argumenti hic est cardo: *Si ex singulis punctis magnæ peripheriæ possumus lineas ducere ad centrum, ita, ut lineæ illæ sese in via haud confundant, ac cadant alia super aliam, ad minimum duæ super duas, lineæ hæ, semel ductæ, implebunt aream circuli eo pacto, ut dicere liceat, ut valor hujus areæ sit æqualis summæ duarum linearum. Cum itaque singulæ harum linearum futuræ sint æquales radio circuli, & numerus earum tantus sit, quantus est punctorum, peripheria contentorum, numerus; summa harum linearum erat æqualis facto radii per universam peripheriam. Si igitur multiplicaverimus peripheriam per radium, valorem areæ habebimus. At hoc est penitus falsum, siquidem Geometræ solidissima ratione demonstrant, aream circuli esse producto dimidii*

Pag. 44. — 46. — 47. — 48. — 49. — 51. — 62.

dii radii per peripheriam æqualem, id est, valet duntaxat dimidio producti, quod antea inveneramus. Quo ipso falsum esse perspicitur, omnes lineas, ductas ex omnibus punctis peripheriæ ad centrum, sese haud confundere; nam, si area eas contineret universas citra confusionem, ipsa ad minimum esset tanta, quanta est earum summa, dum tamen area dimidio duntaxat est æqualis.

Pag. 64. Lineas in hac demonstratione Autor substituit simplicibus rerum elementis. Ostendit deinde, aream circuli esse æqualem non nisi producto, seu summæ dimidii radii per peripheriam.

65. Pone autem, spatium, per quod lineæ illæ ducuntur, divisum esse per illam dimidii summam. Hoc si feceris, an illud perhibebis ab alia summa dividi posse? Haud certe affirmabis. Sed

76. quid inde consequitur? Id inde conficitur, spatium illud haud esse dividuum in infinitum. Qui infinitam propugnant corporis extensionem ac divisibilitatem, eorum est, gradus 60 circuli ejusdem admittere infinitos, simul tamen largiri, gradus 60 esse finitos, quia sunt 60; esse tamen simul infinitos ex hypothesi: posse mensurari, siquidem angulo, quo mensurantur, continentur finito; simul tamen haud posse mensurari, quia gradus infiniti haud mensurari possunt ab angulo finito. En insulsa illa corollaria, quæ eis arrident, quibus elementa corporum simplicia haud probantur. Autor ex Philosophia sua ejicit vocabula *penetrabile* & *impenetra-*

Epist. III *bile*, supstituitque eis id, quod *resistit*, vel *non resistit*. Est,

pag. 9. qui quærit, *an elementa illa simplicia, si sint in eodem loco,*

11. *sint unum in altero, aut unum extra alterum.* Respondet Autor, dari tertium, siquidem perhibendum sit, individuorum unum haud esse in altero, siquidem ipsa haud habent interius quid: nec eorum unum esse extra alterum, siquidem haud occupat loca diversa. Imaginatio hic nobis multum negotii facessit haud secus ac in spirituum contemplatione. Est, qui objicit, *elementis illis individuis substitui posse spiritus, ideoque ex hisce mundum corporeum coaluisse, quo ipso*

29. *corruat religio omnis.* At quis substituet? Præter Deum id nemo potest. At num hic inutiliter quidquam producit? An ei indit intellectum & voluntatem, qui hisce facultatibus in æternum haud indiget? Utinam ea legerentur a consequentiarum odio

odio plenarum architectis, quæ Autor monuit & salubriter & perpulchre. Eam ad extremum ejicit objectionem, quam nonnulli a motus natura & origine desumunt, quippe quam cum indole individuorum elementorum haud queunt conciliare. Nostrum est, eos, qui Monadologiam haud satis norunt concoquere, vel doctrinam de simplicissimis mundi corporei elementis fastidio dignam existimant, ad hanc Epistolarum trigam remittere, ubi calescent plus satis. Pag. 36. 39 seq.

ELOGE FUNEBRE DE TRES-HAUT ET TRES-ENfoncé Philosophe FRISESOMORON, &c.

hoc est,

ELOGIUM FUNEBRE CELSISSIMI AC ABSTRUsissimi Philosophi FRISESOMORONI, complectens eximium & præstantissimum, quodcunque inest Philosophiæ Peripateticæ, una cum judiciis criticis ac facetis.

Parisiis, apud Peraltum patrem, 1737, 12.

Plag. 6¼.

Aristoteli haud eadem semper judicii benignitas Parisiis assistit. Fortuna ejus ibi plane exstitit varia. In hoc scripto Philosophia ipsius denuo vapulat. Fictus enim ille est *Frisesomoron*. Elogium vero ejus funebre materia est satiriei salis, quo Peripatetica perluitur Philosophia, ac distinctionum Peripateticarum araneæ exsibilantur. Elogio præfigitur hoc axioma: *Beatus vir, qui transivit e categoriis in regionem transscendentalium.* Quæ verba sunt cardo & summa universi hujus Panegyrici, seu Elogii fuenebris. Propositionis divisio sic 6.
est instructa, ac hunc in modum adornata: *Exhibebo vobis* 7.
1) *illum in categoriis, seu in vita sua purgativa, ubi ipse sine mora occupatus est in exonerandis omnibus periculosis præjudiciis rationis, experientiæ, judiciique ingeniti, quo minus mordicus duntaxat adhæreret apophtegmatibus Magni Aristotelis sapientibus;* 2) *deinde indulgebimus imaginationi nostræ ad ipsum in regione metaphysica Transscendentalium contemplandum: veluti in vita ipsius illuminativa, ubi disjunctus ab eis universis, quæ sunt physica, terrestria, & categorica, fluctuatur ramis secundæ intentionis in undis abstractis spatiorum imagina-*

ginariorum, nec commercii quid habet nisi cum qualitatibus occultissimis, entibus rationis purgatissimis, ac chimeris perquam authenticis. Nostrum non est, hisce diutius immorari. Si qui vero jocis delectantur, & ineptias distinctionum scholasticarum ad vivum repræsentatas conspicari avent, eis hæc fercula esse apposita censemus.

IL PELLEGRINO GEOGRAFO CRONISTORICO DA Napoli sino a Venezia di ANTONIO TOMMASO BARBARO, fra gli Arcadi Sofifilo Monacrio, &c.

id est,

PEREGRINATOR GEOGRAPHICO-CHRONOLOGICO-historicus inde a Neapoli usque ad Venetias, Autore ANTONIO THOMA BARBARO.

Venetiis, prelo Jacobi Tomasini, 1738, 12.
Alph. 1 plag. 3.

Exhibetur hic lectori egregia & solida expositio de urbibus & situ & munimentorum natura & viris clarissimis, rebusque gestis admodum commemorabilibus, Libris VII comprehensa. Non satis fuit Cl. Autori, describere ea, quæ quodvis ejus tractus oppidum habet eximia, ad ætatem nostram propagata, sed vetustissimos quoque consuluit mediique ævi scriptores, ut origines urbium, amplificationes, dominos, fata, & facta, in ordinem chronologicum redacta, legentium oculis repræsentaret. Emendavit passim *Ortelium, Cluverium, & Christophorum Cellarium.* Historiæ literariæ & ecclesiasticæ monumenta potiora haud neglexit. Figuras æri incisas dedit nullas. Pag. 182 seq. Reges Italiæ, seu potius Latii, antiquissimos recensuit summatim, a *Roma, Atlantis* filia, exorsus, & in *Augusto* subsistens. Passim insignia occurrunt. *Libro* extremo Venetiæ, terra Venetorum, eorumque fata potiora, chronologice digesta, memorantur. Ni liber attentione lectoris ipsa dignus esset, explicatius ejus summam tradere nos oporteret. Ita enim omnia sunt jucunde & eleganter scripta, ut nihil nobis restet, nisi ut Autori de fœtu tam felici gratulemur.

✲ ✲ ✲

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio III.

DE PARADISO, REGNIQUE COELESTIS gloria, non exspectata corporum resurrectione, justis a Deo collata, adversus THOMÆ BURNETI, Britanni, librum de Statu mortuorum, Autore LUDOVICO ANTONIO MURATORIO, Sereniss. Ducis Mantuæ Bibliothecæ Præfecto.

Veronæ, apud Jacobum Villarsinm, typis Seminarii, 1738, 4. Alph. 2.

Eminentissimo & Celsissimo Principi *Josepho Dominico* S. R. E. Cardinali Amplissimo, exemtæ Ecclesiæ Pataviensis Episcopo, & S. R. I. Principi, Comiti *de Lamberg*, sacravit tractationem suam scriptis aliis insignibus ad omnem posteritatem commemorabilis ac concelebrandus Autor. Statutum ei est, in arenam prodire, manusque conferre cum *Thoma Burneto*, Britannico scriptore, quem mors quidem pugnæ subtraxit, sed qui adversus recte sentientes in libro suo adhuc pugnat defunctus. Prædicat Cel. *Muratorius* merito Celsissimi Principis felicitatem, sub quo Pataviensi Ecclesiæ jura Laureacensis Archiepiscopatus vindicata sunt, adeo

ut Episcopus ab uno Pontifice Romano pendeat, ac pallio, metropolitici decoris signo, utatur. Libro ipso, in cujus introitu laudes ac elogia Principis tanti, tanquam flores fragrantissimi odoris, sparguntur, refellitur sententia *Burneti*, qui in sua *de Statu mortuorum & resurgentium* tractatione retardatam justorum beatitudinem usque ad postremi judicii diem amplexus fuit. Capita eo fine exhibentur triginta. Appendicis loco accessit S. *Cæcilii Cypriani opusculum de Mortalitate.* Primo quidem compages sententiæ *Burneti* proponitur. Deinde autem exponuntur catholicæ Ecclesiæ de ea quæstione decreta, adduntur argumenta varia, tum ex sacris literis, tum aliunde, deprompta, inprimis testimonia *Methodii*, *Thomæ Aquinatis*, & *Chrysostomi*. Non postremum tantum judicium, sed & alia occulta Dei judicia, agnoscenda esse, ostenditur.
Pag. 16 seq. Non unum Christi adventum admittimus. Alius enim est adventus ejus in carnem, alius ad animos fidelium, alius in singulorum fidelium morte, alius ad Hierosolymæ excidium, alius ad extremum judicium. Credidit *Burnetus*, resurrectionis dogma pugnare cum inchoata animarum beatitate in regno cœlorum. Sed, vanam & commentitiam illam esse repugnantiam, Cel. Autor demonstrat. Inprimis vindicatum it nonnulla *Apocalypseos* loca. De Chiliastarum errore dissе-
49 seq. rit, eumque perspicuis libri illius locis everti ostendit. Tum demonstrat, improbos statim post mortem in inferorum pœnas conjici. Martyrum vero aliorumque fidelium animas, corpore solutas, ex communi ecclesiæ suffragio confestim do-
54 seq. nari cœlesti beatitudine. Quem in finem collegit *Clementis Romani*, *Ignatii*, *Polycarpi*, & Ecclesiæ Smyrnensis, consensum. *Justinum Martyrem*, *Irenæum*, & *Tertullianum* favisse chiliasmo, non abnuit. Ostendit vero, *Justino* cum *Burneto* haud convenire, *Irenæum* & *Tertullianum* falsos esse, Catholicæ sententiæ suam vim inesse. Atque, ut, beatitatem fidelium a morte corporis inchoatam, extra omnem teli
78 seq. jactum collocet, testimonia exhibet ex actis veterum sinceris, ex *Clemente Alexandrino*, *Dionysio*, Episcopo Alexandrino, *Cypriano*, *Methodio*, *Eusebio Cæsariensi*, *Constantino Magno*, *Alexan-*

Alexandro, & *Athanasio*, Archiepiscopis Alexandrinis, ac *Hilario* Pictaviensi. Quid *sinus Abrahæ* & *paradisus* in scriptis Patrum denotent, docere contendit. *Ambrosius* & *Chrysostomus* defensi, & calumnia, utrique impacta, propulsata. S. *Augustinus* de statu animarum separatarum non semper sibi constitit. Id Vir Cel. haud sustinet negare. Id autem contendit, compluribus ejus locis doctrinam Romanæ Ecclesiæ de beatitudine sanctorum inchoata solidari ac illustrari. Perorat deinde causam *Gelasii Cyziceni*, atque *Theodoreti*, qui Catholico dogmati calculum adjecerint album. Quid sit *consummatio* & *consummari* in sacris literis, cum de animis, a corpore separatis, agitur, demonstrat. Subjungit porro ingentem testium nubem, qui in Latina & Græca Ecclesia eandem beatitudinem inchoatam docuerunt ac propugnarunt. Nec omittit monere, hanc sententiam bonitate & justitia Dei esse dignam, virtutibusque promovendis favere. Elidit *Burneti* consilium, quo hic loca divinioris Codicis audacter in sententiam suam traxerat. Opponit ei clariora pronuntiata, Id quoque adjungit, *sanctorum invocationem* firmari autoritate *Origenis*, *Cypriani*, cujus verba *Joannes Fellus* perverse interpretatus sit, ac *Hieronymi Stridonensis*. Hæc est operis summa. Nunc autem decerpemus nonnulla, quibus Lectori instillare valebimus notitiam de uno alterove argumento accuratiorem. In Præfatione haud obscure Autor significat, Protestantes ab Ecclesia, matre sua, defecisse. Nostri contendunt e contrario, sese, ex cœtu aliquo externo expulsos, universalem Christi Ecclesiam non reliquisse. Ipse Cel. Autor credit, ex ea defectione oriri in dies pronitatem ad bellum religioni & ipsi & omni inferendum. Protestantes e contrario ea bella profana detestantur, quæ non ex ipsorum doctrina, sed ex animo irreligioso, quem Protestantium terris duntaxat proprium nemo dixerit, erumpunt. Non defuere profecto hæreses & schismata Ecclesiæ, cum adhuc esset virgo. *Thomæ Burneti* conatus heterodoxos dudum pro merito refellerunt viri summi, non in Anglia solum, sed etiam inter Germanos. Provocamus ad libros Cel. *Jo. Georgii Walchii*

Pag. 9x.
164 seq.
272 seq.
282 seq.
304 seq.

ac aliorum. Sunt inter Britannos, qui libertate sua abutuntur in sentiendo & proloquendo. Signum hoc est libertatis magnæ, quæ gloriosius esset collocanda. At dantur & in terris australibus, qui licentiosius sentiunt subinde, at proloqui non audent, libertate ea haud donati. Interdum in Batavia ac Anglia Pontificii ea profitentur libere, ac scriptis publicis defendunt, de quibus alibi vix hiscere ausint. *Burnetus* contendit, tum demum justis præmia, injustis supplicia, esse retribuenda, cum Christus, judex spectabilis, universum genus humanum adducet in judicium, immo ne tunc quidem justis aditum fore ad cœlos, sed eis antea annorum mille delicias in terra esse percipiendas. Cel. *Muratorius* ipse modeste satis ita judicat: *Fortasse vix aliam habemus ex tot sectis, Christianam legem profitentibus, sed a Romana Ecclesia divisis, quæ non* de beatitudine animarum, corporeis vinculis liberatarum, *eandem amplectatur foveatque doctrinam, si forte Arminianos, aut Anabaptistas, excipias.* Sed nec Arminiani, nisi Socinizantes, dissentiunt. Ipsi Sociniani hic inter sese diffident. Ni per Italiam non pauca scripti *Burnetiani* exemplaria clanculum repsissent, Cel. Vir, qui libros ejusmodi legere haud solet, ad confutandum illam *Burneti* opinionem nunquam animum appulisset. Adjuvit consilium hæc quoque ratio, quod argumentum id pro dignitate nondum sit pertractatum ab aliis in Ecclesia Romana viris. In eo quidem enucleando versati fuerunt jam dudum *Thomas Aquinas*, *Alphonsus de Castro*, Cardinalis *Bellarminus*, *Vasquius*, *Petavius*, aliique insignes Theologi, sed jejune, sed alio properantes.
Pag. 8. Beatitudo certe illa inchoata hinc inde gravibus circumsidetur difficultatibus, adeo ut nonnulli Patres eam negarint, alii fluctuasse videantur, & ipse Papa *Joannes XXII* ad annum usque 1334 putarit, visionem Dei non contingere animabus fidelium ante judicium universale. In Concilio demum Florentino A. 1438 & 1439 Ecclesia Latina illam doctrinam de beatitudine animarum inchoata stabilem veramque pronuntiavit. Confirmavit eam denuo Synodus Tridentina sessione XXV. Argumenta hæcce addidit præterea Cel. *Muratorius*.

Monet

Monet ille, animas non dici resurgere, sed corpora; in fine vitæ denudari opera hominis; *Sir. XI, 28,* corpore dissoluto, Pag. 10.
fideles manere domum æternam in cœlis, *2 Cor. V, 1,* quem locum pulchre adversus *Burnetum* vindicat, inprimis *Methodii*, *Bellarmini*, & *Hammondi*, testimoniis usus; addit loca
Phil. I, 23, 2 Cor. V, 8, Luc. XXIII, 41, Luc. XVI, 22. Sinus 11.
enim *Abrahæ* denotat gaudia post hanc vitam, convivii sub
specie descripta, uti patet ex *Matth. VIII, 11,* & *Chrysostomi* 18.
in Matthæum Homilia XXVII. Memorat mansiones Apostolis parandas in cœlo *Jo. XIV, 1, XVII, 24.* Adventum Christi non ultimum, sed alium, retributioni connexum, intelli-
gi putat in locis *Phil. IV, 5, Ebr. X, 25, 37, Jac. V, 7, 1 Jo.* 24.
II, 18, per antichristos denotari ratus Gnosticos, ac in locis *Ap. II, 25, III, 3, 11, XXII, 17, 20.* Dies & adventus Jesu Christi notat excidium Hierosolymæ *Phil. I, 6, Jo. XXI, 22.*
Falsum itaque est id, quod *Burnetus pag. 59* ponit pro vero: 26.
Judicium nullum memorat Scriptura sacra ante finem mundi. Ipse quoque *Irenæus*, retributionem animarum ante judicium
extremum contingere, credidit *Lib. II Cap. 34. Tertullia-* 27.
nus in libro de Resurrectione scripsit, a sese diffidens: *Nam* 28.
& nunc animas torqueri foverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum. Urget quoque Autor, *Abrahamum, Isaacum, & Jacobum,* secun-
dum animas vixisse ævo *Mosis* ob locum *Marc. XII, 26. Joan-* 30.
nes animas martyrum vidit in cœlo *Ap. IV, 1, VI, 9,* templi
figuram in visione referre viso, & ante thronum Dei *VIII, 3.* 33.
Quæ loca misere ad errorem suum *Burnetus* incrustandum pervertit. Vides & perspicis, Lector, ex hoc specimine, *Muratorium* non minus insignem esse Theologum, quam Historicum summum.

AN ESSAY TOWARD THE PROOF OF A separate state of souls, between death and the resurrection, etc.

hoc est,

TENTAMEN, QUO ANIMABUS SEPARAtus ac singularis status inde a morte usque ad resurrectionem corporis asseritur, ac probatur, præmia virtutum, vitiorumque pœnas, statim post mortem inchoari.

Londini, apud Rich. Hett, 1732, 8.
Plag. 11 dimid.

Quanquam doctrina de resurrectione corporis, & eam consequenti statu felicitatis, vel miseriæ perennis, ea est, cujus diligens meditatio quemvis mortalium permovere possit, ut virtutibus operam det, nullaque vitiorum labe contaminetur; plurimi tamen se in transversum rapi patiuntur, suoque indulgent genio liberius, dum, inde a morte ad novissimum usque diem permagnum temporis spatium interjectum esse, credunt. Quin & ardor ille, quo pii beneque morati homines ad vitæ sanctimoniam feruntur, defervescit sæpius, quando, temporis articulum longius remotum esse, recogitant, quo præmia virtutum olim sint capessituri. Quarum sine dubio præsidia ac firmamenta majora erunt, si ex ipsa divina revelatione ostendi potest, animæ conditionem eam esse, qua, quicquid virtutum vitiorumve consequens sit, statim a morte experiatur, id quod Autor hac scriptione ad liquidum perducere conatus est. Hinc in *Sectione prima* rationem instituti tradit, ac quibusdam objectionibus occurrit. Ante vero, quam id fiat, probabile sibi videri, contendit, pœnas ac præmia animæ, in statu hoc separato constitutæ, non tanquam naturale consequens a vita ante acta, sed a judiciali quodam decreto, vel a Deo ipso, vel potius a Servatore, pronuntiando, animæque vi suæ conscientiæ communicando, pendere, quod ipsum autem nihil impediat,quo minus solennis illa promulgatio olim consequatur. Objectiones contra eam, quam tuetur Autor, sententiam duplicis generis sunt. Quidam enim animum, utpote speciem quandam flammulæ vitalis, ac tam intellectualis, quam animalis, vitæ principium, a corpore separatam, non

existere,

existere, sed potius cum eodem mori, omnisque conscientiæ expertem esse, opinantur, in resurrectione corporis ei demum restituendæ. Perapposite vero monet Autor, hac ratione principium istud cogitans olim plane novam fore creaturam, aliamque personam, neque præmiorum, neque pœnarum, capacem, cum virtutum vitiorumque aliud olim principium, sui conscium, causa fuerit. Objectio secunda eo valet, animam, a corpore sejunctam, somno quodam sopiri, nulliusque facinoris, olim designati, meminisse. Quam quidem Autor hoc modo profligat, ut, animam vel extensam, vel minus, concipi posse, confirmet. Si extensa concipiatur, vel mero spatio vacuo similis erit, ac tum erit merum nihil, quod quibusdam proprietatibus apparentibus nobis imponat, ac si ens actu existens esset, vel solida erit ac materialis, quali in re motus quidem partium cessare potest, at hic non efficit conscientiam sui. Si anima dicatur non extensa, tum vero sine conscientia & activitate concipi nequit. Stat ergo sententia, animam esse principium activum, suique conscium, ac semper talem, sive cum corpore sit conjuncta, sive minus. Tale autem principium meræ indolentiæ conscium esse non potest. Virtutis enim vitiique alia, quam præmia pœnasque, consequentia esse, repugnat. Et hæc in *prima Sectione*. In *altera* ea Scripturæ loca in medium profert, ex quibus existentia animarum in statu quodam separato probabiliter colligi possit. Sunt ea *Ps. LXXIII*, 24, 26, *Eccl. XII*, 7, quo loco vox spiritus animam denotat, *Es. LVII*, 2, *Luc. IX*, 30, 31. Ubi existimat Autor, animam *Eliæ*, cœlesti suo corpore, *Mosis* autem, alio quodam integumento, convestitam, vere apparuisse *Act. VII*, 59. Commendat *Stephanus* hoc loco non vitam suam, olim sibi restituendam, sed animum, Christo, quem divina gloria splendentem videbat, quo ea statim æternæ felicitatis particeps fiat, 2 *Cor. V*, 1, 2. Sive vestimentum illud sit gloria, in qua *Moses*, *Elias*, & Christus, apparebant in transfiguratione illa memorabili, & quæ secundum nonnullos *Adamo* in statu innocentiæ propria fuerit, sive solum statum felicissimæ immortalitatis significet, sufficit, existere ens distinctum a vestimento, domo, & tabernaculo,

naculo, hoc ipſo ſtatim ab diſceſſu ex hac domo caduca donandum, *2 Cor. XII, 2, 3.* Ex quo loco ſatis apparet, poſſe animam a corpore ſeparatam exiſtere, ac paradiſi bonis frui, *Phil. I, 21.* Nihil anima *Pauli* lucraretur, ſi nullius boni particeps ſomno ſepulta jaceret, *1 Theſſ. IV, 14.* Deus habitans in Chriſto, mortuos reſuſcitaturo, animas ſanctorum, in paradiſo adhuc commorantes, cum eo deducet, ut corporibus ſuis reddantur, *1 Pet. III, 18, 19, 20.* Spiritus in carcere ſunt animæ hominum immorigerorum, ob ſingulares fines illic detentæ, *Epiſt. Jud. v. 7.* Cum ignis, corpora Sodomæorum comburens, pridem ſit exſtinctus, & tamen iidem in exemplum aliis proponantur, ut qui ignis æternum pœnam ſubeant, patet, animas eorum hæc tormenta cruciatusque hos perennes experiri, *Apoc. VI, 9.* Quanquam hæc de viſione tantum explicari poſſint, non tamen ſententiæ ſuæ plane nihil roboris inde accedere, exiſtimat Autor. His confectis, ad iſta *Sectione III* aggreditur loca, quæ ſeparatum animarum ſtatum liquido declarent. Ac primo quidem locus *Matth. X, 28*, ſatis commonſtrat, animam, ſive principium iſtud immortale, corpore etiam trucidato, exiſtere. Si enim perinde ac corpus ad tempus dormiret, ſive mortua ſupereſſet, vix equidem corpore præſtantior dici poſſet, *Luc. XVI, 22.* Scopus hujus parabolæ eſt, ut oſtendatur, vel ſpiritum quendam, ſive ex inferis, ſive de cœlo, ad homines ablegatum, eos non ad ſanctitatem vitæ transducere poſſe, ſi media gratiæ hac in vita ſpernant. Si vero animæ ſeparatim non exiſterent, plane nihil hac parabola effeciſſet Servator. Ipſe etiam locus, quem ſinum *Abrahæ* appellat, ſtatum hunc ſatis ſuperque declarat, *Luc. XX, 37, 38.* Cum Deus viventium ſit Deus, animæ *Abrahami, Iſaaci*, ac *Jacobi*, qua corpus mortui, haud dubie ſuperſtites fuerunt, *Luc. XXIII, 42, 43.* Sunt, qui, commate transpoſito, ſcilicet dico tibi hodie, argumentum, ex hoc loco deſumtum, vi concludendi privare ſtudent. At *Whitbyus* oſtendit, phraſin hanc Judæis familiarem fuiſſe, qua mortem juſtorum deſcripturi, dixerint: hodie eris in ſinu *Abrahæ*; hoc ſenſu pervulgato ſine dubio Soſpitator latronem allocutus eſt, cui quidem alium, ſi is ſubfuiſſet,

fuisset, ope Critices eruendi, otium non erat, *2 Cor. V, 6, 8.* Locus hic tam clarus est, ut unica tantum objectione premi possit, felicitatem nempe animarum separatarum solum ad Apostolos pertinere. At respondet Autor, 1) versum antecedentem & proxime sequentem omnes pios spectare: ergo etiam medium; 2) Capita hæc Epistolæ eo scripta esse, ut Corinthii, omnesque fideles, in spem er gerentur; neque medium subesse, quo universalitas vocis *Nos* ostendatur, si id pro lubitu ad paucos restringatur; 3) Servatorem, *Jo. XVII, 20, 24,* pro omnibus preces fundere, qui credant, partem autem gloriæ non postremam esse, qua a patre caput & rex Ecclesiæ constitutus sit, quæ secundum *1 Cor. XV, 24, 28,* in die extremo cessatura sit. Sine dubio igitur in statu hoc separato animæ piorum gloriam Christi mediatoriam videbunt. 4) Fac autem, locum de Apostolis tantum agere; sufficit, statum felicissimum animorum separatorum vere dari, quo cum multæ spirituum myriades perfruantur, nulla ratio subest, quare reliqui, corporibus juncti, olim ab eo excludendi sint, *Phil. I, 23, 24.* Exiguum ex morte lucrum cepisset *Paulus*, si anima ejus usque ad diem extremum somno sepulta fuisset, *Ebr. XII, 23,* qui locus sua luce radiat, *2 Pet. I, 13.* His absolutis, Autor singulare argumentum subnectit. Doctrina scilicet de separato statu animarum per plurima secula virtuti ac religioni promovendæ inserviit. Neque enim gentilibus de resurrectione corporum quidquam innotuit, neque priscis Patriarchis; *Jobo* enim ex singulari gratia divinitus de ea quidquam patefactum esse, credibile est. Instituta religionis Judaicæ nihil tale continent. Et, licet *Esaias*, *David*, & *Daniel*, ejus mentionem faciant, non tamen articulus fidei fuisse videtur. Postero quidem tempore doctrina hæc magis pervulgata fuit, at sententia de domicilio animorum penes Deum nihil roboris amisit. Vid. *Sap. III, 1-4.* Quæ cum ita sint, doctrinam tanti momenti falsam esse, nemini facile in mentem venire potest; quæ præterea apparitionibus spirituum, quas omnes inter figmenta referre temerarium esset, haud parum confirmatur. *Sect. IV* objectiones quasdam profligat: 1) multis

Scripturæ locis anima mori dicitur. Resp. Vox animæ ibi non de intellectuali, sed animali, principio intelligenda, unde tota hominis persona anima apud Ebræos nominatur. 2) *Ps. VI, 5, CXLVI, 4, Eccles. IX, 5.* Resp. Non denegantur animæ cogitatio, cognitio, conscientia, sed ejusmodi actiones, quales in hac vita designarit. 3) *Jo. XIV, 3.* Resp. Ii, qui, separatum statum Apostolis tantum promissum fuisse, contendunt, nil habent, quod hic desiderent. Præterea adventus Christi multiplex est, ut ad judicium extremum eum restringere non opus sit. Etsi etiam de ea hoc loco sermo esset, status tamen, quem propugnat Autor, non excluderetur. 4) *Phil. III, 10, 11.* Resp. Sunt, qui credant, Apostolum loqui de resurrectione Martyrum, universalem illam antecessura. Alii, eum majorem, gradum sanctitatis desiderare. Utcunque est, vel ipse separatus status nondum summum gradum felicitatis cœlestis absolvit. 5) *1 Cor. XV, 18, 19, 32.* Resp. Videtur quidem statui separato nullus hic relictus esse locus, ubi felicitatis sempiternæ initium in resurrectione demum statuitur. Sed enim salva res est. Cum felicitas illa maximam partem post resurrectionem piis contingat, ut pars primaria pro toto accipitur. Tum vero sæpius status omnis post mortem vocabulo resurrectionis indicatur, e. g. *Luc. XX, 35.* Neque Apostolus, veritatem doctrinæ de resurrectione corroboraturus, statum, de quo agitur, excludere censendus est. Immo hortaturus fideles, ut corporum cruciatus constanter ferant, opportune corporum resurrectionis mentionem injicit. 6) In N. T. altum de statu hoc separato silentium. Quin potius semper dies extremus nominatur, quandocunque malis terror incutiendus, boni spe erigendi sunt, e. g. *1 Thess. IV, 14.* Resp. Supra jam hic locus aliter explicatus est. Sunt autem præterea graves omnino causæ, quare dies novissimus frequentius commemoretur. Nam gentilium sapientissimi statum quendam agnoscebant, in quo animæ separatæ a corporibus sint constitutæ. Christus itaque ac Apostoli, doctrinas, non tam ex lumine naturæ, quam singulari revelatione, derivandas, proposituri, resurrectiuonem mortuorm, ut terminum a quo futuræ felicitatis,

tatis, vel calamitatis, inculcant. Praeterea autem distributio, si ita loqui fas est, praemiorum poenarumque tum magis erit solennis, completa, ac manifesta: status etiam post resurrectionem nunquam terminandus. Apostoli, diem extremum imminere, ac proxime venturum esse, credebant; ubique enim adventus Servatoris, qualiscunque sit, ut perquam propinquus describitur. Non igitur mirum, in N. T. ex resurrectione motiva pietatis repeti.

CHRISTIANI FRIDERICI GEORGII MEISTERI Ausbesserungen und Zusätze &c.

id est,

EMENDATIONES ET SUPPLEMENTA AD Ill. GLAFEYI Bibliothecam Juris naturae & gentium.

Pars I.

Gottingae, apud Christianum Lebr. Hirsch, 1740, 4.
Plag. 4.

Clariss. Autor, Juris utriusque tum, cum haec ederet, Candidatus, nunc Jurium Doctor famae haud vulgaris, ortu Hohenloico-Francus, qui eodem anno *Dissertationem Epistolicam* Gottingae *de Candidatis veteribus* in lucem emisit, commentari coepit ad *Glafeyanam* Bibliothecam Juris naturae & gentium, ut ipsi daret emendationes, majoremque usum conciliaret, usus Bibliothecis *Feuerlini*, cui hanc Partem inscripsit, *Gebaueri*, *Treueri*, ac *Heumanni*, celeberrimorum Virorum. *Parte* hac *prima* complexus fuit scripta omnia, quae ab *A* usque ad *M* ratione Autorum videbantur afferenda. *Parte secunda*, quam nos sperare jubet, subministrabit emendationes reliquas ac supplementorum momenta. *Parte tertia* recentissimi temporis scripta addet. Praeter titulos & editiones, atque scripta, quibus Dissertationes minores fuerunt insertae, nihil apponitur, excepto, quod *Nicolai Hemmingii*, Professoris Theologiae Hafniensis, qui Formulam Pag. 20. seq.

mulam Concordiæ oderat, vitam intexuit, viri, qui primus contendit, Ethicam & tractationem de lege naturæ posse methodo scribi apodictica, ejusque rei specimen, licet conatui minus congruens, dedit in libello, cui titulus præfixus est: *de lege naturæ methodus apodictica.* Non dubitamus, quin huic quoque Supplemento adhuc nonnihil possit adjungi. Obiter monemus, formis publicis descriptum fuisse Hildeshemii A. 1732 libellum: *Recherche de l' Origine & des Fondemens du Droit de la Nature* (à Amsterdam) plag. 8. Autor eum auxit, denuoque edidit Petropoli A. 1740, 8.

JO. GEORGII PERTSCHII, JCTI, gründliche Vertheidigung der Lehre von der Macht, Sünde zu vergeben, 2c.

id est,

SOLIDA DEFENSIO POTESTATIS REmittendi peccata, referendæ ad extraordinaria illa charismata, quæ Christus cum Apostolis communicavit, & ab eis solis fuerunt exercita.

Hildesiæ, impensis Autoris, 1744, 4.

Plag. 13.

Dudum Cel. Autor librum de Jure sellarum confessionalium in lucem emisit. Anno autem 1739 prodiit scriptum, 6 plagulis constans, cui est inscriptio: *Strictura in Celeb. JCti Hildesiensis, Jo. Georgii Pertschii, Tractatum* vom Recht der Beichtstühle, *quibus sententia ejus, quod ab obitu Apostolorum nullus unquam Ecclesiæ minister jure absolvendi confitentes gavisus sit, nedum nunc gaudeat, modeste examinatur.* De eis in Præfatione nonnihil exponit. Respondet inibi etiam ad *Commercium epistolicum duorum Amicorum super nonnullas Præfationes Pertschianas*, satis satyricum, & Christiano calamo haud satis dignum. In Commercio illo doctri-

nae

næ *Pertschiana* haud notantur; quare reipublicæ literariæ usus inde accedit nullus. Tandem vero Cel. *Petrus Hansenius* edidit librum: *Anmerckungen über Jo. Georg Pertsch Widerlegung seiner Schrifft: Betrachtung der Evangelisch-Lutherischen Lehre von der Beichte.* Ad hunc nominatim haud respondet Ill. Autor, ratus, responsionem, Stricturis oppositam, *Hansenio* etiam facturam satis, & se hac ratione duos parietes una fidelia posse dealbare. Nobis videntur in hac controversia distinguendæ esse tres causæ: prima de functionibus, quæ ab Apostolis solis poterant expediri; secunda de ministerio Evangelii, quod Ecclesiastis cum Apostolis est commune; & tertia de eis momentis, quæ Christiani orbis homines ministerio huic successu temporis addiderunt, idque vel conveniens illi ministerio, vel disconveniens. Qui ministerium legis ac Evangelii obeunt, non possunt, quin improbis pœnas, & piis remissionem peccatorum, denuntient, & eam, ipso verbo Dei instillato atque recepto, conferant. Hoc ipsum fluit ex notione, quam de Evangelii œconomia non possumus non fovere. Hoc sequitur ex ministerio, quod Apostoli Presbyteris ac Episcopis electis demandarunt. Autor vero inaugurationem Apostolorum triplicem determinat, primam *Matth. X, 11 seq.* secundam *Jo. XX, 21,* post Christi Pag. 15. resurrectionem, ac tertiam *Act. II, 4,* per Spiritus sancti effusionem. Sunt tamen, qui existimant, effusionem Spiritus sancti omnibus contigisse Christianis, Hierosolymæ congregatis. Cardo rei vertitur in designatione personarum, quibus promissionem de effusione Spiritus sancti subsecutura Jesus impertiverat, *Luc. XXIV, 49, Act. I, 4, 5, 8.* Baptismi admi- 22 seq. nistrationem haud fuisse Apostolatui propriam, solide ostendit. Sacræ Cœnæ distributionem Apostolis solis esse tribuendam, inficiatur. Utramque vero ordinis & honestatis causa a ministris Ecclesiæ peragi, addit. Id vero pernegat, nomi- 29. ne & loco Dei ministros Ecclesiæ remittere posse peccata, siquidem hoc munus sit Christi *Matth. IX, 2 seq.* & Apostolorum, quibus Christus eam impertierit vim ac potestatem. Apostolis successores haud fuisse ullos, copiose disputat. Lo- 32.

Pag. 35. cum *Jacobi V, 14 seq.* copiose exponit, negans, exinde colligi posse potestatem remittendi nomine Dei peccata, Presbyteris concessam. Hanc ostendi posse ex *2 Cor. V, 18 seq.* itidem negat. Castigationes ac pœnas, ab Apostolis immissas, di-
40. stinguit ab excommunicatione, ratus, illas jussu Christi, ejusque nomine, fuisse inflictas, hanc vero nomine & consensu
50. Ecclesiæ peractam. Apostolis Deum subinde interiora animi humani revelasse, it comprobatum uno & altero exemplo. Longus est in eruendo sensu loci, qui apud *Tertullianum* legitur *de Pudicitia Cap. 21.* Ad *Barnabæ, Ignatii, & Polycar-*
58. *pi*, testimonia, ipsi obmota, solicite respondet. *Sozomenum, Socratem, & Nicephorum,* differere de Presbyteris pœnitentiæ publicæ, non de confessione privata, contendit, ratus, Episcopos Seculi tertii cœpisse arbitrari, se Apostolorum esse successores, ideoque sibi vindicatum ivisse potestatem remittendi & retinendi peccata, quantum ad pœnitentiam publicam & ecclesiasticam, peccatoribus gravioribus impositam,
60 seq. attineat. Locum *Barnabæ Epist. Cap. 18* exponit de confessione peccatorum Deo soli expromenda, & Epistolam habet pro suppostitia. Presbyteros sine ullo hominum interventu a solo Deo designatos fuisse, negat, contrarium stabiliendi studiosus ex *Act. XIV, 23, 1 Tim. IV, 14, Tit. I, 5.*
64. In loco *Clementis Romani Epist. I ad Corinthios Cap. 42* cum *Patricio Junio* credit, legendum esse ἀπονομὴν δεδώκασι pro eo, quod vulgo legitur, ἐπινομὴν δεδώκασι. *Ignatius* vocat Presbyteros *senatum Apostolicum*, traditque, *presbyterio*
66. *esse parendum, tanquam Apostolis Jesu Christi*, etc. Exponit translatum hoc dicendi genus Autor. Antagonista ipse, loca, Presbyteris nimis faventia, in Epistolas *Ignatii* ac *Polycarpi*, unam ex Constitutionibus Apostolicis, intrusa esse, fatetur.
68. Viros Apostolicos multum ab Apostolis discrepasse, credit, &, potestate remittendi retinendique peccata instructos fuisse, negat Autor. Ad *Irenæi* locum *III, 3, IV, 2, 26*, respondet, arbitratus, *Irenæum* ac *Tertullianum* successionem doctrinæ vindicasse Presbyteris ecclesiarum, quarum primi antisti-
71. tes ab Apostolis fuerint constituti. Per πάντα τά ἔθνη

Matth.

Matth. XXVIII, 18, ministros Ecclesiæ significari, abnuit. Inprimis exponit locum *Matth. XVI, 18,* ac per claves regni Pag. 74.
cœlorum, quibus ea, quæ erant revelanda, solvebantur, & ea, quæ haud erant enuntianda, ligabantur, donum Apostolis concessum, in immunitate ab omni errore doctrinarum consistens, intelligit, provocans ad consensum *Christiani Schœttgenii* 76
in *Horis Hebraicis pag. 145.* Edisserit deinde modum, quo Patres Seculi tertii cœperunt docere, Apostolos fuisse Episcopos, Episcopos esse Apostolorum successores, Episcopis tribuendam esse Leviticam hierarchiam. Episcopi Se- 79.
culo tertio sibi solis vindicare studuerunt clavem solventem ac ligantem, ac per eam intellexerunt potestatem imponendi peccatoribus gravissimis pœnitentiam ecclesiasticam publicam, & eam tollendi. Peccata vero, in Deum solum admissa, a 80.
solo Deo remitti posse, docuit, si credimus Nostro, *Cyprianus de Lapsis pag. 129* ed. Brem. De Presbyteris pœnitentia- 84.
riis copiose disputat, ratus, eos ad confessionem peccatorum & absolutionem privatam reverti haud posse. Repetit hic dogma suum, quo pertendit, Baptismi administrationem in prima Ecclesia a fœminis abfuisse. Addit idem, *Dionysium* 88.
Alexandrinum apud *Eusebium H. E. VI,* 44, *Basilium, Ambrosium, Hieronymum,* haud favere confessioni ac absolutioni privatæ, quæ ad peccata, in Deum solum admissa, spectat, illos peccata hæc reservasse benignæ remissioni Dei, quem deprecandum esse docuerint; illos per clavem solventem ac ligantem intellexisse potestatem Episcopis propriam, qua peccatores, offendicula piis præbentes externa & publica, pœnitentiæ publicæ fuerint mancipati, ac, satisfactione imposita tandem peracta, in societatem ecclesiæ externam recepti. 89.
Tandem in eo est multus, ut, *Augustinum* sibi opponi haud posse, ostendat. Nostrum non est, Duumviris, vel Triumvi- 90 seq.
ris interstrepere. Qui si tractationem controversiæ hujus ad Historiam ecclesiasticam potissimum facientis, solide continuaverint, nos omnino adducent, ut ipsorum scripta citra ullam judicii significationem in compendum mittamus, ne quid novorum, quæ in republica literaria geran-

rantur, ab ephemeridibus nostris temere videatur sejunctum fuisse.

JO. ANDR. BUTSTETTI PHILOS. MAG. & Rect. Schol. Osterod. Specimen Philologiæ sacræ, sive Observationum Philologico-Practicarum in selectiora N. T. loca, eo quæ adornantur consilio, ut, quantum humanitas Græca rebus theologicis inserviat, dilucide perspiciatur.

Guelpherbyti, apud Joannem Christophorum Meisnerum, 1740, 8.

Plag. 7.

Specimen hoc Observationum sacrarum philologicarum versatur in energia locorum *Matth. I, 1, 18, 19, 20* debite eruenda. Causæ, cur huic potissimum scripturæ generi Clariss. Autor sese tradiderit, in Præfatione evolvuntur. Theologo enim quidni versandæ sunt linguæ sacræ, fontem Theologiæ præbentes? Eximenda ex hominibus inertiæ deditis opinio præjudicata, qua ipsi perhibent inducti, eum in linguarum studio jam satis profecisse, qui sacri Codicis verba & literas legere sequique noverit. Et quis dedecere putarit eum, qui quotidie Philologiam tractat, Philologiæ sacræ specimina cum orbe erudito communicare? Ne vero putemus, diligentia aliorum rem omnem hic esse confectam & præreptam, impedit copiosissima illa & rerum & cogitationum meditationumque ubertas, vis ac virtus, quam in sacris Novi Instrumenti literis Philologi optimi quotidie deprehendunt involutam atque contectam. Ut autem ad vitam Christianam & mores moderandos observationes has accommodaret Clariss. Autor, ipse nihil reliqui fecit. An operæ pretium sit facturus, si telam, quam orsus fuit, pertexere fuerit conatus, ipse lectores & rei literariæ arbitros sententiam interrogat. Ita enim fere sub Præfationis calce disserit: *Speciminis loco libellus perquam exiguæ molis prodit, in quem binas transtuli obser-*

observationes in Caput primum Evangelistæ Matthæi. Tantisper enim mihi differenda visa omnis operis absolutio, dum eorum, qui harum rerum judices sedere possunt, consiliis ac sententiis mihi consultum fuerit atque provisum, quibus admonitus, spero, fore, ut specimine continuatio laboris quam longissime præstet. Promittit præterea, *Volumen V* a sese editum iri proxime *Meditationum de Religione Christiana*, quas ipse patrio sermone consuevit adornare. *Incisum primum Matthæi* ita exponit, ut illud sit summa atque complexus brevior, eo præmissus consilio, ut illo & scopus totius Evangelii perspiceretur, & autor *Matthæus* animos Judæorum, qui se lecturi essent, eo facilius appellatione *Abrahami* ac *Davidis* Pag. 11.
influeret. Id ne perperam contendisse videatur, ostendit, voci *γένεσις* inhærere notionem, quæ totius vitæ rationem & rerum gestarum enarrationem contineat. *Matthæus*, quia in 13.
eo omnis est, ut veram Christi humanitatem evincat, nobisque tradat, ipso judice designatur per quartum animal *Ezechielis*. Id inprimis exquirit momentum, cur Jesus Christus dictus sit a *Matthæo υἱὸς, filius, Abrahami* ac *Davidis*. Ap- 15 seq.
pellari eum ita credit, non solum ratione posteritatis patriarchalis, sed etiam singularis potius prærogativæ respectu. Ju- 25.
dæi reverebantur, & honoribus excipiebant maximis, memoriam tum *Abrahami*, tum *Davidis*, credentes, ex horum cummaxime posteris Messiam proditurum. Ut hoc Clariss. Autor ostendat, vaticinia e Vet. Test. recenset nonnulla, atque inprimis promissionem, *Abrahamo* indultam, de posteris ad modum arenæ mari vicinæ multiplicandis, illustrat. De- 28.
monstrat deinde, Jesum, quia dicatur filius *Abrahami* ac *Davidis*, esse hominem verum, divinam ei esse naturam, certosque characteres, quibus verus hominum generis redemtor internosci possit. At quomodo inde patescit natura Chri- 31.
sti divina? Autor admonet lectorem, Messiam a *Davide* vocari *Dominum suum Matth. XXII, 45.* Ad *Cap. I, 18,* no- 39.
tat, particulam δὲ non semper coagmentatam orationis seriem continere. *Particulæ γὰρ*, ibi sese offerenti, notionem subjicit, quam Latini efferunt per voces *sane, profecto,*

Pag. 42 ſeq. *certe.* Γέννησιν exponit per *conceptionem, ἐνσάρκωσιν*, com-
47 ſeq. plexu orationis ita exigente. Genitivo abſoluto, ſeu conſequentiæ, credit ſubeſſe ellipſin, omiſſionem nempe vocis ἐπὶ. Cum de pluribus ſubjectis in uno periodi complexu ſermo inſtituitur, is loquendi modus, quem *genitivi abſoluti* appellant, obtinet. Verum idem nonnunquam modus adhibetur, ubi de eodem ſubjecto fluit oratio, e. g. *Matth. V*, 1, 2: καθί-
51. σαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Exempla profert Autor alia, & in rationes inuſitatæ conſtructionis ſolide inquirit. Συνέρχεσθαι de juribus illis connubialibus, quæ ſacrum nuptiarum fœdus conſequuntur, adhiberi, exemplis commonſtrat. Illum vocis ſignificatum hujus eſſe loci, res
55. ipſa declarat. Evangeliſta enim indicat, *Mariam* cum nemine rem habuiſſe, cum nemine ea expertum eſſe arcana, quæ ſpem prolis gignendæ faciunt. Vocis εὑρέθη ſenſum proprium atque nativum eleganter exponit, recte negans, ei ineſſe nihil niſi notionem, quæ, rem ita *fuiſſe*, indicat. *Joſe-*
58. *phus* vocatur ibi δίκαιος. Alii enim putant, dici *juſtum*, alii *benignum* malunt, alii utramque conjungunt notionem. Autor vero luculentius vocem illam exponit per hominem, qui quid legibus æquiſſimoque jure juſtiſſime facere poteſt, ſive quem nihil impedit, quo minus jus ſuum perſequatur.
64. Quem quidem ſignificatum exemplis extra dubitationem col-
72. locatis venuſte communit Cl. Autor. Illuſtrat eo ipſo voces δικαιοσύνη καὶ δικαίωμα. In eo autem Cl. Autori haud ſubſcribimus, quod is ſciſcit, *Joſephum* voluiſſe occulte, ſine teſte, ſine ullo conſcio, ſine literis, abdicare, eoque rem deducere, quaſi ſibi nihil unquam negotii cum ea fuiſſet contractum. Nam hæc ipſa ſunt æſtimanda ritibus Judæorum tunc receptis. Sponſalia non contrahebantur ſine teſtibus, nec ſane teſtibus diſſolvebantur. Libellis repudii nihil turpe, nulla divortii cauſa, inſeritur. Vide Codicem miſchnicum *Gittin*. Dimiſſio fieri poterat clanculum, licet libellus repudii a teſtibus duobus fuiſſet confirmatus pro more. Per παραδειγματισμὸν, cui *Joſephus Mariam* ſubjicere ac exponere noluit, deſignatur pœna, in eas conſtituta, quæ, virginitatem thalamo

lamo sese illaturos, spoponderant, reæque inveniebantur criminis, quod pœna erat dignum. Copiose hæc edisseruntur in libello mischnico *Sotah*. Autor de reliquo in scriptoribus Græcis longe est versatissimus, ac singulis observationibus propositiones subtexuit practicas, proxime ex demonstratis fluentes. Oramus merito & solicitamus votis nostris Cl. Autorem, ut telam, tam feliciter cœptam, pertexere ne dedignetur.

AMUSEMENT PHILOSOPHIQUE SUR LE Langage des Bestes.

id est,

OBLECTAMENTUM PHILOSOPHICUM super Lingua Bestiarum.

Parisiis, prostat apud Giffey, Bordelet, & Ganeau, 1739, 12. Plag. 7.

Philosophorum Galliæ ocellus haud postremus fingit, sese in gratiam matronæ, imaginibus majorum ac amplitudine generis suique judicii gloria excellentis, librum hunc conscripsisse. Genus scripturæ omnino sic comparatum est, ut fœminis etiam queat arridere. Libellus in *tres Partes* fuit distributus. *Primo* Autor differit de intelligentia bestiarum, *secundo* de facultate, qua ipsi ad loquendum sunt instructi, & *tertio* de modis ac rationibus, quibus ipsæ invicem colloquantur. Ut comprobet, bestiis facultatem inesse intelligendi, removet *Cartesii* ac *Aristotelicorum* opinionem, negans, bestias Pag. 7 seq.
esse machinas mere corporeas, eo quod bestiæ respondent voce non equidem paucæ, ac ad signa ex arbitrio electa sese commovent, sensionumque edunt documenta satis certa. For- 15.
ma certe substantialis *Aristotelicorum*, si est nec spiritus, nec corpus, erit certe nihil. *Lactantius* haud dubitavit rationem tribuere animatis singulis, bestiis eo quidem fine, ut vitæ suæ conservandæ operam navarent, hominibus vero, ut beatitudinem consequerentur sempiternam. Sed & hanc opinionem 17.

haud secus, ac duas illas priores, Autor falsas ac religioni
Pag. 21. Christianæ repugnantes esse declarat. Inducit deinde Philosophum, qui multa ambage persuadere lectori tentat, bestiis loco animarum inesse diabolos, quos ante diem mundi extremum in locum inferis destinatum nondum deturbatos fuisse,
24. arbitratur. Credit adhæc, *Victorem*, Presbyterum Antiochiæ, jam olim eadem in sententia constitisse, ac multus est, ut,
26. diabolos tormentis nondum traditos fuisse, ostendat. Ut ille opinionem suam probabilem reddat, exponit dolores, cruciatus, & labores, quibus jumenta & bestiæ circumfluunt, & qui ex statu puræ naturæ haud videntur esse deducendi;
44. enarrat strages, quas sæpius bestiis inferat voluptas summatum; edisserit noxias, quas bestiæ solent inferre & sibi invi-
45. cem, & generi humano; adjungit, hæc vitia & illos cruciatus haud congruere fini primæ creationis, qui constiterit in eo,
50. quod est optimum; dicit de modo, quo diaboli cum corpore bestiarum conjungantur, quem comparat cum Indorum *me-*
57. *tempsychosi.* Nec ipsum pudet, ex hisce opinionum umbris demonstrare damna, quæ per locustas & erucas agris arbori-
59. busque subinde inferuntur. En ejus verba: *Anno, quo hæc usu veniunt, vel proxime superiori, periit extraordinarius bestiarum numerus, avium, aut piscium, cum universis suis ovis, ita ut diaboli, qui istas animabant, cogantur sese conjicere subito in speciem, quæ ipsis quamprimum est obvia, & quam*
60. *inveniunt ad sese recipiendos aptam.* Autor huic systemati opinionum subjungit hoc judicii *pag. 62: Quemadmodum ex una parte animadverto, systema id difficultatibus omnibus dissolvendis respondere, ac difficulter coargui illud falsitatis posse;*
62. *ita ex altera parte haud video, ipsi satis solida esse præsidia, quibus persuasio penitus conciliari possit.* Nec tamen ipse audet certi quid de principio sensionum ac facultatum animæ
63. inferiorum, quæ bestiis insunt, definire. Bestias vero loqui, id est, certis signis desideria conservationis, propagationisque, indicare, non solum ex eo colligit efficitque, quod ipsis insit principium cognoscendi, sed ex ipsis etiam observationi-
67. bus ostendit quotidianis. Nec reclamat indoles commercii,

quod

quod bestiis ipsis cum aliis generis sui intercedit. Commercium enim dissilit ac evanescit, quamprimum unus alterius sensa haud amplius habere potest comperta. Tandem Autor Pag. 73.
significat, quam paucula sint bestiarum signa, quorum interventu ipsi desideria sua invicem communicant, siquidem ipsa terminantur finibus desideriorum, cupiditatum, sensibus connexarum, atque necessitatum. Jucunda sunt & oblectationis 100.
plena, quæ de cantu hirundinum passerumque disserit. Delectat lectorem Autor, & ea, quæ verbis paucissimis exprimi poterant, egregie diducit, atque ad placendum componit, ut videatur non scripsisse argumentum, sed delineasse atque pinxisse. Si vero solidiora expetit Lector, eum non possumus non ad Cl. *Ribovii* editionem novam *Rorarii*, inprimis ad Commentationem, ab eo huic subjunctam, remittere.

DISSERTATIONS MELEES SUR DIVERS sujets importans & curieux.

hoc est,

DISSERTATIONES MISCELLANEÆ DE rebus diversis magni momenti, ac attentione dignis.

Tomi II.

Amstelodami, ex officina J. F. Bernardi, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 10.

Ut in palatio magno varia spectatori sese offerunt vasa, alia ornatui futura, alia necessitatibus sublevandis apta, alia autem actionum minus decorarum adminicula; ita *Tomis* hisce insunt argumenta majoris momenti ac minoris, nec non ea, quæ Deismo videntur favere. *Tomus prior* pentada complectitur Dissertationum, *primam de origine mundi*, de complexu stellarum, & ordine corporum cœlestium, ex sententiis veterum, de opinionibus veterum super origine & interitu mundi; *secundam*, forma epistolæ instructam, de Autoribus, qui operam collocarunt in demonstranda religionis Christia-

næ veritate; *tertiam*, literarum modulos præferentem, qua propugnatur potius, quam demonſtratur, contemtum, quo afficiuntur Judæi, maledictione Jeſu Chriſti in eos promulgata eſſe antiquiorem; *quartam* de Martyrio; & *quintam* de Immortalitate animæ, vel potius mortalitate. *Tomo poſteriori* totidem continentur Diſſertationes. *Prima* in eo verſatur, ut diluceat, teſtimonium *Joſephi* de Jeſu ac *Joanne* Baptiſta eſſe ſuppoſititium; *ſecunda* oſtendit, epiſtolam, *Barnabæ* attribui ſolitam, egregiorum quidem dogmatum nonnihil complecti, eſſe tamen ſuppoſititium fœtum; *tertia*, a Cel. *Faydito de Riom* profecta, Memorias eccleſiaſticas *Tillemontii* emendat, caſtigat, & refellit; *quarto* loco comparet epiſtola P. *Bruni* (*Le Brun*), Presbyteri Oratorii, ad Provinciæ Epiſcopum. *Quinta* conſtat dijudicatione edicti, a *Ludovico XIV* promulgati, ſuper reformatione Monaſteriorum. *Prima*, *tertia*, & *quarta*, *Tomi prioris* Diſſertatio debetur Autori, qui nondum aperte in ſcenam orbis literati prodire conatus fuit. *Prima* egregie recenſet opiniones vetuſtiſſimorum Philoſophorum de mundo, ejusque corporibus magnis, origine & interitu, haud occulte indicans, opiniones easdem ſacris literis contineri. Ubi monuerat Autor ejus, Chaldæos cenſuiſſe, lunam lumine ſibi proprio lucere, ſtatim ſubdit:
Tom. I pag. 12. *Ignoro, an non dicendum ſit, Moſen ob oculos habuiſſe opiniones haſce populares, Gen. I, 14 ſeq.* Cum dixiſſet, Ægyptios ac Phœnicios de chao ſtatuiſſe, id mundo fuiſſe antiquius, ſubjunxit: *Non eſſet mirandum, ſi Judæi, vicini ipſis, eandem opinionem*
51. *addidiciſſent. Sed non inveſtigabo id, an illud, quod Moſes in Geneſi dixit, ſit re vera ex Ægyptiorum inventione, an potius*
52. *Moſes ipſis doctrinam illam ſuppeditaverit.* Voci ברא, κτίζειν, ineſſe ſignificatum producendi aliquid ex nihilo, ne-
56. gat, muniens ſeſe conſenſu *Newtoni*, ac cum *Thoma Burneto* exiſtimans, modum, quo nunc exponitur mundi creatio, ve-
58. teribus omnium gentium Philoſophis fuiſſe ignotum. En floſculum alium. Autor in ea eſt hæreſi, ut credat, Judæos ac Chriſtianos non potuiſſe Philoſophorum occurrere objec-
66. tionibus, niſi hiſtoria creationis allegorice explicata. Stoicos

cos incendio mundi ultimo ac panoletrico pollicem pressisse, docet, ratus, illos a Syris ac Phœnicibus isthæc fuisse edoctos. De *Sethi* columnis disserit, quarum scriptura, licet supposititia, illa opinio confirmetur. Addit tandem *pag.* 72, Jesum huic opinioni sese conformasse, dum docuerit, die adveniente ultimo stellas de cœlo esse lapsuras. Apostolos approbasse doctrinam de Chiliasmo, sibi persuadet, eo quod *Papias*, discipulus eorum, qui ab Apostolis didicerant, eam fuit, *Eusebio* teste, amplexatus. Ejusdem commatis est illa Autoris opinio, qua præmunitus, putat, primos Christianos carnali sensu fuisse imbutos de regno Christi terrestri. Videtur in hac Dissertatione Autor vitulo *Thomæ Burneti* arasse, dignus ideo, qui scripta, quibus paradoxa *Burneti* fuerunt castigata, diligenter evolvat. Cel. *Muratorii* librum, haud ita pridem *Burneto* oppositum, laudavimus suo loco. Credit Autor, Christianos primos, diem mundi extremum instare, credidisse, eo quod ipsi opinati fuerint, supputationem Alexandrinis Interpretibus probatam esse veram, & sex millia annorum, ultra quos mundus sit substiturus, tantum non præteriisse. Significat deinde, Christianos primos zonam torridam habuisse pro inhospita & habitationibus hominum inhabili. Dari Antipodas, fabulæ plenum Christianis primis visum. Quæ de ruderibus ac reliquiis arcæ *Noachicæ* veteres tradiderunt, fabulosa ipsi videntur, addenti, montem Ararat semper nive esse obtectum. Liberius sentit, ita pronuntians: Mirabile est, Græcos & Romanos nunquam de diluvio universali meminisse. Si Autor per montem Ararat intelligeret montem insulæ Aradi, ac *Plinium* cum *Solino* attente legisset, utrumque dubitationis momentum in auras abiret. Diluvium *Noachi* videtur pro hyperbola, Orientalibus familiari, reputare, refugiens ad opinionem similem filiarum *Noachi*, credentium, sese solas esse in terris superstites. Diluvia repetit ab inundationibus, &, ab his regna integra posse submergi, vel superfundi, ipsi videtur incredibile. Parentem generis humani sese credidisse primum hominem, scribit, haud occulte, ventositatem subesse huic gloriæ, significans. At Deus ipse

Pag. 70. 75. 77. 95. 114. 115. 122. 129. 132.

ipſe ita nos per *Paulum* docuit citra ullam gloriæ inanitatem.
Pag. 136. Judæos credidiſſe, animam eſſe mortalem, credit, ratus, *Platonem* & Stoicos docuiſſe primos animæ immortalitatem. Sed quis neſcit, mortem corporis deberi peccato, & corpus ipſum fuiſſe immortale haud ſecus ac animam, ni peccatum occupaſſet orbem? Ubinam vero docetur, peccato illo animam depoſuiſſe immortalitatem? Anne ſubſtantia ſimplex, & eſſentia cogitandi, cogitationesque, reſpectu ſtatus ſui continuandi, inſtructa, poteſt per ſeſe perire, & fieri mortalis? Gentium plerasque ſeſe credidiſſe avtochthonas, addit, tacite ſignificans, *Adami* poſteros eadem in puppi navigaſſe. En Deiſmi ſuſpicionem, Autori haud immerito impingendam.
162. In Diſſertatione *altera* indicatur, *Acoſtam* Judæum obiiſſe in modum Deiſtæ, ac ſcripſiſſe librum ſub titulo: *Exemplar vitæ humanæ*, in quo deſtruere ſtuduerit religiones univerſas. Additur & hoc, *Limborgium* argumentis hujus Deiſtæ minus bene reſpondiſſe, licet ex *Ludovico Vive* potiora deſumſiſſet, ex quo reliqui de veritate religionis Chriſtianæ ſcriptores arva rigaverint ſua. En Deiſmi ſtabiliendi ſtrategema novum! *Diſſertatio* autem *tertia* omnem vim detrahit ſententiæ Chriſti, in Judæorum contemtum & exitium latæ. Sunt in ea eruditionis de reliquo non ſpernenda argumenta. At id comprobatum non fuit, Judæos ante illam ſententiam caruiſſe notitia tribuum, gentibus omnibus dominatu indignos fuiſſe viſos, ſacrificiis in perpetuum fuiſſe excluſos, &c. Ab aliquo contemtu, quo Judæi fuerunt affecti, ad pondus ſententiæ
202. Chriſti detrahendum infirmo ſane proceditur talo. *Diſſertatio quarta*, qua ſtudium martyrii, ac martyrii, pro veritate ſuſcepti, conſtantia, eluditur, in eo, quod res eſt, fallit. Licet enim obſtinatio, durior victus, & conſuetudo, ac perſuaſio de animæ immortalitate & cœleſti gaudio, multum hic poſſint; inde tamen nondum ſequitur, nulla martyria eſſe veritatis divinæ documenta. Quicquid vero ex penu hiſtoriæ ac artis humanæ depromi poteſt contra martyrii ſigillum, id univerſum in hanc Diſſertationem fuit conjectum. Fraudulentus eſt titulus *Diſſertationis quintæ*, cui inſcriptum eſt: *Tra-*

Tractatus de immortalitate animæ. Nam in eo argumenta Pag. 254.
aliquot *Platonis*, pro immortalitate animæ ſtabilienda allata, refelluntur, ac anima habetur pro accidenti corporis, quod, corpore intereunte, ſimul perit. Miramur, Autorem huic animæ corporeæ & mechanicæ *libertatem* tribuiſſe. Dum vero credidit, animam homini ineſſe, uti anima brutæ ineſt beſtiæ, & hanc pro corporis parte reputavit, non potuit, quin in illam opinionem delaberetur. Ni ſexcenties demonſtratum 267.
eſſet, vim cogitandi a viribus motricibus corporum toto differre cœlo, ac non niſi ſubſtantiæ ſimplici eſſe propriam, plura in gratiam lectorum adjungeremus antidota. Apparet autem hinc, quantum ii accipiant detrimenti, qui, Logica liberiori contenti, eſoterica Logices, Metaphyſices, & Phyſices, elementa ordine demonſtrationibus corroborato haud ſalutant. Ventum eſt in ea tempora, quibus homines nolunt vento ac vultu ad auſteritatem compoſito ad veritatem religionis duci. Robore ac argumentorum nervis eſt opus, ut difficulter credulos emendemus. At progredimur ad *Tomum poſteriorem.*
Diſſertatione prima teſtimonium *Joſephi* de Chriſto, *Ant.* Tom. II
XVIII, 4, perſcriptum, pro ſuppoſititio ac intruſo venditatur, eo pag. 9.
quod id *Joſephi* Phariſæi perſona ſit indignum, a ſcopo alienum, & contextui inimicum, qui non niſi teſtimonio illo ejecto apte fluat & cohæreat. Digna ſunt Autoris argumenta copioſiori dijudicatione, quam quæ nobis hic eſt permiſſa. Ediſſeruit ſane is cauſam ſuam cauſæque momenta, ut nil fecerit reliqui. Epiſtolam *Barnabæ* eſſe ſuppoſititiam, Autori
Diſſertatione ſecunda facile accredimus. *Tertullianus* Epiſtolam 37.
ad Ebræos intellexit per *Barnabæ* Epiſtolam ad Ebræos. *Eu-* 38.
ſebius vero Epiſtolam *Barnabæ*, de qua hic nobis ſermo, jam
in ſpuriis numeravit *H. E. VI*, *13*, *14*. *Uſſerius* primus eam 39.
produxit, ac formis publicis deſcribendam curavit, nec non P.
Hugo Menardus, Benedictinus. Juvat legere *Fayditi* ſtrictu- 63.
ras in *Tillemontii Memorias eccleſiaſticas.* Hunc enim fontes neglexiſſe plerumque, fabulis frigidam ſuffudiſſe, paſſim erraſſe, tam liquido demonſtratum eſt, ut nihil ſupra. Egregia hinc inde inſeruntur ſtricturis anecdota, quæ alibi quæſiveris

Pag. 150. ris frustra. Epistola R. P. *le Brun* versatur in exhibendo compendio ex *Hequeti*, Medici, libro *le Dispense sur le Carême*, in quo jejunia prædicantur, tanquam valetudini tuendæ convenientia. In *Cogitatis* ad edictum *Ludovici XIV* de reformandis Monasteriis suppeditantur adminicula & consilia, quibus possint monasteria minui, & incolæ regnorum augeri. Sed surdis fabulæ.

SOCRATES PHOEDRUS ΔΙΑΛΟΓΟΣ *DE MUtatione substantiali Peripatetica asserta, nunc vero contra Notas MStas confirmata & vindicata, in XII Colloquia partitus.*

Venetiis, apud Jo. Mariam Lazzaronum, 1739, 8.
Plag. 18.

Julio *Antonio Sangallo*, Ordinis S. *Francisci* Monacho, debet orbis literatus Notas ad Institutiones philosophicas *Eduardi Corsini*, satis elaboratas, & recentioribus Peripateticæ Philosophiæ osoribus oppositas. Iterum idem jam in arenam descendit, Dialogi formam sumens, in quo *Socrates* ejus personam gerit, causamque agit, Anonymus vero partes *Corsinii* susceptas tuetur, vel potius sua cadit causa, notulis convulsa &
Pag. 12. exstirpata. *Corsinius* ille, Congregationis scholarum piarum Pisis Professor Logices, Philosophicas Institutiones primus ediderat, easque posthæc virgula censoria *Sangallus* notaverat, ab Anonymo reclamante deinde confutatus. *Sangalli* libellus titulum præfert: *De substantiali mutatione ad mentem Peripateticæ scholæ*, novatoribus oppositus, *Aristotelis* studiosus. Notæ Anonymi, *Sangallum* oppugnantes, hoc Dialogo retun-
26. duntur examinatæ. Duodecim barbarismos & solœcismos
36. Anonymus notaverat in *Sangallo*, qui hic in limine depelluntur, exemplis Patrum ecclesiæ allatis, qui sæpius minus Latine sensa animi expresserunt, nec non nævis stili, quibus ipse *Cicero* fuit insignis, teste *Erasmo* in *Ciceroniano*, & Cel. *Jacobo*
56. *Facciolato* in *Oratione ad Grammaticos pag. 8.* Scripserat *Sangallus*, recentiorem Philosophiam tum primum in scholis

ser-

serpere visam esse, cum Lutherana ac Calviniana magis ac magis in dies per orbem fuerit disseminata. Anonymus hanc propositionem appellavit *audacem*. Nonnihil ad emolliendam sententiam profert *Phædrus*, quod est nervis minus instructum. *Sangallus* certe duris ac parum comtis hinc inde *Corsinium* verbis fuit aggressus, quæ ipse sibi excidisse procul dubio dolet. Qui Anonymi accusationes, ex verbis illis contextas, repellit, propositiones acerbas haud defendit, nec laudat, sed, injuria carere, contendit. Subdit hæc tandem: *Nihil hoc in literario certamine reperio, quod fraternam lædere possit caritatem. Aspera quidem verba primo intuitu videntur, at in disputationibus aliquando non sunt.* In eos, qui inter Italos jugum excutiunt *Aristotelis*, ita declamat: *Eo res adducta est, quod multum ab ipsis Christiana læditur charitas, scandala ingeruntur, piæque aures vix tolerare possunt.* Quantus in *Sangallo* insit *Aristotelis* amor, vel inde clarissime elucet, quod illum a Deo credit missum ad errores hominibus eximendos, & quod docere allaborat, ex *Aristotelis* fonte doctrinam suam accepisse sacrosancta Concilia, præsertim Florentinum, in quo Episcopi duo Philosophiam Peripateticam autoritate ornarint. *Sangallus Boethium* Philosophum Sanctis adscripserat. Anonymus, id recte ab eo fieri potuisse, negat. *Socrates* vero hic ostendit, dudum recenseri *Boethium* sub nomine *Severini* in numero Sanctorum. *Cartesianam* Philosophiam odit *Sangallus*, & Protestantibus varietatem dogmatum theologicorum exprobrat. Suo certe commento ruit id, quod *Socrates pag. 83* jussus fuit significare: *Nulla apud illos est certa fidei confessio, nullum stabile dogma.* Hoc tam est verum, quam apposite hoc congruit judicium *Socratis* personæ, viri rerum Protestantium peritissimi. *Sangallus* regno etiam Neapolitano impegerat dicam novationum philosophicarum, quæ produxerint inconstantiam fidei orthodoxæ, ratus videlicet, a dogmatibus *Aristotelis* pendere constantiam doctrinæ theologicæ Romanæ. Ruinosum sane fundamentum *Aristoteles* præbet. *Socrates* inducitur sic judicare de Philosophia *Cartesiana*: *Nullo modo componi potest hac philo-*

Marginal page references (right margin, in order): Pag. 58. · 66. · 68. · 75. · 79. · 82. · 83. · 88.

philoſophandi ratio cum fide, ac proinde, qui ipſi fidit, in maximos errores ſe præcipitem det, neceſſe eſt. Ut ita ſtatuat, ſeſe adductum putat criterio veritatis *Carteſiano*, teſtimonio *Huetii* in *Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ Cap. 8 pag. 167*, ac
Pag. 91. *Merici Caſauboni* judicio *Epiſt. 16.* Addit gemebundus: *Si quid monſtroſi trans Alpes & mare huc advehitur, id, tanquam ſi e cælo deciderit, veneramur, & colimus, quaſi huc usque Italia ſine literis ac præceptoribus fuerit!* Hinc illæ lachrymæ! *Socrates* ille novus mavult cæcutire, quam perſpicillis uti. Miramur ſane, ipſum fidem habuiſſe *Mario Merſenno*, qui numerum iniit Atheorum, Lutetiæ agentium, quaſi Athei ibi inſtar exercitus viritim prodirent ac luſtrarentur. *Sangallus* haud abnuit, *non omnia, quæ abſolute & ſimpliciter in Con-
95. ciliis affirmantur, fidei decreta eſſe*, muniens ſeſe *Cani* autoritate, ac *Vincentii Contenſoni*. Et, cum indicaſſet, *Fideles* ex ſententia Eccleſiæ Romanæ *vere manducare corpus, & vere potari ſanguine Chriſti Domini*, ſtatim ſubjungit hæc: *Guſta-
101. tur non carnali guſtu, ſed ſpiritali.* Singulare eſt, *Sangallum*
105. tribuiſſe cognitionem ſenſitivam corporibus beſtiarum. Corpus enim ſi facultates cognoſcendi ac appetendi inferiores recipere poteſt, nil ſupererit rationis, cur illud gradui ſuperiori recipiendo ſit ineptum. Id vero *Socrates* ſolide ſatis oſtendit, quod *Sangallus* affirmaverat, videlicet *Julianum Apoſtatam* Chriſtianos arcuiſſe a Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* diſciplina.
113. Miro idem ingenio reſpondet ad ea, quæ *Tertullianus*, *Irenæus*, *Hieronymus*, aliique eccleſiæ primæ Patres, de *Ariſtotele* ſenſerunt, ipſe defendendi *Ariſtotelis* ſui ne minutulam qui-
119. dem prætermittens occaſionem. De anno *Thaletis* natali
126. paucula diſputat, incertus, eum utrum in anno primo, an in anno ſecundo, Olympiadis XXXV figat. Hinc de anno ad-
130. venientis in Italiam *Pythagoræ* litem diſceptat. Tum elogia *Ariſtotelicæ* Philoſophiæ cumulate exponit. *Pythagoram* Philoſophum fuiſſe Carmelitam, negat, præeunte *Daniele Pa-
144. pebrochio*, contra *Philippum Teſſiere*, Carmelitam. *Epicuri* vi-
151. tia, a veteribus decantata, repetit. *Ariſtotelem* ab obtrectatoribus defendit. Eclecticæ Philoſophiæ patronos credit *Ariſtotelis*

telis fuisse veneratores. *Plotinum Aristoteli* favisse, *Simplicius* certe existimavit, qui *Jamblichum* ad eandem sectam pertrahere allaborat. De *Porphyrio* fere nil litis exstat. *Didymus* modos ratiocinandi *Aristotelicos* suspexit & affectatus fuit. *Damascius* Syrus eadem imbutus fuit mente. Quod vero Autor credit, *Lutherum* a Peripato discessisse, eo quod transsubstantiationem rejecerit, & consubstantiationem invexerit, in eo bis fefellit. *Aristoteli* enim nil rei est cum transsubstantiatione, quippe quæ *Aristotelis* dogmatibus repugnat. Consubstantiationem vero eucharisticam horret *Lutherus*, improbant *Lutherani*. *Tiberio* Autor largitur duplicem imperii originem, unam Proconsularis, alteram Augustei. Rectius autem videntur Chronologi epocham illam gemini imperii explosisse. *Strabonem* didicisse Philosophiam *Aristotelicam*, & *Xenarchum* ejus ætate Alexandriæ, Athenis, & Romæ, docuisse eandem, liquido docet ex *Strabone* ipso. Id vero videtur paradoxum, *Aristotelem* fuisse in Philosophia eclecticum, ipsumque eclecticum systema commendandum esse, quemadmodum contendit Autor; nec tamen a consultis Philosophiæ *Aristotelicæ* passim discedere licere, quod idem præcipit, docet, omnibusque viribus inculcat. Juvat annotare modum, quo *Cartesiani*, ecclesiæ Romanæ addicti, cum sententiis suis philosophicis in concordiam cogunt dogma transsubstantiationis. Ipsi videlicet existimant, nihil admodum sensibilis qualitatis vere & realiter remanere in Sacramento Altaris, solas vero species, quæ prius imprimebantur a substantia panis vinique, postea in sensibus nostris a Deo ipso effici. *Socrates* ille personatus videtur societate *Aristotelis* dignissimus, quippe qui abstrusam & inutilem hujus Physicen omnibus observationibus, experimentis, ac demonstrationibus recentiorum, inde deductis, præponit. Verba *Socratis* sic habent: *Tanta fuit Aristotelis sapientia, tantaque diligentia in veritate rerum naturalium indaganda, ut jure optimo dici possit, in vanum alios quærere certiorem doctrinam.* Ni fallimur, *Socrates*, inventa fruge, glandibus cupit vesci, suadens, ut in Physicis semper pueri maneamus. Philosophiam esse

Pag. 155. 158. 161. 163. 164. 173 seq. 178. 181 seq. 186.

ab Ecclesia emendandam corrigendamque, ac fidei subjiciendam, Autor hinc inde tradit, significaturus fortassis, Theologis imperium in Philosophos esse attribuendum. Alii idem
Pag. 190. adumbrant sub forma *Philosophiæ ancillantis.* Plerumque non satis perpenditur hujus sententiæ scopus & origo. Perplacet inter hæc *Socratis* recentissimi judicium: *Contentio non est instituenda, an pluris æstimandus sit Aristoteles, aut Plato, aut Epicurus,* (Cartesius, Gassendus, &c.) *sed an sint rationes hujus, vel illius, potiores; nam sola ratio simplicem autoritatem multum excedit.* Ex quo consequitur, eclecticum philosophandi genus in physicis esse optimum. Quæ est, ni fallimur,
195. ipsa *Corsinii* sententia, & quam *Socrates* novus tum approbat, tum refellit. Monet *Socrates, Potamonis* ætatem incidisse in Seculum a C. N. secundum, locumque, qui *Augusti* imperio eum tradit æqualem penes *Suidam,* esse corruptum. Quid illud sit, quod ipse in Veronensibus *Operum S. Hieronymi* editoribus *pag. 22* improbat, tam obscure fuit positum, ut causam invectivæ haud intelligamus. Ut ostendat, animam mundi ac stellarum *Aristotelicam* haud esse ab ecclesia Ro-
213. mana proscriptam, eam monet esse vegetativam ac sensiti-
222. vam, nonnullisque ecclesiæ Patribus probabilem visam. De materia prima araneas haud licet propius intueri. Quæ de resurrectione corporum & reliquiis Sanctorum venerandis affert, ad Philosophiam proprie non spectant. Quæstio, an divorum corpora resolvantur in materiam primam, (primum, e monadibus, seu elementis, aggregatum,) nobis videtur & inutilis & otiosa. Tandem, ut titulo satisfieret ex parte duodecima, duodecimo tandem Colloquio *de substantiali mutatione* exponuntur pauca. *Socrates* exorditur a materia, e qua fœtus originem ducit; recensens opiniones veterum & re-
235. centiorum, ac nihil certi definiens. Subdit deinde *Aristotelicam* rei expositionem hoc modo: *Primum generationis prin-*
236. *cipium ipsa est anima, quæ virtutem tribuit semini ad generationem apto.* Non certe voluntas: alioqui generare pos-
247. sent, qui vellent; multo minus intellectus, qui generationis modum ignorat. Simul ac vero *vim occultam* ab anima de-

rivas,

rivas, a qua gignendi causa sumitur, causa videtur dicta. Dolemus inter hæc, vim illam occultam a nobis ignorari, ideoque dici occultam, ideoque rationem luculentam physicam haud continere, nisi putes, animam tuam per vim occultam in murum Chinensem actuosam esse posse. Id habet Peripatetica Philosophia peculiare, ut voces monstrosas ipsa ostentet, quotiescunque claræ & distinctæ desunt rationes. Ipsa enim tradit, *activam vim magneticam in ferrum agere*, quasi sic ratio sit aperta, cur ferrum magneti jungatur cohæreatque. Non vacat adjungere complura. Stilus, in colloquiis adhibitus, passim est ejusmodi, ut sub incudem revocari possit. Colloquiorum facies id habet singulare, ut sub initiis transitiones ad argumenta philosophica adhibeantur, violenti quid trahentes, exitusque nonnihil præferant tumultuarii. Ex tractatione ipsa patet, *Socratem* continuas victorias reportare. An vero *Socrati* & *Phædro* conveniat argumentum rei philosophicæ, quam *Socrates* olim ne quidem per nebulam vidit, judicium esto aliorum. Viros tamen, qui Italiam eruditione sua illustrant, operam dare scriptis Anglorum, Gallorum, Batavorum, ac Germanorum, præstantissimis legendis, hinc inde ex decursu Colloquiorum læti animadvertimus, non minus condocefacti, Philosophiam *Aristotelicam* in Italia passim in eo esse rerum articulo, ut desinat placuisse, animamque agat. Pag. 252.

TRACTATIO JURIS PUBLICI DE INDIgenatu Polonorum, ex Jure publico Polonico deducta ab ANDREA SCHOTTO, Ag. Dantisc.

Dantisci, apud Georgium Marcum Knochium, 1738, 4.
Plag. 6.

Nobilitas Polonorum est dignitate & jure æquali. Minimus ordinis illius ad regium adspirare diadema, comitiis interesse, ac decreto sanciendo, ne id valeat, intercedere, potest. Eam ob causam equites Poloni dignitate extranea quanta-

quanta

Pag. 5. quanta ornari ſeſe recuſant. Si extranei Polonicæ nobilitati
loco præmii adſcribuntur, *indigenatum* prius ſuſcipiunt, id
eſt, jus natalium ſoli generisque Nobilis Polonici. Indigena-
tus Polonicus eſt prærogativa, nobili extraneo in Comitiis
ſub certis conditionibus tributa, quæ ipſum jurium Nobili-
tatis Polonicæ participem reddit. Origo rei ex hiſtoria *Lu-
dovici* Hungari innoteſcit. In pactis enim, A. 1374 Caſſoviæ
initis, id cavebatur, ne Rex magiſtratum, ſive honorem, ullum
perpetuum externo cuiquam conferret, ac ne præfecturam
quidem arcis cujusdam, aut oppidi, quæ jurisdictionem adjun-
ctam habeat, immo ne indigenæ quidem illuſtri Ducum ge-
nere orto. Occaſionem legi dederat factum Reginæ *Eliſabe-
thæ*, quæ ante biennium *Prædislao Goluchovio*, præfectura ma-
joris Poloniæ moto, ſucceſſorem dederat *Ottonem Pilecium*,
qui tamen invidiæ ceſſit, præfecturaque ſeſe abdicavit, ut *Sen-
divoius Subinius* ipſi ſucceſſor dari poſſet *indigena*. Sic Au-
tor Clariſſimus. Ni vero fallimur, Scythicis nationibus amor
ille gentilitatis ſuæ ex ultimis ætatibus firmiter infixus hæſit.
Indigenatum olim Rex Poloniarum ſolus contulit, teſte *Cro-*
8. *mero* in *Deſcript. Polon. Lib. I pag. 102.* A. 1578 jus confe-
rendi Nobilitatem ad comitia tractum fuit. Et paulo poſt
Indigenatus ſortem ſenſit eandem, præcipue legum, A. 1607
9. latarum, ſpeciali Articulo *de Indigenatibus fol. 862.* Licet ve-
ro exigatur id, ut conſtitutioni comitiali indigenatus collati
mentio inſeri debeat; ſufficiet tamen, ſi etiam verbis genera-
liter conceptis citra luculentam Indigenæ denominationem
10. id factum fuerit. Indigenatus jurium candidatus ſit *Nobilis*,
neceſſum eſt. Nobilitatis ſuæ demonſtrationem indigenæ
expediunt diplomatibus avthenticis, inſpectantibus cauſæ hu-
jus cognitoribus, publice deſignatis, proximis poſt collatum
13. indigenatum comitiis. Si quis Nobilitate ſit illuſtrior, vel offi-
cia Principi extraneo præſtet, inde tamen ad Indigenatum
conſequendum haud eſt ineptus, qui non ſolum in parentes,
17. ſed etiam ipſos liberos, confertur actu eodem. Si fratrum,
vel conſanguineorum, habetur ratio, eorundem clara in Di-
plomate, quo jus indigenatus confirmatur, mentio ingeritur.
Can-

Candidati est, sollicitare *Nuntios provinciales*, vel *præfectos exercituum, exercitus*, vel Principes Regesve exteros, ut eorum opera commendetur proceribus, ad comitia congressis. Meritis quoque honos hic haberi solet, e. g. dexteritati in le- Pag. 25.
gationibus comprobatæ, eruditioni, vinculis pro republica toleratis, summæ æris datæ, subsidio militari collecto. Indigenis novis jusjurandum fidelitatis est edendum, eorumque ad 28.
liberos idem officium transit, ni minoris sint ætatis. Ipsorum est, possessionem sibi inter Polonos acquirere. Usum indigenatus Clariss. Autor collocat in suffragandi libertate in- 36.
tra comitia, tum publica, tum privata, in aditu ad dignitates & munera, quibus ecclesiasticus non inhæret character, nec non in libertate acquirendi bona, quæ haud possunt moveri. Jura autem indigenatus amittuntur decreto Principis, 39.
admisso dedecore, vel facinore aliquo atroci, nec non sordido quæstu, quo victus paratur intra jurisdictionem civitatis. Quemadmodum vero nobilitas per declarationem novam re- 40.
stitui potest; ita idem de Indigenatu Autor idem sentit, licet ab exemplis in medium proferendis sit imparatus. Gra- 43.
tulamur Autori de hoc Juris publici Polonici specimine, eumque publico rogamus nomine, ut tractet pari diligentia de Indigenatu Borussiæ promissum ab ipso argumentum.

JUSTI MARTINI GLÆSENERI, THEOL. LIC. & Eccles. ad S. Andreæ Hildesh. Mißbrauch der Eide, als eine Quelle vieler Meineide,

id est,

ABUSUS JURISJURANDI FONS MULTOrum perjuriorum.

Helmstadii, apud Christianum Fridericum Weygandum, 1740, 8. Plag. 10.

In formula dedicationis, ad Senatum Hildesiæ directa, Autor, nuper Vindobonæ defunctus, gloriatur, a sese argumentum de jurejurando in suggestu sacro ante menses quinque esse pertractatum, atque ex eo tempore in comitiis tribuum ac opificiorum minus sæpe, quam antea,

 audiri

audiri jusjurandum, ejusque solennitatem. Hortatur illum, ut reliquias juriumjurandorum tollat, aut magis restringat, provocans ad cogitationes suas hasce, testimoniis Theologorum ac Jurisconsultorum corroboratas. De cetero haud inficiatur in Præfationis limine, tot exstare de hoc argumento scripta, ut superfluum sit, de eo aliquid literis denuo consignare. Addit querelas de Christiana vita penitus collapsa, quas nonnulli minus exercitati statim pro nota magnorum arripiunt Theologorum. Declamat deinde de officio ecclesiastæ, in vitiis publice castigandis occupato, de prudentia ecclesiastica prorsus tacens. Significat tandem, sese tres orationes sacras, novitio habitu indutas, hic in lucem eniti. Absit a nobis per omnem modum, ut Autori merita sua, & libello huic utilitatem suam publicam, invideamus. Egregia libello insunt passim malorum remedia, & virtutum adjumenta. Tractatio omnis in *quatuor Capita* abit, quorum *primo* exponitur de jurejurando, *secundo* de perjurio, ejusque pœnis, *tertio* de abusu jurisjurandi, *quarto* de remediis abusuum istorum. Dominatur in libro stilus inæqualis, atque hinc inde hiulcus & hæsitans, & pruritus ad ea confirmanda, de quibus nemo sanus dubitat, citando libros bene multos. Abusum jurisjurandi fontem esse, putat Autor, perjuriorum, & nihilo minus de rivo prius exponit, quam de fonte. Perjurium certe summus jurisjurandi est abusus. Quo ipso docemur, inscriptionem libri esse inconvenientem, quippe ostendentem haud occulte, idem sui ipsius posse esse originem & fontem. Subinde Jus Canonicum & Jureconsultorum Dissertationes librosque laudat, ubi testimoniis afferendis locus non est. Laudamus ipsius consensionem cum eis,
Pag. 37. quæ B. *Stryckius* uterque variis Meletematibus exposuit. Veremur vero, ne magna pars tractationis in auras ierit, si *Stryckiana* inde rursus abstraxerimus. Parum abest, quin Autor eis spem resipiscendi demat, qui semel pejerarunt, ratus, eos, quos probabile est semel pejerasse, ad jusjurandum
125. denuo edendum haud esse admittendos. Suadet tandem, ut jusjurandum e judiciis ac foro externo tollatur, inductus argumentis infirmis, nempe 1), Christianos ob fœdus baptismale

male

male ad veritatem & virtutem esse obstrictos, dictans; & 2) credens, genuinos Christianos citra jusjurandum veritati ac virtuti litare, malos vero, cupiditatum dominarum servos, jurisjurandi rationem nullam habere. Quis vero bonos putabit esse bonos ubique, & in singulis negotiis & ubique tales fore? Cur improborum non dantur gradus? Anne mali mortales sunt ex æquo perdite mali, & conscientiæ omnis orbi? Inter hæc non negamus, usum jurisjurandi debere esse parcissimum, rebusque summi momenti, alia ratione quæ confici nequeunt, unice accommodatum.

MEDICINÆ COMPENDIUM, IN USUM exercitationis domesticæ digestum a JOANNE DE GORTER, A. L. M. Medicinæ Doctore & Profess. Ord. Accedunt Orationes: De Praxis medicæ repurgatæ certitudine; de animi & corporis consensione mirabili tam in secunda, quam adversa, valetudine.

Partes II.

Lugduni Bat. apud Janssonios van der Aa, & Balduinum & Petrum van der Aa, 1731 & 1737, 4.

Alph. 3 plag. 13, c. Fig. æn.

Prima Pars complectitur partium corporis humani usum, & morborum theoriam generalem. Ad mentem Mechanicorum exigere tentavit Autor theoriam hominis sani, deque firmarum partium nexu, fabrica, origine, & usu, dispicit. Operosus est in exponendis summis conceptibus de solido, fluido, &, qui his intermedii sunt, variis consistendi modis. Fibræ simplicissimæ cavum denegat, cujus cum sui similibus cohærendi modum nexu, nunc perpendiculari, nunc parallelo, fieri, autumat. Tribus potissimum modis, immersione & mutatione spatiolorum possibili, particularum levitate, & humore alluente, isthanc cohærentiam cum determinatione ad motum fieri, declarat, quam elasticitas connata fibræ, qua illa, tensa, subito in pristinum redit, multum adjuvat. Hanc sibi tulit legem Autor, ut singulo tractatui subnecteret statum hominis contrarium & morbosum; adeoque de soluta unitate fibrarum meditationem subnectit doctrinæ de cohærentia. Cohærent

 fibræ;

fibræ; inde robur, quod fit *aggregatione* plurimarum fibrarum in unam, propiore contactu suarum partium, *vi attractrice*, inter partes aucta, aliisque momentis. Excessus roboris, *rigiditas*, in vitio ponitur, cui etiam statim opponuntur medicamina, sicut & *debilitas*, aut *fragilitas*, solidorum summum ipsi genus est, sub quo varii morbi collocantur, potissimum qui rupturam vasis præsupponunt. Affinis huic statui est *laxitas* solidorum. Reviviscunt nunc antiquorum placita, quorum sententias profiteri velle, huc usque infamiæ fere loco habitum fuit, & antiquissimorum Methodicorum terminos, τὸ στεγνὸν καὶ ῥεῶδες, τάσιν καὶ χάλασιν, ἀτονίαν καὶ ῥῶσιν, ad nostra tempora continuatos, & a Mechanico admissos, miramur. Habent tamen miram significandi potentiam, & vivam imprimunt mentibus rerum imaginem. Elasticitati fibrarum, quæ circuli humorum primaria causa est, opponitur ejusdem inertia, flacciditas, & contractio, quam decebat esse, minor, sicut & fibra, si majus, quam par est, robur acquisiverit, in statu morboso versatur. Sic & elongatur nimium, vel extenditur, fibra, nunc cum renisu oppositæ obrigescit, nunc omnes laxantur. Sub hoc genere collocantur procidentiæ partium ex cavis corporum; adeoque cura peragitur adductione fibræ in summam sui contractionem. Autor sanitatem, morbum, curam, prout ex se invicem isthæc naturali sequela fluunt, simul semper tradit. Fibram decet esse humoribus irriguam; quod si secus factum fuerit, vel ex siccitate ejusdem, vel nimia humiditate, læditur integritatis humanæ status. Ast fibræ vario modo in varia compinguntur organa. Primaria vasa corporis sunt nervi, tomento fibrillarum, ex cerebro & medulla oblongata collectarum, compositi, accedentibus integumentis. Liquorem, qui his inest, spiritum appellare haud abnuit. Huic suæ competunt motuum leges, egreditur, recurrit, infunditur in venas, glandulas, evaporat, instauratur ex sanguine carotidum. His tum aliæ actiones, tum sensus, fiunt, qui est motus mechanicus, in organo excitatus, & ad sensorium commune delatus, quo mens de rerum sensibilium qualitatibus instruatur. Modesta isthæc sit sensatio & prorsus tranquilla, quæ, si tantisper abhinc recesserit, conceptum de dolore

in

in nobis excitat. Dolemus in omnibus organis, sua tamen in unoquoque ratione. Potissimum autem tactus vitium est dolor, tensivus, terebrans, rodens, lancinans, aliusve, cui, pro indole & discrepantia causarum, sua parantur remedia. Fibræ, nervi, vel alius originis vasculum, sub forma funium, aliove modo, compactæ, fiunt musculi; fibra potissimum nervea, suo humore impleta, motus demum causa est, ad quamcunque lineam isthæc dirigatur. Cor etiam musculus est, cujus virtus respondet massæ humorum movendæ, & a *Keilio* aliter, non nisi unciarum octo ponderi, aliter a *Bernoullio*, librarum scilicet 135000 ponderi, æquiparatur. Arteriæ, quæ a corde progrediuntur ad partes, achronon cordis motibus servant motum, contracto expanduntur, expanso collabascunt, & nituntur semper ad minimam suæ contractionis diametrum. Cordis actio pulsibus sexaginta intra minutum horæ, si quis valet, utplurimum absolvitur, qui vario modo morbosus fit, debilis, celer, tardus, frequens, rarus, inæqualis, undosus, vermicularis, formicans, myuros, dicrotos, capricans, tremens. Musculi quoque tremunt, tum aliis, tum spirituum maxime, vitiis, vel vasorum oppletione, a solennibus excretionibus suppressis, vel virium debilitate, quæ vel per se substitit, vel morborum est symptoma, aut effectus. Humores solidis debito respondent modo; si sani esse velint, circumeunt, locali intestinove motu; in omni corpore sunt, vel in partibus; calorem vitalem, moti, augent; excernitur interdum secundum naturam sanguis; hæmorrhagiæ, qualitate, quantitate, motuque, vitium patiuntur; omnes, nisi periodicæ sunt, habentur pro præternaturalibus. Lympha, vel serum, suis singularibus circumfertur vasis, iisdemque ruptis effunditur in cava corporum sub titulo hydropis, qui nomen cum cavo, cui inest, mutat. Aliquando spurci liquores renibus expurgantur, quorum color, odor, quantitas, consistentia, inter signa pathognomonica est; ab humoribus, qualitatem motumque vitiosum habentibus, ad ea, quæ his opponi debent, remedia concludimus. Haud raro ex motu humorum intrinseco ipsa vasis continentis mutatur substantia; neque enim tantum ipsi humores ex male cohærentium partium pugna discedunt, & putredinem contrahunt, sed & vasa sua, in quibus feruntur, hoc

contagio inficiunt, unde per ulcera, per ossa cariosa, per glandulas suppuratas, diffluit ichor saniesque. Motibus humorum vitiosis opponuntur salia, vegetabilia, animalia, mineralia, quorum indoles explicatur. Moverentur humores, prout decet, nisi obsisteret haud raro viscidítas & pituita, vel salsa intemperies, variis corporis partibus gravis, aut partium inter se coalitus; hinc humor, qui vasis diametro major, secerni, vel excerni, nequit; inde quies & actionum vitalium, vel naturalium, turba. Contrarium obtinent humores, & nimium quantum diffluunt haud raro, quod pravæ consistentiæ vitium non minora incommoda creat. Ex imminuto motu fit stagnatio, hinc partium, quies, regurgitatio, actio cordis motui reluctans, inde tumor, ruborque sub nomine inflammationum, quod pristinam humores libertatem, obsistentibus insuperabilibus causis, obtinere nequeunt, secedunt in materiem saniosam sub titulo abscessuum, vel apostematis. Calori opponitur frigus. Cujus permutatio ad typum, febris est. Sic eleganter admodum ex sanitatis doctrina declaratur morbus, morbique remedium. Id quod sicut fecit doctissimus Autor ubique; ita salutis consilia fert in Oratione *de Praxeos medicæ repurgatæ certitudine*, &, quid mens in utroque humanitatis statu agat, vel patiatur, expedit in Oratione *de animi & corporis consensu mirabili*, cum in secunda, tum adversa, valetudine. Qui prima operis parte consilia sanitatis tulerat, altera nunc auxilia in medium profert, instructissimam scilicet materiem medicam & supellectilem rerum juvantium. Præmittitur morbi definitio & differentia, causarum urgetur cognitio, hinc cura adornatur, tum, quæ sanitatem servat, prophylactica, tum, quæ amissam restituit, therapevtica. Methodus est consueta & recepta inter artis peritos, morbum curandi, ex sufficientis rationis principio, norma, cujus effectus sunt, indicans, indicatio, indicatum, coindicans, contraindicans, regulæque generales. Medicamentum est triplicis naturæ regni, concretum, virtute quadam vel *energetica*, cujus ratio redditur a priori, vel *dynamica*, cujus modus operandi nullus clare patet, præditum, qua vel conservari salus, vel amissa restitui, possit. Hæc vel simplicia, vel præparata, vel plus minus composita, exhibentur, prout *Pharma-*

cevtica

ceutica singulorum titulos modosque consistendi sub forma varia explicat.

Soliditatem fibræ instaurant adstringentia, tonum roburque reddunt *roborantia*, contrarium præstant *laxantia*, quibus fibra ad elongandi sese potentiam disponitur, his etiam emollientibus nomen est. His gradu & imbecilliore agendi potentia inferior humectantium classis; quibus opponuntur siccantia, aut indurantia. Salus aliquando est ex unitatem lædentibus remediis, septicis, escharoticis, cathæreticis, quibus e diametro opponuntur antiseptica & balsamica, quæ sub adstringentibus, consolidantibus, & vulnerariis, tanquam species continentur. Quodsi vasa suis nimium repleta fuerint humoribus, exinaniuntur evacuantibus, quibus vel solennes excretiones suppressas restituimus, vel novas excitamus; humores, si qui ad effluvium nimis proni fuerint, incrassantur, crudiores, & ad quietem proclives, diluuntur. Vitia cutis absterguntur, torpidi motus excitantur & exstimulantur. Nec tamen ferocem nimis esse convenit vitalem æstum, qui infringitur motum minuentibus; cumque vitia primarum viarum perenni fomite sustineant sanguinis & humorum labem, expurgantur istæ a sordibus, remediis, quæ ventriculum, vel intestina, a decubitu, motis excretionibus sub titulo vomitus & dejectionis alvinæ, liberare possunt. Accedit Index rerum locupletissimus. Commendamus librum artis cultoribus, ex cujus lectione uberrimos fructus percepturi sunt.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA de Antonio Albizio, Nobili Florentino, Cardinalis Andreæ ab Austria Consiliario intimo, ejus conversione, & scriptis, cum genealogicis, tum historicis.

Gottingæ, typis Jo. Christ. Lud. Schulzii, 1740, 4.
Alph. 1 plag. 3.

A consuetudine nostra solet plerumque alienum esse id instituti, quo Dissertationum Academicarum summæ significantur publice, & argumenta earum exponuntur. Quoties tamen rariora obtigerint fercula, ac Dissertationibus pretium singulare ponendum est nonnullis, moris recepti haud

adeo

adeo sumus tenaces, ut, earum memoriam conservare, a partibus nostris judicemus abhorrere. *Albizius* sane exstitit vir plane præstans & dignitate & ingenio, illustris quondam, atque scriptis non tantum genealogicis, sed etiam theologicis, & his quidem ad purioris doctrinæ Evangelicæ confirmationem pertinentibus, aliquam celebritatem nominis adeptus, majorem promeritus, atque insignis pars Historiæ literariæ theologicæ. Præter *Vergerios Albizius* ad puriores in Germaniam ecclesias ex Italia concessit, de erroribus, ante approbatis, convictus. *Nobilium Theologorum Bibliotheca*, quam *Rollius* collegit, ex *Albizii* historia insigne accedit supplementum. Fortuna admodum singulari & rara *Albizius* studium theologicum cum genealogico conjunxit. Dignus proinde fuit tantus vir, quem Cl. *Franciscus Dominicus Haberlin*, Ulma-Suevus, præsidente, & antea elaborationem biographiæ dirigente, Theologo summo, *Jacobo Guilielmo Feuerlino*, copiosius descriptum, ac ex Phidiæ officina productum, daret in lucem & hominum celebritatem. *Memoriam Albizii* B. *Vejelius* breviter conscriptam curaverat. At majori cura & patentiori campo virtus *Albizii* erat dignanda, publiceque concelebranda. Et tunc temporis, cum hæc ederet, Clariss. *Haberlinus*, licet adhuc vitæ litaret Academicæ, scriptis tamen jam tribus inclaruerat. Edidit enim Dissertationem Epistolicam ad Cel. *Jaannem Davidem Kælerum de Consortio Imperii inter Fridericum Austriacum & Ludovicum Bavarum* pro Illustr. *Baumanno* contra quendam *Mansuetum Petropolitanum*. Edidit Dissertationem de Scholis Latinis & Gymnasio Ulmanorum. Edidit tandem Ulmæ A. 1739, 8, *Catalogum Bibliothecæ, a Viro Perillustri ac generosissimo p. b. m. Raymundo Kraft de Delmensingen, inclitæ Reipublicæ Ulmensis quondam Consule longe gravissimo & meritissimo, olim collectæ*. Addidit ei *Notitiam Codicum manuscriptorum* ejusdem Bibliothecæ, nec non *Designationem librorum quorundam, ab inventa typographia ad annum usque 1500 excusorum, excerptam ex Catalogo* majori Bibliothecæ ejusdem, *variis observationibus stipatam, & ita adornatam, ut Supplementum ad*

Cl.

Cl. Maittairii Annales typographicos haberi queat. Quantum boni ex hac Bibliotheca *Kraftiana* hauserit Pl. Rev. *Schelhornius*, norunt ii, qui *Amœnitates* ejus *literarias* attigerunt, ac *Tomum III* & *IV* præcipue versarunt, quorum uterque inscriptionem exhibet *Memorabilium Bibliothecæ Kraftianæ*. Memorandus est omnino *Codex Epistolarum Pauli*, *Actorum Apostolorum*, *catholicarum Epistolarum*, & *Apocalypseos*, Latine & manu scriptus ab *Hartmoto*, *Rudolphi*, Burgundionum Regis, consanguineo, ac Monasterii S. *Galli* Abbate, hinc Monasterio donatus, ideoque Seculo IX scriptus, quem describit Cl. *Haberlinus pag. 11, 12*, *Notitiæ Codicum manuscriptorum*, spem injiciens in *Designatione librorum pag. 95* vitæ *Felicis Fabri* a sese olim edendæ. Ex quibus in medium allatis satis patet, qualis sit Dissertationis hujus Autor. Ven. *Feuerlinus* præfixit ei Præfationem, in qua dignitatem & utilitatem tractationis exponit. Tractatio ipsa est quadripartita. *Caput primum* exhibet doctos *Albizios*, e clara apud Florentinos familia ortos, *Franciscum*, Seculi XIV Poetam Italicum, atque amicum *Petrarchæ*, *Richardum*, illius filium, *Matthæum Landazii*, cujus Carmina Italica in Bibliotheca *Riccardiana* exstant, *Bartholomæum* vulgo *de Pisis* dictum, Autorem *libri conformitatum vitæ S. Francisci cum Jesu Christo*, *Albertinum*, Episcopum Pistoriensem Seculi XV, *Commentariorum in* Pag. 2. *Aristotelis Metaphysicam* scriptorem, *Normannum* atque *Raynaldum*, *Nicolaum Antonium*, Abbatem S. Salvatoris de Septimio prope Florentiam, Mathematicum, *Franciscum*, Cardinalem, acerrimumque Jansenistarum inimicum, *Raynaldum*, Poetam Italicum, *Masum*, *Lucam*, equitem D. *Stephani*, ejusque filium, *Raynaldum*, Florentinum Advocatum, omnibus- 3. que disciplinis instructum, qui adhuc est in vivis. Inter hosce omnes eminet *Antonius Albizius*, A. 1547, 25 Nov. natus patre *Albizio*, senatore ac mercatore Veneto in prædio pa- 9. terno haud procul a civitate Florentina. Fallitur *Lexicon* 11. *Eruditorum Lipsiense*, quod natalem ad 15 Nov. refert. *Albi-* 12. *zius* noster ex præceptore *Carolo Sigonio* Venetiis doctrinas hausit optimas, inprimis peritiam Latinæ linguæ & eloquen-

S tiam

tiam aureo Romanorum feculo proximam, ufus convictu mercatoris Florentini, & linguas variarum gentium exterarum addifcens. Anno ætatis 15 Patavium conceffit, aures accommodans *Albertino Bottono*, Profeffori Logices & Medicinæ, variis fcriptis, præcipue vero medicis, hodieque claro,
Pag. 14. quem *Ariftotelis Organon* privato ftudio explicantem audivit. Triennio ibi exacto, difcidium fectarum Brixianæ & Vicentinæ pertæfus, fefe Bononiam contulit, operam dans per in-
15. tegrum anni fpatium egregio JCto, *Jo. Bapt. Papio.* A. 1567 patriam revifit. Inde paulo poft feceffit in Academiam Pifanam, ibique per fesquiannum ftudio phyfico & Jurisprudentiæ litavit, adeptus fimul nobile nomen ex *Academia Alteratorum*, quam ibi A. 1568 una cum fex viris aliis eruditis condidit. De hac diftinctius exponit Clariff. Autor ex *Salvini Faftis confularibus*, eo quod alibi ea vix fuit memorata,
17. vix ultra feculum continuata. In patriam redux *Albizius* A. 1568 adiit infignes viros, *Petrum Victorium* & *Angelum Signium*, illius inftitutione in Ethicis, hujus vero in Phyficis, ufus. Paulo poft, nempe A. 1571, anno ætatis 24, Academiæ Florentinæ, A. 1541 conditæ a *Cofmo* primo, Florentiæ Duce, Conful & Rector renuntiatus, majores nido extendit
19. pennas. Sereniffima *Joanna*, conjux Principis hæreditarii terræ Tofcanicæ, deinde oravit ipfum, ut libros *Ariftotelis* de arte rhetorica, ab *Hannibale Caro* proxime in Italicum fermonem converfos, interpretaretur, præceptoremque tantæ Principis ageret. Gratia *Joannæ Albizio* profuit admodum. Anno enim 1576 ipfa eum ablegavit ad fratres fuos, Europæ
20. fidera primæ magnitudinis, *Maximilianum II* Rom. Imp. & Archiduces *Ferdinandum* ac *Carolum*, gratias, credimus, acturum pro collato in *Cofmum* Medicæum Ducis *Magni* titulo. *Andreas ab Auftria*, *Ferdinandi* ex *Philippina*
21. *Welferia* filius, redeuntem in Italiam *Albizium* in comitatum fuum adfcivit, galerum purpureum e Pontificis manu accepturus. Biennio exacto, cum Cardinali *Albizius* Oenipontem remigravit, & per 22 annos usque ad mortem *Andreæ* Cardinalis, quæ in annum 1600 incidit, in fide & clientela ejus perman-

mansit, annis 16 prioribus sustinens munus cubicularii. Quo Pag. 21.
munere functus, horis succisivis stemmata Regum & Principum Christianorum e Bibliotheca & Archivo *Ombrasiana* collegit, ac legationes obiit haud unas. A. 1585 cum gravi & longa febri conflictatus, per famulum suum sibi quotidie aliquot Capita e Novo Testamento praelegi curavit, quae res initium fuit ejus mutationis, qua posthaec religionem ev- 23.
angelicam est amplexatus. Explorata satis superque *Albizii* 24.
fide & dexteritate, Cardinalis *Andreas* dignitates Nostro impertivit Consiliarii intimi, dicasterii Praesidis, & supremi Cubicularii in Episcopatu suo & Brixinensi & Constantiensi, quibus interdum vicaria Cancellarii opera accessit. Suscepit quoque praefecturam Chiusae (*Clausen*), quae & oppidum & propugnaculum Comitatus Tirolensis, anno circiter 1594. Veldesiae posthaec in Carniola egit *Capitaneum*, qui locus Episcopo Brixinensi paret. *Andrea* vero Cardinali A. 1601, 26.
7 Febr. defuncto, ipsique *Antonio* L. B. *de Spaur* surrogato, recessit ab isto munere, rediit Florentiam, & hic annum commoratus, in Germaniam religionis evangelicae amplectendae causa accessit, Oeniponte sese per biennium tenens, ac, 29.
exercitio religionis evangelicae ibi sublato, in Sueviam pergens. Collustratus fuit ejus animus ex sola verbi divini lectione, praecipue Epistolae *Pauli ad Romanos & Galatas* scri- 32.
ptae, qua docetur, justificari hominem de peccatis admissis dolentem per solam fidem, operibus nostris omnibus exclusis. Perlegit postea universum Codicem Biblicum, adhibitis inter haec Commentatoribus *Augustino, Basilio, Jo. Maldonato, Be-* 35.
nedicto Pererio, & *Francisco Ribera.* Concessit Oeniponte Augustam Rhaetiae coloniam, *Marci Welseri* consuetudine utens. At, cum huic a Jesuitis vix daretur respirandi facultas, valedixit *Welsero*, & Campidunum commigravit A. 1606, 12 Aprilis. Symbolo usus fuit commemorabili, ex *Ps. CXIX,* 37.
71, desumto. Liberalitatem, cum professus esset publice ev- 39.
angelicam religionem, edidit eximiam in ludum Campidunensem literarium. Vitam egit ibi ab omni culpa immunem, 40.
in Museo suo litavit legendis Bibliis, libris optimis, literisque

 bonis.

Pag. 44. bonis, *Harpocrates* alter, & ſolicitationes ſuorum, avitam ut
46. reſumeret religionem, minus attendens. Denuntiatus a Nuntio Papali coram tribunali Inquiſitionis Romanæ A. 1626, 4
50. Jun. & Romam citatus fuit, cum jam ſecunda Pentecoſtes feria rebus humanis dixiſſet vale Campiduni, ubi corpus ejus ad 18 Julii honorificentiſſime fuit deductum ac ſepultum. Hæc Autor expoſuit *Capite ſecundo. Tertio* diſſeruit doctiſſime de patronis atque amicis *Albizii. Quarto* egit ſolidiſſime de ſcriptis *Albizii* vel veris, vel falſo attributis. Dabimus eorum ſyllogen, ſatis conciſe enumeratam: *Stemmata Principum Chriſtianorum*, A. 1609, vel 1610, primum edita, A. 1612 recuſa, Campiduni, A. 1617 denuo ibidem producta, quartum evul-
60. gata neſcimus ubi, quintum Argentorati Latine A. 1627, ſextum Germanice A. 1627 ibidem. Argentoratenſis illa Latina eſt omnium pleniſſima. Summam, & Autorum judicia, addidit Autor. Forma eſt, quam vocant *folii*. Magnitudo unius fere alphabeti. *Tractatus brevis, continens decem principia doctrinæ Chriſtianæ*, Campiduni, 1613, 8, 5½ plag. Disquirit 10 capita doctrinæ Romanæ, eisque expoſitionem ſuam opponit. Argumenta fuſius Cl. recenſet Autor. *Exercitationum theologicarum pars prima, continens quæſtiones* 1) *de ſcripturis canonicis 20;* 2) *de Eccleſia Chriſti 25;* 3) *de Miniſterio eccleſiaſtico 15;* 4) *de Magiſtratu Chriſtiano* 14, Campiduni, 1616, 4, Alph. 1
88 ſeq. plag. 14. Laudanda ſunt ipſius ſcripta theologica nomine
115. haud uno, licet Ven. *Feuerlinus* haud neget, illum dicta Biblica non ſemper ſolidiſſima probationis loco elegiſſe, autoritati & allegoricis Patrum interpretationibus interdum nimis affixum, nonnunquam haud provide ſatis diſputaſſe, maluiſſe methodum ſcholaſticam ſequi, quam aliam, ſtiloque, cujus præſtantiam dudum dedidicerat, incomto ſcholaſticisque auribus
116. accommodato fuiſſe uſum. Sunt, qui *Albizio* tribuant ſcriptum: *Lo ſquitinio della libertà originaria di Venezia*, Mirandulæ A. 1612 foras ire juſſum. At merito ſuo id Autor ei abjudicat, licet, an *Alphonſus*, Marchio Bedmarienſis, Miniſter & Legatus Hiſpanicus, genuinus ſit Autor, quod Italorum ſolet eſſe judicium, dubitet omnino. Liber hic, in gratiam Pontificis Romani

 con-

conſcriptus, per latus pungit Venetos; quare videtur credibile, quod nonnulli referunt, Venetos, ut vicem redderent aulæ Romanæ, *Paulo Sarpio* demandaſſe Hiſtoriam concilii Tridentini ſcribendam. At ſtamus in exitu, Lectorem dimiſſuri, poſtquam meminerimus, adjunxiſſe Cl. Autorem appendicis loco *Vitam Albizii*, a M. *Jodoco Falzio*, Ambergenſi Palatino, Scholæ Campidunenſis tunc moderatore, carmine elegiaco deſcriptam. Gratulamur Ven. *Feuerlino* de fœtu tam pulchro, & bonis avibus procreato, Clariſſ. *Haberlino* de diligentia ſua tam bene collocata, & inprimis *Georgiæ Auguſtæ* de tali Hiſtoriæ literariæ documento, quod omnium eruditorum ſuffragiis & approbatione eſt dignum.

Pag. 122.

123 ſeq.

VITA HERMANNI VULTEJI, JCTI, EX MONUMENTIS fide dignis edita a JO. PHIL. KUCHENBECKER. Accedit Appendix duplex.

Gieſſæ, typis Eberh. Henr. Lammers, 1731, 8. Alph. 1.

Quod omnibus de republica literaria inſigniter meritis, & ad commoda doctrinarum natis, accidit viris, ut præcones inveniant elegantiſſimos, qui ingenium nomenque eorum ab oblivione vindicent, æternisque velut monumentis inſculpant, illud etiam abunde *Hermanno Vultejo* pro factis ipſius egregiis exſolutum a viris doctis eſt, utpote qui catervatim ejus famam ſplendidis exornarunt laudibus, in eoque fuerunt toti, ut, quæ geſta ſunt ab ipſo præclare, quæque omnium merentur admirationem, ignota eſſent nemini. Nam quis, quæſumus, ignorat *Dauberi*, *Freberi*, *Bailleti*, *Reimanni*, *Sinceri*, *Dillichii*, unanimia de ejus virtute doctrinaque teſtimonia, quæ cum iſtorum virorum ſcriptis non tantum in ore omnium verſabuntur, ſed etiam mortalitatem, lapidibus quandoque, marmoribus, nummisque, inimicam, evadent? At, ut nulli horum vitæ *Vultejanæ* ſcriptorum quidquam laudis detrahere vellemus, ita, confiteamur, neceſſe eſt, nondum viros eruditos ſua narratione, quæ dicenda de *Vultejo* fuiſſent, exhauſiſſe.

Hinc commendanda nobis videtur Clariss. Autoris industria, in eo potissimum comprobata, quod falso dicta de *Vultejo* sollicite reprehenderit, ipsa manuscripta & inedita monumenta perlustraverit, & talismodi opus nobis tradiderit, ut temperare nobis non possimus, quin publica voce boni erga eum animi prolixissimam significationem testemur. In Præfatione Mæcenatum gratiam memorat, & munificentiam *Vultii*, *Uffenbachii*, *Schminckii*, & *Hartmanni*, honorificentissimis effert laudibus. Prior enim concesserat ipsi aditum ad instructissimam Abavi sui Bibliothecam, omnique opera, consilio, & studio, laborem promoverat. Alter literas clarissimorum Virorum, ad *Vultejum* scriptas, in ferali olim Marburgensis civitatis obsidione dissipatas, cum eo communicaverat. Ex sequentium vero scriniis literas ad *Gualterum*, ut & *Cothmanni* atque *Dornavii* ad *Vultejum*, depromsit. Nos vitam hanc, tersissimo dicendi genere conscriptam, perlustrabimus curatius, & flores illius horti fragrantissimos lectissimosque in calathos nostros referemus. Non emendicato a cana antiquitate splendore partam *Vultejorum* gloriam obfuscare cupit, ideoque longissime ab eorum recedit sententia, qui natales gentis *Vultejanæ* ad Romanos transferunt, nullam gentem illustrem putantes, nisi majores ejus a Græcis & Romanis non interrupta serie

Pag. 5. descenderint. Sed, familiam *Vultejanam* circa Seculi XV finem in Belgio sedem habuisse, ait, inde, *Joannem Vultejum* ex Brabantia huc commigrasse, haud vanis evincere studet argumentis, quanquam stemmatis nexum inda-

10. gare adhuc ipsi non licuerit. Ex quo gentis satore pro-

19. creatum esse, post *Joannem* & *Justum*, nostrum *Vultejum*, contendit, qui vitæ sanctimonia, Juris reliquarumque disciplinarum peritia, consiliorum promtitudine, & munerum splendore, unus omnium sua ætate in Hassia floruerit. Wetteræ Hassorum a matre editum, ibidem elegantioribus literis imbutum, tantosque in literarum stadio intra paucorum annorum spatium fecisse progressus, ex tutis

23, 25, 27. probat monumentis, ut inferiores scholas valere, nomen-

que

que suum albo Academiæ Marburgensis inscribi, jusserit. Ibi ardenti studio. *Petro Nigidio*, *Victorino Schœnfeldio*, & *Bernhardo Copio*, ab ore pependit, & paulo post prima laurea, tanquam publico diligentiæ & eruditionis testimonio, donatus est. Ejusmodi instinctum honoribus, exteras visendi Academias desiderio captum fuisse, ostendit Clariss. Autor, cujus etiam votis annuens pater, Heidelbergensem Aca- Pag. 33.
demiam elegisse dicitur. Campos hic scientiarum amœnissimos aperiri, probe sentiebat; hinc doctrinæ apparatu instructus, honores in Philosophia summos decenter petiit. Nec repulsam suæ rogationis tulit, sed, præter Magistri ornamenta, munus etiam publicum obtinuit. At, schola- 38.
stico pulvere abjecto, ex docentium numero ad discentium subsellia rediit, & Jurisprudentiam sub *Sixtini* & *Lersneri* auspiciis diligenter rimatus est. Postmodum *Genevam*, non *Jenam*, (uti falso scribi notat a *Justo Sincero* 43.
in Vitis JCtorum,) se contulit, &, paratis sibi quamplurimis amicis, quibuscum publice & privatim de acutis scientiarum quæstionibus non sine gloria disceptavit, tandem ipsemet *de difficillima pactorum materia* magno cum applausu disputavit. Quanquam vero omnia ipsi Genevæ 46.
ex voto fluebant; consilium tamen Italiam & illustriores Academias perlustrandi cepit. Igitur, itinere per Helvetiam facto, Patavium pervenit, &, Academiis celebratissimis, Bononiensi, Senensi, Pisana, Romana, Neapolitana, Taurinensi, Ticinensi, Bituricensi, cum fructu visis, per Stiriam in patriam sine dubio rediisset, nisi fato accidisset, ut a 50.
quodam Stiriæ Principe filiis ipsius comes datus fuisset. Spartam illam laudabiliter gessisse *Vultejum*, Clariss. Autor profitetur, Academiæque Marpurgensis optimates tanto exterorum favore, quo prosequebantur nostrum, adductos fuisse monet, ut Professoris Græcæ linguæ dignitatem ipsi conferrent, eumque, *Copio*, Juris Professore, defuncto, Professo- 55.
rem Juris Ordinarium & Academiæ Syndicum renuntiarent. Perspiciebant insuper ejus in Jure scientiam absolutam Serenissimi Hassiæ Landgravii; quare juri dicun-

do

Pag. 64. do præficiendum constituerunt, & summi Dicasterii Hassiaci Assessoris titulo ac honore mactarunt. A laboribus deinde Academicis ad aulica negotia evocatus aliquantisper, *Wilhelmo Sapienti* in discordia illa, quæ gliscebat inter Daniæ Regem & Holsatiæ Duces, a consiliis fuit, magnoque animo lautissimis Cancellarii honoribus in aula Palatina spretis, Academicam denuo quietem lubricæ
77. aulicorum fortunæ antetulit. At effugere aliorum odia & simultates non potuit, sed acerrime notatus est a *Nicolao Vigelio* in Examine Jureconsultorum, qui, etsi ob amarulentum istud scriptum, calumnias, & convicia, moveretur munere, suum tamen nactus est asseclam *Jo. Niessium*, qui literis ad summos Principes datis atrocissimas calumnias & mendacia evomuit. Quam generoso autem animo injurias illas contemserit, egregie probat Clariss. Autor, & persequitur deinde omnia illa *Vulteji* splendidissima munera, quibus in decernendis de religione & ad rempublicam pertinentibus causis mire effulsit. Nam *Ferdinandus II* Imperator proprio motu non Comitivam
161. tantum Palatinam & Consiliarii munus, sed equestris etiam dignitatis togam, *Vultejo* conferri curavit, ubi diligenter Diploma publicum, a politissimo Autore excitatum, narrationemque de morte ejus & scriptis uberrimam, conspicimus attextam. Inprimis placuere nobis Tabulæ tres genealogicæ, de stemmate *Vultejano* conscriptæ, vita insuper *Justi Vulteji*, a *Jo. Antrechto* olim delineata, & Epistolæ *Hermanni Vulteji* & Clarissimorum Virorum ad ipsum, numero *XX*, maximam partem nondum editæ, propterea quod varia in iis omnibus ad illustrandam familiæ *Vultejanæ* historiam suppeditaverit, quæ frustra etiam in splendidissimis Bibliothecis exspectabis. Lætamur igitur isto Clariss. Autoris conatu probo, &, ut vita *Reinhardi Schefferi*, Cancellarii Hassiaci, eadem ratione ab eo concinnata, aliquando prodeat, vehementer optamus.

✡ ✡ ✡

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio IV.

ISTORIA DELLA FAMILIA ACQUAVIVA REALE d'Aragona, &c.

id est,

HISTORIA FAMILIÆ AQUAVIVORUM, regiæ ex Aragonia originis, cum Dissertatione proœmiali de nobilitate, institutis, ac insignibus, antiquorum ac recentiorum, ac declaratione sub finem, quanta amplitudine demonstrationes sint allatæ de insigni nobilitate clarissimæ domus Aquavivæ, scripta per BALTHASAREM STORACIUM, patronum caussarum Romanum, præfectum Bibliothecæ ac Auditorem Eminentissimi Cardinalis TROJANI DE AQUAVIVA, Administri Romæ Cæsareani.

Romæ, typis Bernabi, 1738, 4.

Plag. 21.

Clariss. Autor Operi suo præmisit dedicationis formulam, quam ad *Eleonoram Pio de Sabaudia*, Ducem Atrii, direxit. Nobilitatem metitur antiquitate & splendore. *Tiraquellum*, qui *antiquum* per *nobile* exposuit in libro *de Nobilitate*, refellit ex *Eutropio*, qui, M. *Antoninum Pium*, Pag. 4.

T. tradidit,

tradidit, ex clara stirpe, sed non adeo antiqua, ortum fuis-
se. Splendorem æstimat titulis dignitatum, dotibusque ac
Pag. 6. perfectionibus mentis, in publica commoda elucentibus.
Reprehendit eos, qui fictos genealogiarum antiquarum
pannos generis sui exordiis assuere consueverunt. Sunt,
qui a cognominibus vetustis nomina sibi propagata existi-
7. marunt, a Gallis, Romam occupantibus, a Patriciorum gen-
te, quibus *Claudius* Imperator suffecit novos. Nomina
11. familiarum Italiæ perierunt sub Vandalis, Gothis, Alanis,
ac Langobardis, Italiæ dominis, ac posthæc nudo nomini
13. addita fuit dignitatis significatio. Insignia & jus imagi-
num *Caligula* Imperator sustulit. Insignia illa fuerunt po-
sita in jure, vultus majorum depingendi, vel ex cera fingen-
di. Insignia heraldica deducit *Menestrierius* ex ludis, quos
torneamenta appellarunt. Hosce vero esse satis antiquos,
15. indicio est *Eugenius II*, Pontifex Romanus, qui A. 827 eos
sepultura ecclesiastica duxit indignos, qui, ludis illis interesse,
suarum duxerunt esse partium. De familia *Aquavivorum* ege-
18. runt *Franciscus Elius*, Marchio, *Anselmus* Brixiensis, *Philip-
pus Scala*, *Jacobus Wilhelmus Imhof*, *Scipio Amiratus*,
Jo. Jovianus Pontanus, *Franciscus Zazzera*, aliique, qui de
origine eorum non satis inter sese consonant. Dominium,
quod *Aquavivi* tenent titulo feudali, situm est prope
Spoletum, idque ipsi possederunt ex decimo tertio inde Se-
20. culo, viventes olim Langobardica lege, quod ipsum indi-
cat eorum Langobardicos natales. *Anselmus* Brixiensis
clarissimos Aquavivenses equites annumeravit eis, qui expe-
ditioni in terram sanctam interfuerunt. Nec deest genti
inclitissimæ antiquitas major. In charta ad A. 1014 jam
21. fit inter testes mentio *Sansii Comitis de Aquaviva*. *Otto
de Aquaviva* subscripsit chartæ antiquæ anni 1061, ac *Jor-
tuarius* Comes *de Aquaviva* testem egit in Diplomate
Henrici IV Imperatoris ad A. 1099. *Reinaldus I* fami-
liæ, inde ab anno 1195 deductæ, fuit caput ac autor, a quo
22. descendunt Duces, ab *Atri* cognominati. *Henricus VI*
ei impertivit bona feudalia, quæ *Leo de Atri* dictus,

socer-

socer ejus, in Apruzzis ac Marca Anconitana possederat, eo ipso anno, ut officia, gloriose Imperatori præstita, præmio afficerentur. *Reinaldi* filius fuit *Andreas*, judex supremus provinciæ Otrantensis circa A. 1220. *Andreæ* filii Pag. 24.
exstiterunt *Richardus*, *Bernhardus*, & *Reinaldus II*, qui Coperchianum quoque tenuerunt. *Richardus* A. 1285 sumtibus suis exercitum deduxit in Siciliam pro *Carolo II*, Rege Andegavensi. *Waltherus*, *Bernhardi* filius, in dominio 26.
Atri successit patri. *Walthero* successit filius, *Matthæus I*, 27.
A. 1289, qui a Rege obtinuit curtem in Rieti, defunctusque vita A. 1303 hæredia reliquit *Francisco* & *Isabellæ*, nuptæ Comitis *de Celano*, matrisque heroum inclitissimorum. *Franciscus* A. 1309 in Apruzzia terras insignes acquisivit, ac dominium Aquavivæ satis magnum ad posteros transmisit. Excepit patrem filius unicus, *Matthæus II*. A *Bernhardo I*, *Reinaldi I* filio, generatus fuit *Waltherus*, qui fratris *Reinaldi II* in bona successit, ac A. 1275 demortuus reliquit 28.
hæredes *Conradum I*, *Petrum*, & *Reinaldum III*, Regi *Roberto* A. 1309 multo carissimum. *Reinaldo* fuit filius *Averardus*, seu *Eberhardus*, in dominio S. *Valentini* successor, *Antonellæ de Fontanea* maritus, *Carolo III* Re- 29.
gi A. 1381 amicissimus. Excepit eum filius, *Conradus II*, Comes S. *Valentini* tertius. Hic in nothum suum *Troilum* contulit A. 1390 castellum Oretanum. Filio autem *Conrado III* reliquos fundos reliquit, marito *Messinæ Acciajoli*, procreatæ ab *Angelo*, Comite Amalfitano ac Maltensi, Neapolitani regni Sinischalco. *Curraduccius* unica fuit *Conradi III* proles, qui admodum puer jure successionis cœpit carere. Domus enim ac Comitatus S. *Valentini* a cognatis ipsius fuit venundatus celeberrimæ genti *Ursinæ*, ac ab hac A. 1507 denuo venditus *Jacobo Tolfano*. Redimus itaque ad *Matthæum II*, ac Duces Atrienses. Excepit hunc hæres filiusque *Antonius I*, qui a Rege *Ladislao* A. 1393 Dux Atriensis dominusque Terami fuit renuntiatus. Civitas Atri partem Welficam semper fuerat secuta adversus Gibellinos. Successit *Antonio* *Andreas Mat-* 33.

 thæus I,

thæus I, ex ipso & *Ceccia Cantelma*, filia *Restaini*, Comitis Popolensis ac Sorensis, natus, qui in torum allegit uxorem opulentissimam *Catharinam Tomacellam Cybi*, nepotem Papæ *Bonifacii IX.* Ex hac suscepit successorem *An-*
Pag. 36. *tonium II*, Ducem tertium Atriensem, qui filiam reginæ *Mariæ* in uxorem duxit, Rege *Ladislao* ac universo regno applaudente. *Antonii* frater, *Petrus Bonifacius*, Dux fuit Atriensis quartus, ac *Andream Matthæum II* filium reliquit hæredem. Omittimus reliquam Ducum, gloria omni conspicuorum, recensionem. Id vero addimus, apparere in calce monumenta aliquot, quibus lux historiæ huic
129. accenditur. Nolit inter hæc Lector sibi persuadere, propositionibus singulis hic datos esse testes suos, vel suffragatores. Numorum aliquot icones Operi eximium conciliant splendorem. *Jo. Hier. de Aquaviva*, Hadrianorum Dux, terra marique inclitus, numismatis gloria effulget *pag. 70.* Ejusdem filius natu minimus, *Octavius*, egit Purpuratum curiæ
78. Romanæ, cui maximam operam navavit, dignus ideo, qui in numismate *Clementis VIII*, Pontificis Maximi, ad A. 1598, & quidem in ejus postica, secundum insignia & nomen repræsentaretur. *Claudius* nomen dedit Societati Jesuitarum Venetiis, in quorum gestamine exstat in numismate spectabilis *pag. 77.* Meretur sane gens *Aquaviviorum*, tam antiqui, genuini, fulgidique, splendoris plenissima, ut ejus memoria ætati seculorum cunctorum subsequentium exæquetur. Felicem proinde prædicamus Clariss. Autorem, qui ex exposito amplissimæ hujus Gentis fulgore ipse non exiguum sibi honorem conciliavit.

OSSERVAZIONI STORICHE SOPRA L'ANTICO stato della Montagna Pistojese, con un Discorso sopra l'origine di Pistoja del Capitano DOMINICO CINI, &c.

id est,

OBSERVATIONES HISTORICÆ SUPER ANTIQUO statu jugi montium Pistoriensis, cum expositione originum

num Pistoriæ, Autore Capitaneo DOMINICO CINI, regionis S. Marcelli, Academici Francici Cortoniensis, dedicatæ CAROLO RINUCCINI, Consiliario status & Secretario bellico Celsitudinis Regiæ.

Florentiæ, typis typographei Regiæ Celsitudinis, per Joannem Cajetanum Tartini & S. Franci, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 12½.

Cum patriæ fumus alieno igne sit luculentior; laudibus excipiendus est labor ille, quem Clariss. *Dominicus Cini* locis illis, quibus incunabula debet, consecravit illustrandis. Montibus Pistoriensibus addixit exponendis *Capita tredecim*, originibus Pistoriensibus *Caput decimum quar-* Pag. 2.
tum. Marchio *Scipio Maffei* primos Thusciæ incolas derivavit a Cananæis ac Phœnices incolis, *Philippus Bonaroti* ex Ægypto. *Franciscus Mariani de Etruria Metropoli Cap. 2 pag. 14* scripsit ad mentem utriusque: *In Ægyptum atque Africam profectos Assyrios, gradum fecisse ad Thuscos, palam est. Plinio* teste dilucet, Umbros a Pelasgis antiquitus fuisse exactos, a Lydiis Pelasgos. Aborigines Italiam incoluisse primos, *Justinus* e *Trogo Pompejo* tradit. Etrusci sane tam fuere vetusti primordii, 5.
ut eorum origo haud patescat. Tyrrhenos dixere eos Græci. Umbrorum nomine antiquitas eos comprehendit. Classibus Etruria potuit illico peti, quamprimum naves adhiberi a mortalibus cœptæ. *Tacito* teste, olim ii classibus 11.
advehebantur, qui mutare sedes quærebant. Ob securitatem vero primi terrarum incolæ montes petierunt. Id quod de Aboriginibus nominatim affirmavit *Dionysius*, vi- 19.
catim habitantibus. Montes Pistorienses quondam dicti fuerunt Apenninus. Undenam vero Apenninus fuerit dictus, obscurum videtur. Originationem nonnulli a Deo *Api* repetunt. Apud *Jacobum Sponium* in libello *de Aris* 23.
Deorum ignotorum hæc legitur Inscriptio: *Lucius Lucilius* 24.
Deo Penino optimo maximo donum dedit. Peninum vero in vertice Apennini olim fuisse cultum, *Livius* quoque est testis, licet apud eum legatur corrupte modo *Pennini*,

modo *Penni*. *Pen* in lingua Celtica vocatum fuit idem
ac caput & summa rei. Sub Apennino fuisse Etruriam,
Pag. 27. *Pomponius Mela* est autor. Ex hac regione Thusci ad
superum quoque mare colonias duxere, & in Rhœtiam us-
que excurrerunt, excepto tamen Venetorum angulo, fa-
ciente fidem *Livio*. Rhœtos a Thuscis deduxerunt prætærea
Plinius ac *Justinus*. Linguam Etruscam Italiæ exstitisse
33. antiquissimam, *Plinius* idem *Lib. XVI Cap 45* significavit.
Romani certe ab Etruscis didicere *omnia decora & insignia,
quibus imperii dignitas eminet*. Hæc cum latius expo-
35. suisset Autor, progreditur deinceps ad adventum Gallorum
in Italiam, qui Etruscos in sedes vetustas maritimas com-
pulerunt, & loca ad Padum occuparunt, adeo ut, *Livio* te-
ste, Etrusci ex eo tempore intra Padum sese continerent.
Hannibal posthæc montes Pistorienses transiit. Rem ipsam
commemoravit *Livius Libro XXI*, nec non *Polybius*. *Or-
56. lendium* refellit Noster jure. Ille enim in *Orbe sacro &
profano Lib. III Cap. 19* tradiderat, *Hannibalem* transiisse pa-
ludes, ac planities deinde Fæsulas inter & Arretium in-
terjectas, eo loco, ubi nunc infra montes Fæsulanos in
valle amœnissima Arnus, ex agro Arretino decurrens,
Florentiam versus defluat. Refellit vero conatu potius,
quam re ipsa, *Orlendium*. Hic enim literis haud prodide-
rat memoriæ, paludes, quas transierat *Annibal*, jacere
Fæsulas inter & Arretium, ubi potius cum *Livio* planitiem
fertilem exstitisse ostendit. Paludes istæ omnino sunt in re-
65. gione Pistoria faciles deprehensæ, eæque antiquitatem ulti-
mam videntur præferre. At nihil dixit *Orlendius*, palu-
dibus hisce repugnans. Id vero memoratu dignum, ex
68. Gallorum Bojorum strategemate *Lucium Posthumium*, Con-
sulem Romanum, in silva Pistoriensi cum exercitu universo
fuisse confectum atque deletum. *Livius* & *Frontinus* sil-
71. vam illam vocarunt *Litanam*. Contendit Autor, intelli-
gendum esse montem Pistoriensem, qua Mutinam vergit.
Holstenius consentit, hæc habens: *Litana silva paulo su-
pra fontes Scultennæ in jugo Apennini.* Lizanum Pisto-

riensis

riensis terræ memorat *Otto III* in Diplomate ad annum 997, Pag. 74.
quod asservatur in cimelio S. *Jacobi* apud Pistorienses.
Vox eadem occurrit in Diplomate *Aistulphi*, Langobardorum Regis, ad annum 753, si fidem Nostro habemus,
qui multis argumentis exequitur deinceps expeditionem
Consulis *Marcelli*, qui, Bojos Gallos persecuturus, Pistorienses 79.
ses montes superavit. *Castra Marcelli* videntur transiisse
in *sancti Marcelli oppidum*, quod in Pistoriensi est terri- 86.
torio. In finibus Pistoriensibus Liguras adorti fuere Romani continuis fere bellis. Memorabilis est præcipue expeditio militaris Consulum *Lucii Cornelii* & *Marci Bebii* in 90.
Apuanos Ligures. Posthæc Romani eos, qui montes Pi- 101.
storienses incoluere, in plana deduxere, & pylas præsidiis
firmarunt. Ad pylas eminuit mons Letum. *Sylla* eo ar- 116.
cessivit colonos diversos. S. *Romulus*, primus Fæsularum 123.
Episcopus, in territorio adjacenti primitias aggregasse dicitur Christo. Pistorienses inde infantibus suis, aqua lustrali
imbutis, crebro imposuere *Romuli* nomen. Fæsulano Episco-
po *Otto II* A. 954 monasterium & Abbatiam S. Salvatoris 152.
in Alina, seu Lina, (hodie Lignam vocant,) adjudicavit. Pi-
storii quoque Episcopatus mature fuit constitutus. *Spartacus*, 144.
gladiator, Thrax ortu, prælium fecit in Apennino
Pistoriensi cum exercitibus Romanis, a Consule *Lentulo* &
Gallio ductis, ibique insigne fecit damnum. Ibidem con-
fectus fuit exercitus *Catilinæ*, teste *Sallustio*. Numina 176.
diversa in montibus Pistoriensibus fuere culta, & varia ibi
numismata antiqua sunt reperta. *Feronia*, viridi luco gavisa, ibi honoribus divinis patuit. *Volumna*, Dea Etru- 178.
scorum, ibi olim pervulgata. *Catilinæ* in historia jam me- 228.
morantur agri Pistorienses, indicio certissimo, Pistorium
jam tum exstitisse. Præsidem Thusciæ ibi aliquando jus
dixisse, tradit *Ammianus Marcellinus*. Apud *Raphae-* 252.
lem Fabrettum in *Inscript. antiqu. Cap. 9 pag. 605* hæc leguntur: *C. Vibius verus Pistoris*. Lingua ibi floruit olim
Etrusca, ab Assyria fortassis repetenda. Homines fuere animo belloque præstantes. Hæc sunt præcipua, quæ ex
opuscu-

opuſculo, doctisſime conſcripto, repetere, e re noſtra & publica exiſtimavimus, declarantes merito, civem de patria ſua ita meruiſſe, ut ipſa per illum reddita ſit illuſtrior.

RIPÆ CIMBRICÆ, SEU URBIS RIPENSIS, IN Cimbria ſitæ, Deſcriptio, ex antiquis monumentis, Bullis, Diplomatibus, eruta, & variis iconibus, æri inciſis, ac ſuis locis inſertis, illuſtrata, per M. PETRUM TERPAGER, Ripenſem.

Flensburgi, impenſis Davidis Korte, 1736, 4.
Alph. 3 plag. 7.

Seculi illius, quod decurrit, ſub initiis Autor Clarisſimus; SS. Theologiæ in urbe patria Ripenſi Lector dignisſimus, edidit *Inſcriptiones Ripenſes*, eisque præmiſit *brevem civitatis patriæ delineationem*, ſimul promittens, a ſeſe propediem Ripas Cimbricas editum iri. Cum opus hoc novum processiſſet ad apicem perfectionis, id Autor miſit manuſcriptum A. 1726 Hafniam, ubi id A. 1728 Cal. Oct. funeſto interiit incendio Hafnienſi. Nihilo minus, caritate ſoli natalis illectus, ex diverſis diſperſisque chartis ſchedulisque opus reconcinnavit, idque A. 1736, 11 Junii, ætatis ſuæ anno 83, *Chriſtiano VI*, Danorum Monarchæ, inſcripſit. Teſtimonia depromſit ex ipſis literis avthenticis, bullatisque, & Diplomatibus. Si qua vox una, vel altera, occurrit, aut penitus exeſa, aut quæ legi non poterat, locum omiſit vacuum, ne erraret conjectando. Modum ſcribendi, ſeu cacographiam, Diplomatum retinuit. Compendia ſcripturæ explicavit literis ſeparatis. Opus ipſum *tribus* conſtat *Libris*. *Primo* exponitur de urbe Ripenſi, & quidem *Sectione priori* de urbe generatim conſiderata, de nomine ejus, antiquitate, origine, ſituque, de amne *Rips-Aae*, de forma urbis, ejus inſignibus, diviſione, ac munitione; *Sectione poſteriori* de partibus urbis, nimirum de arce, fontibus puteisve, foris, portis, ac partibus. *Libro ſecundo* diſſeritur de ædibus & ædi-

ædificiis, in *Sectiones XIV* diviso. *Sectione prima* agit Autor de ædibus sacris, nec non æde sacra generatim, *secunda* de Capitulo, ejusque Membris, Statutis, & Privilegiis, *tertia* de præcipuis quibusdam templi cathedralis partibus, *quarta* de altaribus seorsim, *quinta* de Capellis speciatim, *sexta* de Capellis & Altaribus, e. g. *Andreæ*, *Barbaræ*, *Brigittæ*, &c. *septima* de ornamentis ac instrumentis templi cathedralis, *octava* de aliis momentis, templum cathedrale spectantibus, *nona* de templo D. *Catharinæ*, *decima* de templis antiquis & antiquatis, *undecima* de Capellis, seu Templis minoribus, *duodecima* de Monasteriis, *decima tertia* de Gildis, seu Conviviis, eisque tandem abrogatis, *decima quarta* de ædibus aliis publicis & privatis, in quarum numero apparent curia urbis, curia episcopalis, curia *Puggaard*, Gymnasium Ripense, Schola cathedralis, curia Spiritus sancti, Hospitale, Ædes pauperum, Mons lilii, &c. *Libro tertio* exponitur de statu ecclesiæ reique publicæ Ripensis, de civium moribus, viris in utroque statu claris, de re numaria, typographia, Cerere & Flora Ripensi, de Comite, quem *Maygraven* vocant, nec non de Pag. 723.
oppidi fatis, scilicet de bellis, de morbis, de incendiis, ac de inundationibus, item de statu urbis hodierno. Tractationi subinde inseruntur figuræ, laminis æneis expressæ, nec non Index elaboratissimus. Riparum latitudinem, docet, esse, 55° 19', licet alii malint 20, alii 21. Circa exordium Se- 14.
culi XIII eæ demum muro fuerunt munitæ. Hoc tempore urbs cingitur mari ac amne Nipsæo, ut circino pæne 32.
circumducta, non arte, sed natura. Vocem *Kirke*, nostris 70.
Kirche, ortam esse ex voce Græca κυριακή, apud omnes est in confesso, si his ab Autore decidatur. Cardinalem *Guidonem* A. 1266 in Daniam usque excurrisse, significant literæ ejus, *indulgentiarum* plenæ, Ripis 8 Cal. Sept. da- 84.
tæ. Literas ejusmodi complures Senex Venerandus cum Lectore communicat hic, ac in publicam lucem producit. *Canonicos* dici a canone, seu catalogo librorum Codicis sa- 117.
cri, Autor cum multitudine docet. At vocis origo indu-

bie repetenda est ex *canone*, juridica voce, quæ pensum re-
ditus annui, ex frumento obvenientis, notat, ac notavit, an-
tequam exorti fuerunt Canonici. Canonici Ripenses, Se-
Pag. 118 culo XII exorti, communi circa primordia domicilio, cæ-
seq. naculo, mensa, ac dormitorio, usi fuerunt, scholis invigi-
lantes. *Plumbum chorale*, cujus in vetustis Capituli co-
dicibus fit mentio, ita exponit, ut dictitet, per illud intelli-
gi *minutas quasdam laminas plumbeas*, vel numos, qui-
138. bus Canonicus iste, qui eo anno Procurator Capituli ex-
stitit, nomen suum signumque impresserat, & quos iis dis-
pertiebat, qui recitationibus sacris matutinis & vesperti-
nis in choro basilicæ sedulo navabant operam, ut ipsi pro
numero numorum horum plumbeorum frumentum, vel
pecunias, ex communibus Capituli reditibus perciperent,
donec A. 1586 plumbi illius aboleretur usus, ac A. 1651
340. reduceretur. De ficto *Christophoro Magno*, non est, quod
nonnihil repetamus. Omittimus quoque S. *Catharinam*,
490. Philosophorum patronam. Canonicos ante A. 1216 in Da-
nia docuisse juventutem in scholis, memoratu haud indi-
gnum. Rectorem Scholæ Ripensis cathedralis nostra ætate
celeberrimum, (si quidem is adhuc in vivis,) M. *Christia-
num Falsterum*, inde ab A. 1723 munia illa obeuntem,
omittere est nefas. Ipse antea Conrectoratu ibi fuit fun-
508. ctus, vir egregia laude nunquam non dignus, Riparum
511. decus ac ornamentum. *Laurentii Thuræ*, Episcopi Ri-
pensis, eo quoque nomine memoria semper perstat vene-
randa, quod scholam hanc vetustate exesam mutavit domi-
cilio Musarum novo A. 1726. Reliqua, Ripensibus Danisque
maximam partem propria, jam prætermittimus, gratu-
lantes urbi huic, quod a Viro maxime laudabili monumen-
tum ei ære perennius est instructum.

APOLOGIE EN FAVEUR DE LA NATION LIE-GEOISE, &c.

id est,

APOLOGIA PRO NATIONE LEODIENSI, IN

qua

qua exponitur dilucide status præsens urbis Leodii, ac modus eligendi inibi Magistratus, succincteque edisseruntur consuetudines moresque regionis illius, opera Domini DE LILLE.

Leodii, apud G. J., Broncartum, 1735, 8.

Plag. 10½

Occasionem, quæ libellum hunc extudit e calamo Autoris, docet Præfatio. Erat enim ipse ad Aquas Spadanas colloquiis cum virorum doctissimorum triga implicatus, cum nonnulli, causæ ipsius minus faventes, Leodiensibus, eorumque indoli & moribus, conviciarentur. Consiliarius inprimis Brabanticus ipsum impulit, eisdem Aquis usus, ut pro Leodiensibus scribendi caperet consilium. Inscripsit vero opusculum Consulibus Senatoribusque oppidi Leodii, Pag. 3.
ut beneficia munere qualicunque pensaret. Id illico ipsi est molestum, quod nonnulli nationem Leodiensem existimant ferocem data opera, fallacem, & inhumanam. E contrario contendit ipse, eam esse probitatis studiosam, ingenio præstare, humanam erga quoscunque sese præbere, beneficam, pauperibus benignam, omnibus comem. Peregrinos, qui 4.
eo habitatum concesserunt, habere nonnunquam aliquid innatæ ferociæ & desperatæ mentis, haud abnuit; indigenis 7.
eum nævum tribui posse, pernegat. Judices & magistratus Leodii neminem in carceres rapiendum curant, nisi indicia suppetant, antea satis examinata. Ratione status ecclesiastici Leodium soli cedit Romæ. Præter Episcopum, 14.
Capitulares, & Clericos, Leodii tria florent hominum genera. Sunt ibi homines illustres & eximii, tum dignitatibus & muneribus publicis conspicui, tum natalibus splendentes. Secundas tenent literati ac mercatores. In tertiis 16.
consistunt cives, artifices, & mechanicis operibus addicti. Fœminæ sunt moribus excultæ citra affectationis labeculam, & antiquam Romam in consuetudine sua positam declarant. 17.
Convivia sunt & frugalia, & modice sumtuosa, rorantibus poculis intrudendis haud gravia. In eorum exitu Musica reficit aures animumque, trahens multum ex cantu Italico, 20.

 mul-

multum ex Gallico. Lusus, quem *Piquet* & *d'Ombre* vo-
Pag. 21. cant, consequitur. Reliqui, lusum haud amantes, novel-
la commemorant invicem excipiuntque. Joci feruntur se-
runturque perquam urbani & decori. Viri religiosi hisce
sæpius intersunt deliciis, nil admittentes, ordine suo indi-
gnum. Magistratus dicunt temporibus statis jura, expen-
sis causis, molestiasque, quibus in foro aures ipsorum per-
strepunt, recreant subinde oblectamentis, animi lassitudini
23. medentibus. Noctes haud perdunt conviviis, sed super-
fluas opes impendunt potius usibus egenorum. Juriscon-
sultos Leodienses dudum suspexit omnis Europa. *Louvrex*
30. est instar omnium unus. Juvat legisse, quibus modis pa-
troni causarum sese ad genus vitæ suæ & subacti judicii ex-
perientiam præparent & componant. Prandent Leodienses
44. laute, ut Galli; bibunt largius, ut Germani. Uxores fi-
liæque commerciis haud minus vacant, quam viri, secun-
dum Belgarum & Thuringorum vivendi rationem. Ut
53. vero Autor Leodiensium causam eleganter & diserte pero-
rat; ita genus vitæ, quod Parisiis viget, sæpius haud occul-
te reprehendit. Autor *Deliciarum ad Aquas Spadanas* (*A-
musemens des Eaux de Spa*) ab eo laudatur, propterea quod
61. virginum Leodiensium laudes pleno sevit sacco. Operæ o-
mnino pretium est, legisse ea, quæ ipse de educatione filia-
rum Leodiensium exponit, quæ de disciplina filiorum, de
diligentia artificum, de civium moribus egregiis, in me-
dium profert. Ipse libellus ea facundia & suavitate con-
cinnatus est ab Autore, ut non possit non lectorem suum
retinere, fingere, formare, & indolis optimæ ornamentis
condecorare. Et urbem talem, qualis Leodium est, ab in-
juriis & obtrectationibus invidorum vindicare, per se laudis
& gloriæ res est plenissima, habebuntque vel hoc nomine
Autori gratiam, quicunque rerum pretia ex merito æstima-
re vel ipso didicerunt, vel æstimari ab aliis cupiunt.

HISTOIRE DES RATS POUR SERVIR A L'HI-
stoire universelle.

id est,

id eſt,

HISTORIA GLIRIUM, IN USUM HISTO-riæ univerſalis.

Ratopoli, 1738, 8.

Plag. 10.

Opuſculo huic officinam præbuit Belgium, quemadmodum formæ & nitidæ chartæ modulus teſtatur. In fronte, ſeu indice, leguntur hæc *Martialis: Perlege Mæonio cantatos carmine mures, & frontem nugis ſolvere diſce meis.* Figura, in æs inciſa, repræſentat *Apollinem Smyntheum*, murem qui dextra comprehendit. Summa libri ſpirat ſales liberiores comtioresque in eos, qui ſub ſpecie & obtentu uſus publici in vulgus edunt libellos, quorum cardo vertitur in exornando hoc, vel illo, nihilo, prouti mollities & libido tenerior eorum vela afflaverit aura benigniori & applauſu hominum, voluptati ſuæ alendæ inſervientium. Idem inſtitutum ſervat Noſter, genio ſeculi ſeſe abreptum fingens. Tractationem ſuam complexus fuit Epiſtolis, ne continens lectio fatigaret lectorem. Inprimis vero imitatum ſeſe dicit Autorem opuſculi *de Felibus*, qui paucis abhinc annis prodierit in lucem. *Scipionem* comparat cum mure, *Hannibalem* cum fele, ut ſalſe opuſculo illi illudat. *Epiſtola prima* eos ſale perfricat, qui, origines artium & ſcientiarum ex imitatione ea, qua homines ſeſe conformaverint animantium moribus actionibusque, profectas, ſibi perſuadent. Digreſſionibus crebris liberioribusque fodicat eos, qui, ut magna extrudant ſcripta, a ſupervacuis ſibi haud ſolent temperare. Argumenti vilioris ſelectione pungit illos, qui de rebus nauci nihilique copioſos extruunt libros. Muribus gliribusque vitio vertit, quod ipſi tot devoraverint inde a ſeculorum remotiſſimorum decurſu volumina, haud obſcure notans librorum helluones. Oſtendit deinde ineptias ſcriptorum, qui magnam tractationis partem impendunt originationibus vocum cumulatis. Notat porro illum, qui per *Uranon*, ſeu *Cælum*, Mythologorum deſignatum credidit *Abrahamum*. Quis vero igno-

Pag. 1. 5. 14. 16.

rat, *Furmontium* hic pungi seniorem? Lusus vocum,
Pag. 17. qui vocantur *æquivocationes*, exemplo *Ciceronis* notat. Ridet eos, qui res satis claras definitionum clathris includunt, ac ex Lexicis sapiunt, indeque libros suos conscribunt. Proverbialem locutionem Gallorum, qua stultos dicunt
21. *habere glires* (*avoir des rats*) in cerebro, ridicule exponit. Si vero quis crediderit, ex hoc libro scientiam naturalem, vel historiam universalem, addisci, vel amplificari, posse, is apprime sui est incurius, ac sese haud minus, quem alios, fallit. Paucula enim illa, quæ de gliribus muribusque hinc inde intexuntur, haud sunt magni momenti. Rerum historicarum quam peritus fuerit Autor, vel ex eo intelligitur,
126 seq. quod, *Popielem II*, Poloniarum Regem, & *Hattonem*, Archiepiscopum Moguntinum, a muribus interemtos fuisse, tradit. Multi sane exstant libri, de rebus nihili & momenti nullius conscripti. An vero eorum ullus sit ex cogitationibus cœlo toto diversis magis, quam hic, conflatus, vel consarcinatus, liceat dubitare. Si in eo ars posita esset insignis, ut docti nævos publicos privatosque reipublicæ literariæ notent, carpant, rodant, reprehendant, vereremur sane, ne viri eruditi eruditioni ipsi, ornamento suo, essent noxii, funesti, calamitosi. Gratulamur Autori laborem, cui sese accincturus, non potuit non in cerebro glires habere.

ELOGE HISTORIQUE DE M. COUSTOU L'AINÉ, &c.

id est,

ELOGIUM HISTORICUM CUSTOVII SENIORIS, Sculptoris Regii ordinarii, Rectoris Academiæ Regiæ, quæ de Pictura & Sculptura cognominatur; cui subjunctæ sunt descriptiones, judiciis instructæ, de nonnullis operibus picturæ & sculpturæ.

Parisiis, impensis Huarti, 1737, 12.

Plag. 7½.

Nico-

N*icolaus Custovius*, filius *Francisci*, Sculptoris lignarii,
ac *Claudinæ Coisevaux*, lucem vitalem adspexit
Lugduni A. 1658. 9 Jan. A patre prima hausit artis suæ
rudimenta. Ad artem suam natus, *Stephani* proto- Pag. 2.
martyris effigiem in ligno fabricatus est, in genua provo-
luti, & pro interfectoribus suis deprecantis, apte statui
ipsius convenientem. Parisios adiit natus annos duodevi-
ginti, apud *Coisevaux* avunculum elaboratiora edoctus, 4.
ad annum usque 1683. *Colbertus* ipsum ad Academiam
misit Romam ad triennium, admiratum ibi opera *Michae-
lis Angeli* & *Francisci*, Flandri. Rediit Parisios A. 1687, 6.
Regis jussu varia opera machinatus, egregieque fabricatus.
A. 1693 associatus fuit Academiæ regiæ ob opus mar-
moreum anaglyphum. Naturam rerum felicissime sem-
per expressit. Autor opera ejus fidelissime solideque recen-
suit, quibus hic ut immoremur, ab instituto nostro vide-
tur alienum. Obiit *Custovius* diem supremum A. 1733, 48.
Cal. Maji, utilitatis propriæ haud appetens, honestatis a-
mans, luctu sociorum merito exceptus. Erat ipse indo-
lis ad maxima adspirantis, & sublimis. Notiones ipsius
erant convenientissimæ & profundæ, judicium subactum ipsi
inerat, acumen ejus ne minima quidem fugiebant. Pe-
ritia præsedit ejus operibus, in quibus conjunxerat sele-
ctum, pulchrum, præstantiam, exactam artem, puritatem,
cum alacritate, convenientia exquisita, & veritate. Faten- 47.
tur uno ore artis periti, ipsum in externo operum cultu
vicisse antiquos. Semper varietatem, novitatem, & in-
genium, in characteribus & habitudinibus figurarum osten-
dit, mirificus in modo marmora elaborandi. In modulis 50.
terræ coctæ fuit & admirabilis & magnus. Id vero, quod
præcipue in sculpturis picturisque historicis observandum
est, consistit in eo, ut cupiditates, quæ agitarunt perso- 54.
nas, indolesque regionum, in quibus vixere, temporis-
que, quo floruere, rationes, in censum veniant, fideliterque
exprimantur. *Pussinus*, *Le Brun*, *Rubens*, paucique alii,
in hoc genere excelluerunt. Quomodo historia *Josephi*, a
Poti-

Potipharis uxore ad amores fruſtra pertracti, fugientisque ſine amiculo, ſit ad normam hiſtoriæ pingenda, copioſe hic exponitur. Exempli perfectioris ſpeciminisque præclari loco deſcribitur porro tabula, a *Carolo van Loo* picta præferens *Saram*, quæ *Abrahamo Agaram* pro fœmina
Pag. 73. ſubſtituit. Sublime, quod in eloquentia ac poeſi fert omne punctum, in pictura & ſculptura eſſe ſervandum, Autor
130. egregie docet. Sublime autem conſiſtit vel in rebus ipſis, vel in delineationibus ſignisque rerum. Prius complectitur mirificum, magnum, pulchrum, & eximium. Poſterius comprehendit puritatem, accuratam linguæ convenientiam cum re ipſa, ſimplicitatem, majeſtatem, proprietatem & vim vocum, determinationem, nitorem, & perſpicuitatem enuntiationis. In pictura ſublime fuit ob oculos poſitum
133. a *Puſſino* in delineata diluvii hiſtoria. Sculpturæ etiam proprium debet eſſe id, quod ſublime appellamus. Exemplo hoc ipſum confirmat Autor, cujus judicia ubique tam ſunt exquiſita & opportuna, ut haud erremus, ſi fateamur, ipſum eſſe magiſtrum ſtili & eloquentiæ, Philoſophum exercitatum, judicem veri probatiſſimum, picturæ & ſculpturæ peritiſſimum, in meditando principem, terſæ perſpicuæque & nativæ facilisque dictionis architectum. Eam enim ubique adhibuit compoſitionis æqualitatem, cogitandi ordinem, & artem diſtincte eleganterque evolvendi exprimendique cogitata, ut credas, res ipſas ſecundum partes ſingulas, ubi lectorem agis, ſub obtutum tuum fuiſſe productas atque collocatas.

OPERE POSTUME DI TOMMASO CATANEO, &c. hoc eſt, *OPERA POSTHUMA THOMÆ CATANEI, INſcripta Excellentiſſimo Senatui Veneto.*

Venetiis, impenſis typisque Joannis Baptiſtæ Albrizzi, 1736, 4 maj.

Alph. 1 plag. 14.

Id

Id vero sese patri defuncto debere crediderunt filii, *Joannes* & *Petrus Cataneus*, ut scripta patris ob pietatem in illum inviolatam luci darent, quæ sacraverat Libitina. Familia *Cataneorum* per sese jam avitis fulget honoribus, & hoc monumento novo ab oblivione posteritatis vindicatur. Ex insula enim Creta originem & antiquissimam nobilitatem trahit. Senatus Venetus jam A. 1614 testatum reddidit, eam nobilitate antiqua, patria Creta, & officiis reipublicæ præstitis, jam olim per secula multa eminuisse. *Joannes Cataneus* egit præfectum classis navalem, ac in bello Turcico, A. 1683 inchoato, conflictibus inclaruit haud paucis ad Rhium & Antirrhium, ad Tenedum, Lemnum, atque alibi. *Thomas* autem in Academia Patavienſi Professoris publici munere, quod cum applausu maximo gessit, nomen suum consecravit immortalitati. Ipse lucem adspexit vitalem in insula Corsica A. 1668 die Christi Jesu natali, usus patre *Joanne*, qui ibi imperium potestatis summæ a republica sua tenebat, quantum ad rem bellicam attinet. Annos natus 12, Romæ bonis literis in Collegio Græcorum Romano operam dedit, ac lauream in Philosophia promeruit. A. 1686 Venetias venit, ut præesset Collegio Græco *Flangini*. Destinatus A. 1686 cathedræ extraordinariæ philosophicæ in Academia Patavienſi ornandæ, docuit, omnibus bonis applaudentibus, juventutem, ac, stipendio annuo duplicato, A. 1692 primus Philosophiæ ordinarius Professor evasit. Meruit etiam ibi lauream medicæ scientiæ ac legum doctoralem. Infirmitas vero corporis ipsum A. 1700 eo adduxit, ut Professioni renuntiaret. Vixit posthæc ex feudo reipublicæ in Morea, &, hac a Turcis occupata, in Istria, conspicuo Venetiis privatus, ibique tradidit generosissimis Patriciorum juvenibus politicam eloquentiam. Malo pectoris debuit mortem, quæ eum occupavit A. 1725, 27 Febr. in brachiis filiorum, ac plena animi tranquillitate. Scripta ejus vides recensita in *Biblioteca volante di Giovanni Cinelli Calvoli, continuata dal Dottor Dionigi Andrea Sancassani, T. III*

X pag. 109

pag. 169 *seq. edit. Venet.* 1735, 4. Græcæ inprimis lin-
guæ erat peritiſſimus. Pateſcit hoc inter alia indicia ex
Commentariis ejus *in Textum Græcum Sacræ Scripturæ*
(Comentari ſopra il Teſto Greco delle Sacre Scripture),
ac *Translatione 70 Pſalmorum ex textu Græco.* Amici-
tiam coluit cum *Scipione Gonemmi*, Abbate *Michaele*
Angelo Fardella, *Apoſtolo Zeno*, *Antonio Maria Blan-*
chino, aliisque viris præſtantiſſimis. Opera autem hæc
poſthuma conſtant *Introductione ad Scientias*, *Arte cogi-*
tandi, *Oratore*, *Diſſertatiuncula de veritatibus archite-*
ctonicis, quibus mens humana in actionibus ſuis diri-
genda, & *Tractatione de principiis earum*, in cujus *Capi-*
Pag. 91. *te primo*, exiſtere Numen quoddam, demonſtratur. Verita-
tem, qua bene beateque vivitur, hiſce abſolvi partibus,
exiſtimat, *Philoſophia prima*, *Theologia revelata*, *Ma-*
theſi, *Phyſica*, *arte cogitandi bene*, *vivendique recte*,
ac *Oratoria*, ſeu arte, qua id, quod cogitavimus, ſcite
2. exprimi ſolet. Dari veritates, per ſeſe eo nomine dignas,
hiſce it comprobatum exemplis: 1) quod ſingularia in ra-
6. tionibus nonnullis communibus conveniunt; 2) omne to-
tum eſt majus ſua parte; 3 exiſtit numerus & proportio;
4) menſuratum & regulatum non eſt re ipſa menſura & re-
gula; 5) res cognoſcimus, eo quod exiſtunt, vel queunt
8. exiſtere, haud ratione inverſa; 6) id, quod citra confuſio-
nem & obſcuritatem a mente noſtra cognoſcitur, eſt ob-
jectum mentis reale, haud fictio; 7) differentia inter æ-
quale & inæquale, ſimile & diſſimile, verum & falſum,
bonum & malum, haud dependet a cognitione noſtra, ſed
potius nititur principio reali, immutabili, & æterno. Ad-
dit porro, unam dari, & ſolam, & univerſalem, men-
ſuram, veritatem, & regulam, per cujus communicatio-
nem omnia ſubſiſtant, ſiquidem 1) ex quavis cauſa haud
ſequatur quicunque effectus, & 2) in omni toto, quod
conſtat partibus ac rationibus, omnis pars & omnis ratio
habeat neceſſario ordinem conſtitutionis ac proportionis
9. cum aliis partibus & cum toto, 3) in univerſo detur de-

penden-

pendendi modus ab origine & subordinatione, 4) ac homo interventu corporis sui junctus sit mundo, sensibus sese offerenti. Ex hisce principiis universalibus colligit, dari quædam, quæ extra cogitationes nostras existant. Subit recordari Egoistarum & Idealistarum, qui principia, seu propositiones illas, admittunt, licet, conclusionem istam, negent, firmo talo insistere. Ostendit deinde Autor, dari veritatem, a mentibus pro arbitratu haud fingi aptam. Hac vero demonstrata, ad Theologiæ revelatæ scopum & Pag. 18.
summa capita, reliquasque scientias, secundum divisionem suam, transit. Corpora singula formari, & formata esse, ex quadam materia homogenea, remis velisque contendit, 27 seq.
argumenta argumentis, *Pelion Ossæ*, imponens. Eam per sese haud conspicuam esse; idem refert, addens, eam esse repræsentatricem actus puri, at passive & divisim; *esse eam corpus continuum*; esse dividuam ob continuita- 30.
tem; esse spatium extensum & locum cujuscunque corporis, ideoque vacuum dari haud posse. Qui norunt materiam *Aristotelicorum* primam, eis hæ doctrinæ haud sunt ignotæ. Ex eisdem fontibus reliqua, pauculis exceptis, etiam profluxere. Logicæ fundamenta Autor æstimavit tribus mentis operationibus. Sensum, ait, esse perceptionem 59.
formæ in materia; quasi vero haud darentur sensiones internæ, & in animo reflexæ. *Terminos* logicos & syllogismi officinam dilucide exponit. Logicæ autem practicæ partes omittit. Oratoriam Logicæ subjungit, ejusque finem esse, convincere intellectum, & movere voluntatem, demonstrat. Argumentorum fontes, orationis partes, tropos, 81.
& figuras, delibat cursim. Ea autem, quibus imaginem Theologiæ & naturalis & revelatæ delineare ipsi libuit, diffusiora sunt & elaboratiora, passim etiam solidissima, ac pietatis plena. Non est vero, quod quis hic methodum adstrictam quærat. Fluunt omnia more cogitationum, libere progredientium, ac qualitercunque servantium callem suum, venuste, plane, & mascule, enuntiata. Philosophiam *Aristotelicam* accurate calluit Autor, ita tamen eam ad-

 hibuit,

hibuit, ut pulchrius ipse sapuerit capita Theologiæ prima, ac in eis corroborandis *Thomam* potius, quam *Aristotelem*, fuerit secutus.

RACCOLTA DI OPUSCOLI DEL DOTTORE GIO. COSIMO VILLIFRANCHI, &c.

hoc est,

COLLECTIO OPUSCULORUM DOCTORIS JOANNIS COSMI VILLIFRANCII, ad Illustrissimum Dominum JOANNEM DI POGGIO BALDOVINETTI.

Florentiæ, typis Josephi Manni, 1737, 8.

Plag. 15½.

Syllogen ipsam antecedit formula dedicationis, ac ipsa deinceps vita *Joannis Cosmi Villifranchi*. Huic patria obtigit Volaterra, pater *Verginius*, ex D. *Virginio Or-*
Pag. 12. *sino*, *Ferdinandi*, Ducis Braccianensis, filio, natus. Matre ipse usus fuit *Catharina*, filia D. *Joannis Andreæ*, quæ ipsum in lucem edidit A. 1646, 29 Martii. A teneris imbutus fuit literis humanioribus, celeriterque, quæ tradebantur, arripuit linguas, Latinam, Gallicam, Græcam, & Ebraicam. Annis quindecim elapsis, animum appulit ad Philosophiam, Medicinam, & Poesin. Studiis vacavit primo Volaterræ, deinde Senis, ac tandem Pisis, ubi annos 19 natus, jam libellum edidit philosophicum, quem inscri-
14. psit *Astræam philosophicam, seu Axiomata philosophico-legalia.* Paulo post reportavit lauream Doctoralem in Philosophia ac Medicina. Volaterræ primo fecit medicinam, & posthæc Florentiæ, Principi magno *Ferdinando* gratus ac jucundus. Quanta in ipso fuerit vèna poetica, elucet ex prologo, quem præmisit Comœdiæ D. *Joannis Baptistæ Ricciardi*, intimi sui amici, quæ vocatur *Le cantele politiche*, nec non Comœdiæ *Le Miniere dell' Oro* &c. Principatum inter Carmina ejus obtinent Epithala-

thalamium in *Joannem Wilhelmum*, Electorem Palatinum, Pag. 17.
ac *Annam Mariam Ludovicam*, Tuscanicam Principem Magnam, nec non Panegyricus, quo laudes *Joannis III*, Regis Poloniarum, Vindobonæ, a Turcis obsessæ, liberatoris, A. 1684 celebravit. Rex tantus id adeo approbavit, 141.
ut sua ipsius manu literas, quibus gratias ei egit, ad eum dederit. Corpus autem Academicorum *Concordium Ravennæ*, 18.
cujus ipse erat e præcipuis sodalibus, hasce curavit formis publicis describendas cum versibus, Odas referentibus, quibus erat titulus: *Socrate innamorato*. Omittimus alias ejus Odas, ac Carmina alia. Uxorem ipse duxit A. 1689 *Mariam Magdalenam*, filiam *Benedicti Salvii*, sororem *Francisci Salvii Giorgini*, Præpositi Collegiatæ Figlinensis, defunctus A. 1698, 12 Martii, ab hydrope oppressus. Panegyrici illius exordium hoc est: 23. 143.

Pensier, che tenti? Eh non conosci appieno
Della tua Cetra il temerario ardire,
Che del Sarmato Ré Marte terreno
Osi di far l'alte vittorie udire,
Quand' ei per porre a l'empio Trace il freno
Più feo di quel, che possa altrui ridire;
E vuoi cantarne il gran valor, di cui
Strancò la Fama in ragionar di lui.
E ancor persisti? E ancor non hai rossore,
Degli ardimenti tuoi cotanto altieri?
E ancor presume il tuo superbo cuore
D'avere stil per celebrar Guerrieri?
Canto ci vuol consimile al valore,
Nè devonsi agli Achilli altri, che Omeri;
Nè gli Alessandri aver bronzi, o pennelli,
Che non sian di Lisippi, o sian d'Apelli.

Perspicuitatem ubique *Villifrancius* junxit gravitati, gravitatem cum elegantia copulavit, ornatumque sententiosæ illigavit scripturæ. Nostrum est, addere illud meritissimum, Plaudite.

NOUVELLE DISSERTATION SUR LES PAROLES de la Consécration de la Ste Eucharistie, &c.

hoc est,

NOVA DISSERTATIO IN VERBA CONSECRAtionis eucharisticæ, in qua ostenditur, Liturgias orientales esse conformes Romanis in ritu consecrationis, & Scholasticos, qui impugnarunt Invocationem Orientalium, novosque Græcos, qui eam contra illos iverunt vindicatum, nec comprehendisse verum harum precum sensum, nec debite vacasse ritui illarum Liturgiarum.

Trecis, apud Jacobum le Febure, juniorem, 1733, 8.
Plag. 19.

Disputatio, quæ de forma consecrationis S. Eucharistiæ agitatur, in cathedris Scholasticis Pontificiorum existimatur ponderis esse permagni respectu invocationis, quam peragunt Græci post verba institutionis. Argumentum hoc occupatos tenuit inde ab aliquot annis R. P. *le Brun*, Presbyterum Oratorii, & R. P. *Bougeant*, e Soc. Jesu. Nec abfuit, qui disputationibus solet esse familiaris, æstus plus quam mediocris. Ille edidit *Volumina quatuor*, quæ inscripsit: *Explication litterale, historique, & dogmatique, des Prieres & des Cerémonies de la Messe.* Postquam dixerat, Patres tradidisse citra ambiguitatem, Jesum consecrasse corpus suum hisce verbis: Hoc est corpus meum, ecclesiam velle, ut nosmet sic loquamur, licet sola benedictio, aut solæ preces Jesu Christi mentales, aut vocales, potuerint mutare panem in corpus suum, *T. I pag. 454 seq.*; addit, præceptum, quod Servator dederit Apostolis ad faciendum id, quod ipse fecerat: *Hoc facite*, complecti ordinem preces recitandi, benedicendi, ac pronuntiandi eadem verba. Unde colligit, preces esse recitandas, doxologiam esse peragendam, & verba illa recitanda ad consecrationem perficiendam. Contendit idem, Seculis XII prioribus in utraque Ecclesia, Latina & Græca, consecrationem constitisse conjunctim in preci-

precibus ac verbis institutionis eucharistiæ, *T. III pag 263.* Ipse concludit precibus illis Invocationem Orientalium, ratus, opinionem Scholasticorum, qui formam consecrationis solis *Institutionis* J. C. verbis metiuntur, juniorem esse Seculo illo XII. Hic vero, scilicet *Bougeant*, insurrexit adversus illam *Bruni* opinionem, existimans, causam efficientem & formam consecrationis eucharisticæ consistere in verbis institutionis Jesu Christi. Lis ipsa Romam fuit deducta, ac scriptum *Bruni* ibi cœpit in pretio esse. Quo factum est, ut adversarii ejus amoverent ex hac controversia, quicquid videbatur ad delicatam curiæ Romanæ sensionem turbandam aptum. Quam ob causam *Brunus* sese obstrictum putavit ad respondendum momentis perquam exiguis, quæ ipsi ab antagonistis fuerunt objecta. Dum vero moliebatur responsionem, a communi mortalitatis fato interceptus fuit. In locum igitur ejus successit Autor, licet suis oculis laboribusque usus, nec idem ubique, ac *Brunus*, sentiens. Traditionem hic in censum esse vocandam, comprobat ex illis *Basilii L. de Spir. S. Cap. 37* verbis: *Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium. Verum alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus.* In fronte libri posuit hæc *Cyrilli* Alexandrini verba ex *Epist. ad Joannem Antiochenum Cod. Can. Eccles. Rom. Cap 53*: *Superflua & nullis ex causis Ecclesiarum dissensio facta est.* Argumenta & rationes, quibus sua confecta & stabilita esse credit, desumsit ex Sacro Codice, traditionibus Apostolicis, Conciliis approbatis, fide concordi ecclesiæ Romano-Catholicæ, & testimoniis Patrum. Universa tractatio dividitur in *Capita viginti. Primo* contendit, Græcos & Latinos disputatione nulla laborasse de consecratione eucharistica ante Seculum XIV. *Secundo* ostendit, Latinis esse duntaxat unam Invocationem

in

in Liturgia eucharistica, verbis *Institutionis* præmissam,
Græcis & Orientalibus esse duas Invocationis formulas,
quarum una præcedat, altera sequatur, verba eucharisticæ
Pag. 5. Institutionis. *Tertio* demonstrare studet, Scholasticos, qui
impugnarunt Liturgiarum Græcarum Invocationem, impu-
18. gnasse non nisi illam, quæ recitatis Institutionis verbis in Ec-
clesia Græca subjungitur. *Quarto* demonstrat, altercationem
de forma consecrationis inter Græcos & Latinos Seculo XIV
27. demum fuisse exortam. *Quinto* commemorat ea, quæ in
Concilio Florentino Græcos inter ac Latinos de consecra-
32. tione disputata & gesta fuerunt. *Sexto* differit de modo
64. decreti, quod Papa *Eugenius* pro Armeniis condidit, ac de
sensu, quo id communiter a Latinis, quantum ad conse-
crationem eucharisticam attinet, fuit receptum; nec non
de decreto ejusdem Papæ pro Jacobitis. *Septimo* ostendit,
Græcos & Orientales inde a primordio disputationis illius
76. cum Latina ecclesia super Invocatione eucharistica haud
concordare de sensu ac usu Invocationis. *Octavo* agit de
forma Sacramenti. *Nono* dispicit, quam formam Servator
optimus adhibuerit ad consecrationem sanctæ eucharistiæ.
97. *Decimo* ostendit, Patres Ecclesiæ adhibuisse verba *precum,*
invocationis, *gratiarum actionis*, *sanctificationis*, *benedi-*
ctionis, ad indicandam consecrationem & liturgiam. *Unde-*
115. *cimo* contendit, Patres existimasse, consecrationem fieri
per verba Servatoris. *Duodecimo* inquirit, cur Patres sic
38. senserint ac scripserint, tradentes, verba Servatoris & preces,
aut simpliciter preces, eucharistiam consecrare. *Decimo ter-*
145. *tio* resolvit casum, si quis Presbyter consecrationem pera-
geret dicendo extra liturgiam super pane ac vino, quod te-
neret, aut videret: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis*
meus. *Decimo quarto* ostendere laborat, liturgias o-
rientales esse Latinæ conformes, & Scholasticos Latinos per-
peram condemnasse Invocationem Orientalium, & Græcos
recentiores eam considerasse veluti causam particularem ef-
ficientem consecrationis. *Decimo quinto* demonstrat, Invo-
cationem Liturgiarum Græcarum & Orientalium haud esse

argu-

argumento, consecrationem factam haud esse. *Decimo sexto* dijudicat loca, quibus *Brunus* usus fuit, ut ostenderet, traditionem XII Seculorum priorum esse documento, Ecclesiæ Latinæ convenisse cum aliis Ecclesiis in eo, quod communiter docuerit, consecrationem consistere conjunctim in precibus & verbis institutionis eucharisticæ. *Decimo septimo* it comprobatum, communem inde ab ineunte Seculo XII usque ad hoc ævum sic ferre opinionem inter Latinos, ut dictitent, consecrationem peragi verbis Jesu Christi. *Duodevicesimo* ostendit, nil commodi exsculpi posse pro necessitate Invocationis stabilienda ex sententiis *Mathurini le Bret*, *Catharini*, *Salmeronis*, *Cheffontanii*, & aliorum Scholasticorum. *Undevicesimo* disserit de autoritate Catechismi Tridentini. *Brunus* docuerat, *hunc Concilii autoritate multo esse inferiorem, quippe nunquam visum, examinatum, & approbatum a Concilio; compositum ab homine privato; nec, si vel maxime factus, approbatus, & publicatus fuisset Pontificis jussu, per hanc autoritatem majoris esse autoritatis, quam S. Thomæ Summam, in quam pateat viris de ecclesia jus examinandi & inquirendi.* *Brunus*, ut sese autoritate tueretur, provocavit ad *Cheffontanium* (Cheffontaines). At hujus liber insertus est Indici librorum prohibitorum anni 1664, qui *Alexandro VII* præsidente exiit in lucem, nec non Indici, qui Lugduni A. 1631 prodiit, in quo duo opera *Cheffontanii* omnino prohibentur. Ex Apparatu Domini *de la Haye*, Presbyteri, ad illum Catechismum constat, jussu Concilii Tridentini eum fuisse elaboratum, durante Concilio inchoatum, atque tribus annis post finem illius ad finem perductum, a Cardinale *Sirleto* jussu *Pii V* examinatum, hujusque approbatione præmunitum, atque ejusdem jussu formis publicis descriptum. Id dubio caret, *Gregorium XIII*, *Pii* successorem, approbasse A. 1583 Catechismum, de quo dicimus, eumque jussisse in linguam Slavonicam converti, tantum illius æstimatorem, ut *Francisco Graciano de Garzatoribus*, Jurisconsulto, ac Vicentino Canonico, id negotii

Pag. 166.

176.

200.

210.

221.

222.

224.

daret, ut Juris Canonici epitomen conderet, in quam nihil eorum reciperetur, quæ decretis Paparum, Concilio Tridentino, ac Tridentino Catechismo, fuerant abrogata. Addit *de la Haye*, Catechismum hunc fuisse approbatum a S. *Corolo Borromæo* per quinque Synodos provinciales, Mediolanensem, Ravennensem, Salisburgensem, Avenionensem, & Aquilejensem, nec non Rothomagensem, Burdegalensem, Turonensem, Rhemensem, & Aquis Sextiis celebratam, conventum item Clericorum Galliæ Melodunensem anni 1579. Nihilo minus id quoque est verum, nec Concilio generali, nec decreto universali Papæ, id Catechismi Ecclesiæ Romanæ fuisse præscriptum. Nec id inficiari licet, in hoc Catechismo *de Eucharist. sacr. n. 20* ex *Matthæo, Luca*, & *Paulo*, doceri, formam consecrationis panis
Pag. 227. eucharistici consistere in verbis: *Hoc est corpus meum.* Hanc sententiam esse Scholasticam, tradit *Brunus*, negat vero Anonymus. Hic putat, sese rationem invenisse opinionis suæ in *Cap. 7 Sess. 24.* ubi jubentur doctores ecclesiæ explicare suis Catechismum hunc *postpositis inutilibus quæstioni-*
237. *bus*. *Capite* tandem *vicesimo*, seu ultimo, commentatur Autor de adoratione eucharistiæ in Missa, & formula Amen, quæ legitur iu Liturgiis nonnullis post consecrationem. Si liceat nobis judicium proferre nostrum de hac tractatione, aperte & ingenue fatemur, Autorem Historiæ
3. ecclesiasticæ admodum esse peritum, ac instituto suo laudabiliter defungi, quantum ad propositi summam attinet. *Innocentius* enim *IV* A. 1254 Episcopo Tusculano, legato suo ad Insulanos Cyprios, præcepit, ut Græcis permitteret ritum suum eucharisticum, ideoque invocationem illam geminam, *dummodo in confectione, vel consecratione, formam verborum, a Domino expressam & traditam, observarent*, *T XI Conc. pag. 614.* *Thomas Aquinas* de forma consecrationis eucharisticæ nihil adversus Græcos monuit, licet, de processione Spiritus sancti ac pane fermentato eucharistico ipsos minus recte sentire, adjungat. Nec in Concilio Lugdunensi anni 1274 Græcis de illa forma fuit

lis.

lis mota. In Liturgia Græca hæc quoque habentur verba: Pag. 4.
Te deprecor, qui solus bonus es & facilis ad exorandum, respice super me peccatorem & inutilem servum, & munda animam meam & cor a mala conscientia, & sancti Spiritus virtute fac me dignum Sacerdotem, gratia tua indutum, assistere sanctæ tuæ huic mensæ, ac consecrare sanctum corpus tuum & pretiosum sanguinem, &c. Ex verbis ulti- 10.
mis Autor it demonstratum, errare Reformatos, negantes, Eucharistiam esse verum sacrificium, corpus & sanguinem Jesu Christi complectens. Addemus vero verba, quæ *pretiosum sanguinem* consequuntur, ut pateat hujus argumentationis nervus: *Tibi enim cervicem meam inclino, teque precor, ne avertas faciem tuam a me peccatore & indigno famulo tuo offerri tibi hæc Sacramenta. Tu enim es offerens & oblatus, suscipiens & distributus — Amen.* An Reformati ex Liturgia Græcorum possint refelli, omnino dubitamus. An sacrificium verum designetur per *oblationem Sacramentorum*, ambigent complures. An voci *offerendi* insit notio veri sacrificii in hac Liturgia, aliis videtur dubitatione haud carere. At nostrum jam non est, in controversiam, *Claudium* inter & *Arnaldum* olim agitatam, nos demittere dijudicandam. Provocamus jam ad ea, quæ ex D. *Covel's Account of the Greek Church* in hisce *Actis A.* 1723 *pag.* 473 *seq.* fuerunt commemorata.

DISSERTAZIONE STORICA - CRITICA - DOGMAtica sull' Identità, esistenza, multiplicità, culto, e miracoli, della mano destra di S. Gio. Battista, &c.

hoc est,

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICO-dogmatica de Identitate, existentia, multiplicitate, cultu, & miraculis, manus dextræ S. Joannis Baptistæ, præcursoris Servatoris nostri Jesu Christi, honoratæ ec-
Y 2 *dem*

dem tempore in compluribus ecclesiis Christiani orbis, & speciatim Rapagnani, loco Archidiœceseos Firmianæ, inscripta Illustrissimo & Reverendissimo Domino ALEXANDRO BORGIÆ, Archiepiscopo & Principi illius Civitatis.

Romæ, ex typographeo Petri Ferri, 1738, 4.
Plag. 17.

Scripti Autorem haud licet prætermittere, dummodo ulla de eo notitia supersit. Dissertationis hujus conditorem si designare lubeat, non aberrabimus a janua, indicantes, opusculum hoc profectum fuisse a R. P. *Odoardo a S. Francisco Xaverio,* Ord. Carmelitarum Excalceatorum, Philosophiæ Lectore, & Provinciæ Romanæ paulo post Sacerdote professo. Scriptum ipsum abit in *tres Sectiones.* Frontem aperit & Præfatio, & introductio ad opus ipsum, & Oratio panegyrica, recitata in translatione gloriosæ manus dextræ illius ex urbe Antiochia in urbem Constantinopolin. Legitur illa apud *Surium* ad diem 29 Augusti edit. Colon. 1618. Titulus Orationi apud *Surium* hic fuit præfixus:
Pag. 1. *Oratio, seu Encomium, de exportatione pretiosæ manus dextræ S. Joannis Præcursoris ex Antiochia, ut habetur in Simeone Metaphraste.* Translatio illa dicitur incidisse in annum 956. Codex diem certum non habuit. Nihilo minus rem ipsam retulit ad 29 Augusti. Oratio illa habet plus panegyrici, quam historici. En singularia, quæ inibi exstant. Manum *Joannis* Autor dixit mansisse incorru-
2. ptam, eo quod *Joannes* eam, *Herodem* reprehendens, simul cum ore moverit ad fiduciam audaciamque ostentandam. Credit, 1) discipulos *Joannis* haud sepelivisse caput
3. cum corpore reliquo, 2) *Herodem,* percussorem ejus, habitasse, & convivium ferale egisse, in oppido Sebaste, 3) ibi humatum fuisse *Joannis* corpus, 4) ubi alterum sepulcrum
4. *Elisæi* Prophetæ exstiterit, 5) *Lucam* Evangelistam inde manum *Joannis* dextram deportasse in civitatem suam

Antio-

Antiochiam, redditurum ei hanc educationis mercedem, 6) Episcopum Hierosolymitanum eam transtulisse ob *Juliani* crudelitatem inde in Ægypti urbem Alexandriam, Pag. 5.
7) *Justinianum* Imperatorem dextram illam Constantinopolin curasse transportandam, ibique reliquisse, ut ostenderetur & tolleretur in festo *Exaltationis* die. Mittimus reliqua. Subjunxit Orationi panegyricæ Autor tractationem, in *Partes duas* distributam. In *Parte priori* it ostensum, 13.
Simeonem Metaphrasten haud esse interpretem Orationis illius Latinum, sed potius *Theodori Daphnopatæ* Orationem illam esse Græcam, Latine redditam a *Francisco Zino*, testibus collectoribus *Actorum SS. Bollandi T. IV n. 181.*
Ipse etiam *Leo Allatius* in Diatriba de *Simeonum scriptis* 14.
Autorem vocavit *Theodorum Daphnopatam*. Autor *Odoardus* narrationem *Theodori* credibilem arbitratur. *Sinassarius* Græcus calculum ei album adjecit. In re ipsa videtur nihil inesse, omnem excedens fidem. Corpus *Joannis Baptistæ* fuisse Machærunte, ubi ipse occisus, Samariam translatum, Autor ex *Josephi Antiqu. XVIII, 10*, it 19.
comprobatum. Corpus *Joannis Baptistæ* olim sepultum & asservatum fuisse, ipse docet testimoniis *Leonis Allatii*, 20.
Petri della Valle, *Arandæ*, ac aliorum. Potuisset addere testimonia *Hieronymi ad Mich. I*, in *Onomastico*, ad vocem *Semeron*, & in *Comment. ad Hos. I*, atque *Comm. ad Obadiæ I*, *Theodoreti H. E. III, 7*, *Philostorgii Hist. Lib. VII, 4*, & *Chronici Paschalis ad annum 361*, atque aliorum. Id vero vix videtur cum momentis aliis conciliari posse, quod *Herodes* dicitur natalitii gaudia in urbe Sebastes celebrasse, eo quod hæc ditioni Procuratoris *Pilati* erat obnoxia. Su- 21.
spicatur quidem Autor, *Herodem* ibi, haud secus ac Hierosolymis, palatium habuisse. De Hierosolymis illud omnino est certum ob *Luc. XXIII.* At ubi simile quid de Samaria, seu Sebaste, legitur? In *Oratione* illa *Theodori* 3.
Daphnopatæ memoratur, *Herodem Antipam* sedem regiam fixisse Samariæ. Quod quidem haud credibilius est, quam illud, quod de origine Sebastes idem tradidit, ratus, *Herodem*

rodem Magnum primum ejus urbis exstitisse conditorem.
Eadem incredibilitate laborat *Josephus*, dum, priorem *An-*
tipæ uxorem, *Herodiadis* gratia repudiatam, tradidit, con-
cessisse Machærunta, locum patri ipsius, *Aretæ*, subjectum,
simul tamen in ea *Joannem* jussu *Antipæ* in carcere fuisse
detentum, jussuque ejus occisum. Machærus ad historiam
nec *Antipæ*, nec *Joannis* Baptistæ, quadrat. Suspicamur du-
dum, mendum inesse *Josepho*, locumque Tiberiadi vici-
num significari potius ab eo, quam Machærunta. Si Αμ-
μαεῦλα legere licuerit pro Μαχαιεῦλα, res omnis est ex-
Pag. 25. pedita. Vix etiam audacia illa S. *Lucæ* attribuenda vide-
tur, ut ipse corpori *Joannis* vim intulerit, manuque id dextra
abscissa mutilaverit. Haud occupaverat ille perversus reli-
quiarum amor Secula a Christo nato priora. Probe hoc
jam animadvertit *Papebrochius* apud *Bollandum l. c.* in No-
tis ad Orationem *Theodori Daphnopatæ*. Quin potius alii
tradunt, *Julianum* Apostatam reliquias Samariæ curasse
comburendas. Cum vero *Papebrochii* opinio haud arri-
deat Autori; omnes contendit nervos, ut eam refellat, mu-
niens sese amore eorum, qui Seculo quarto & postea toti
in reliquias solicite colligendas fuerunt effusi. Tum vero
34. *Jacobum Peccininum*, cui nomen indit Hæretici Calvini-
stæ, depexum dare molitur, qui illam partium corporis
humani divisionem, quam reliquiarum cultores invexerunt,
ausus fuerat appellare *barbaram superstitionem.* Quid sit
barbarum, inquirit; &, quænam divisio corporum demor-
tuorum in ecclesia Romana videatur pœnis digna, docet;
43. divisionem cadaverum sacrorum esse superstitionem, negat.
Hinc ad *Fontanini* objectiones procedit, qui, licet alumnus
fuerit ecclesiæ Romanæ, nihilo minus ostendit, Christianos
ad medium usque Seculum octavum pignora & reliquias
Sanctorum nec tetigisse, nec distraxisse, in *Disquis. del cor-*
47. *po di S. Agostino Cap. 34.* Opponit huic sententiæ In-
scriptiones & testimonia Autor in contrarium, quorum
60. genuinum sensum & ætatem alii examinabunt. *Papebrochi-*
us certe de *Orationis* summa ita statuit: *Non credo, quem-*
quam

quam nunc futurum, qui aliter hæc legat, quam fabulam ad imitationem Andromachæ fictam; totius tamen hujus sermonis epitome recitatur in Meneis & Synaxariis septima die Januarii. Noster e contrario miracula illa, a *Theodoro* perscripta, & manui dextræ *Joannis* attributa, contendit vindicare. *Parte secunda* inquirit in causam multiplicationis ac confusionis dextræ illius, eamque rejicit in crudelitatem paganorum, impietatem hæreticorum, Pag 65. malefactorum scelera, negligentiam custodum, avaritiam ecclesiasticorum hominum, fidelium simplicitatem, incendia, furta, translationes, deprædationes, &c. Ex hac ratione manus dextra *Joannis* Baptistæ honoratur religiose Ve- 69. netiis, Castelloduni, in Bavaria, Cistertii, Senis, Maltæ, & Ripajani. Ut vero hic falsum a vero distinguatur, recurrendum censet ad diptycha ecclesiastica & titulos, ipsis re- 77. liquiarum thecis affixos, traditionem constantem, virorum fide dignorum testimonia, miracula, & approbationem Episcoporum. Miraculum id inprimis celebrat, quod dex- 78. tra hæc contrahatur instante penuria & annonæ caritate, extendatur autem imminente proventuum ubertate. Exponit deinde miraculum anni 1735, quo dextra illa traditur sese contraxisse. Subjungit hymnum, quotidie recitari 80. solitum in templo S. *Mariæ* oppidi Ripajanensis ad eam aram, in qua dextera D. *Joannis* Baptistæ, præcursoris Jesu, religiose asservatur coliturque, annonæ caritate sæpius per digitorum complicationem præmonstrata, aliisque prodigiis 86. clarissima. Recenset tandem argumenta, quibus id mira- 91. culi extra dubitationem collocetur, quibus incorrupta dextræ indoles ostendatur, sanctitatis index, doctrinæ regulæque opportunæ pro veneratione sacris reliquiis præstanda proponantur. Ad extremum it ostensum, dextram *Joannis* Ripajanensem esse solam integram, haud mancam, incorruptam, miraculis claram. Addit vero regulas hasce, 112. plus autoritatis humanæ, quam divinæ, trahentes: 1) Reliquias, si antiquæ sint, in eadem veneratione esse habendas, in qua semper habitæ sint, 2) consimiles reliquias ex 113.

præ-

præcepto fidei esse adorandas, quoties scilicet autoritate Apostolica fuerint approbatæ, quod sint hujus, vel illius, Sancti in particulari, jam diu per Ecclesiam canonizati, 3) fidem esse ad beatas animas spiritualibus subvectam alis ferendam, ac in hisce religiose conquiescendum, 4) impu-
Pag. 116. ne reliquias unius Sancti adorari posse pro reliquiis alterius, siquidem Sancti sint unum, & cuncti ii sint membra corporis Christi ejusdem mystici, 5) nos multa corpora venerari in terra, quorum animæ crementur in igne, uti quidem docuit *Gregorius Magnus*, 6) falli tamen non posse judicium Summi Pontificis, statuentis, hasce, vel illas, reliquias esse hujus, vel illius, Sancti partes. Subdit id quoque, non Rhodiis A. 1522, sed Constantinopoli, dex-
120. ram *Joannis* A. 1484 esse Ripajanensem in ædem sacram olim translatam, licet *Sollerius* apud *Bollandum T. VI Junii* in *Spicilegio ad Acta S. Joannis Baptistæ n. 7* priorem sententiam fuerit amplexatus.

DAVID. GEORGII STRUBEN VINDICIÆ Juris venandi Nobilitatis Germanicæ. Accessit collectio sententiarum, responsorum, & resolutionum venatoriarum, vel saltem ad firmandum jus venandi Nobilitatis facientium, Notis illustrata.

Hildesiæ & Brunsuigæ, sumtu viduæ Ludolphi Shræderi,

1739, 4.

Alph. 1 plag. 9½.

De origine juris venandi, quo omnis fere Nobilitas Germanica gaudet, eruditi non idem sentiunt. Alii, id beneficio Principum deberi, putant. Alii illud ad reliquias antiquæ libertatis Germanicæ referunt, quibuscum facit Illustris Autor non solum in hoc libro, sed etiam in *Dissert. de Origine Nobilitatis Germanicæ, & præcipuis quibusdam ejus juribus, Sect. II Cap. 3*, quam A. 1717 Lugduni Batavorum, præsidente *Gerardo Noodtio*, disquisitioni

tioni publicæ submisit. Quid Consultissimus *Lübbe* aliique, Principum juribus faventes, hic obmoliri consueverint, oppido compertum habuit Noster. Nihilo secius sententiæ suæ nondum valedicit, sed potius *Capite primo* subjicit argumenta dissentientium examini modesto. Cum vero consecutiones, quas regalis venandi juris vindices ex principio, a sese propugnato, eliciunt, id quoque mali subditis inferant, ut hisce, lite pendente, commodum possessionis denegetur; Autor vehementi studio in id incumbit *Cap. 2*, ut ostendat, deesse justum illi sententiæ fundamentum, tum quod venatio male juribus regalibus annumeretur, tum quod possessio horum ad nudam fisci contradictionem nemini uni sit auferenda, qui concessionem juris istius vel expressam, vel tacitam, argumentis probare paratus sit. Porro *Cap. 3* de jure communiter venandi, quod Principibus nonnulli credunt attribuendum in fundis Ordinum provincialium, disserit, ac, an id ex regula firma Principibus tribui possit, investigat. Sed, quia haud raro cum iis est pugnandum, qui præjudicatis opinionibus multum pretii ponunt, consensum adjicit in Collectione subjuncta, non solum Dicasteriorum & Ordinum juridicorum, sed etiam virorum autoritate conspicuorum, ut mantissa accedat Collectioni, quam Celeberrimus *C. L. Bilderbeck* subjecit libro, cui inscriptio: *Deduction gegen die vermeinte Regalitæt der Jagten.* Plura proferet in *Continuatione Observationum Juris & Historiæ Germanicæ*, quam meditatur. Largitur etiam *pag. 37* denuo, dari ministeriales gradus disparis, nempe eos, qui rusticas operas exhibuere; negat vero, hos cinguli militaris fuisse capaces: quam opinionem ipsi videtur amplexus *J. C. Harenbergius* in *Histor. Gandersh. pag. 1158, 1163, §. 8 & 9.* Hic vero nil scripsit *pag. 1158*, præter hæc: *Patriciorum Germanicorum ortus est longe excellentior, quam eorum Nobilium, quorum progenitores exstiterunt ministeriales* (infirmæ scilicet speciei), de quibus ibi est sermo. Id tamen memoratu videtur dignum, *Innocentium III* ministeriales Gandershemenses *Nobilitati* annumerare, ac-

 osten-

ostendere; ipsos a Duce *Ludolfo* Ecclesiæ Gandershemensi fuisse oblatos. Vide *Harenbergii Hist. Gandersh. pag. 748.* Cum vero hi ministeriales vocentur in literis *Ludolfi* fundatoris *mancipia diversi generis, vel conditionis, pag. 48;* perspicuum ane est, e ministerialibus generis infimi prodiisse successu temporis ministeriales, nobilitate acquisita insignes. Ea, quæ *pag. 1163 §. 9* Operis *Harenbergiani* leguntur, partim pertinent ad hos ministeriales, partim ad *famulos*, qui his ministerialibus annumerari haud possunt. Quare non videmus, quid inter Virum utrumque litis supersit. Tota hæc certe inter ipsos lis est composita. Constituerat tamen olim uterque, rem in *Miscellaneis Berolinensibus* uberius discutere. Illustris quoque Autor sibi destinatum scribit, in *Accessionibus ad Obs. de Ministerialium dignatione, Decadi II Observationum Juris & Historiæ Germanicæ* inserendis, operam dare, ut sententia sua amplius firmetur. At restat controversia inter Autorem & D. *Jo. Ulr. Cramerum*, qui A. 1740 edidit Marpurgi Dissertationem sub titulo: *Vindiciæ regalis juris venandi, oppositæ Vindiciis juris venandi Nobilitatis Germanicæ Cel. Dn. Dav. Georg. Struben.* Contra hunc docet Autor, venationem regalibus haud esse accensendam ob naturam civitatis, nec conditores civitatum addixisse Principibus speciali statuto feras bestias atque adespota, nec regale jus venandi deducendum esse ex jure vectigalium ac legislatoria Principum potestate, siquidem antiquissimis temporibus medioque ævo ingenui gavisi sint jure venandi, eorumque consensu prohibitionem venandi ad foresta esse restrictam; non obstare, concessiones forestorum a Regibus sine consensu civium aliquando esse factas, nec consensus civium defectum, cum Clerici capaces juris venandi evaserunt; venationem medio ævo relatam fuisse ad fundi liberi accessoria; constitutionem venatorum regiorum non sufficere probationi dictitantium, solos venatos esse Reges; Nobilium nostrorum majores haud fuisse destitutos fundis ad venandum habilibus; concessiones speciales re-

giæ juris venandi potestati haud favere, nec venaticum Regi præstandum; præsumendam esse status antiqui durationem; adhuc hodie plerosque Nobilium jure venandi gaudere citra speciales concessiones: Investituris Cæsareis non comprobari, jus venandi solis Principibus in territorio ipsorum universo esse proprium; denegatam civibus & rusticis venandi facultatem non obstare facultati Nobilium, ad venandum habili; præsumendum, jus venandi cohærere feudis datis; non annumerari secundum mores Germaniæ universales jus venandi regalibus; non obstare res judicatas, quas urgeant patroni Principum, horumque fisci, nec constitutionem de pace tenenda 2 *Feud.* 7, nec jurisdictionem Principis forestalem, nec leges provinciales, quibus jus venandi illis permissum, qui id per tempus legitimum exercuerunt; non obstare id, quod nonnulla prædia nobilia illo jure destituantur. Ostendit tandem, satis antiquam esse juris venandi ad certas ferarum species restrictionem, ratus tamen, inde haudquaquam sequi, majorum omnium capturam in omni Germania solis Principibus esse reservatam. Hinc contendit, commoda possessionis non esse deneganda possessoribus jurium, si dubium sit, an illa regalibus annumerari queant, nec ne; nec deneganda indubiorum regalium possessoribus in iis regionibus, ubi prædiis nobilibus ex regula certa cohærere solent, præcipue quando hi probationem tituli, vel immemorialis præscriptionis, offerunt. Removet deinde argumenta, quæ nectuntur ex *l.* 1 *§§.* 40, 41, 42, 45, *de aqua cottidiana*, atque ex *Cap.* 26 *X. de V. S.*, ex *Cap.* 1 & 7 *de Privilegiis in sexto*, & ex Recessibus Imperii. Tum disquirit Autor Celeberrimus, quatenus via facti sit Principibus imperii permissa. Opinatur porro, Capitulationibus Cæsareis haud adimi subditis possessorium in causis regalium, siquidem id illis indulgeant Archidicasteria & multa Collegia juridica, licet vel maxime in summariissimo sint tuendi. Tandem statuit, non præsumendum, Statibus Imperii tribui posse jus convenandi in fundis subditorum, aut in fundis feuda-

Pag. 73 seq.

III.

 libus,

libus, aut ubi præscriptione, vel per contractum, cum Principe initum, Landsassius venandi jus acquisivit, siquidem nulla generalis exstet consuetudo Germaniæ, quæ, jus convenandi tribuendum Principibus esse, demonstret. In loco *Taciti*: *Quoties bella non ineunt*, non *multum ve-*
Pag. 17. *natibus*, *plus per otium*, *transigunt*, posterius illud *non* cum viris doctis bene multis expungendum esse, monet, ni, *Tacitum*, malimus, sese oppugnasse, eaque protulisse, quæ nec cum ipso, nec cum aliis, possint conciliari. Ne vero citra symbolam discedamus, meminimus Diplomatis, ab *Henrico IV* A. 1062 editi, quod apud *Schatenium Annal. Paderborn. P. I Lib. VI pag. 555 seq.* legitur, in quo Imperator Episcopo Hildeneshemensi, ejusque successoribus, possidendum concessit, & sua *regali potestate donavit*, quoddam forestum & bannum, consentientibus eis, quorum prædia & possessiones sitæ erant intra foresti ejus terminos, addita hac clausula: *Jubentes igitur statuimus, & statuentes jubemus, ut infra præscriptos terminos nulla nostri regni major minorve persona venandi jus & potestatem sibi vindicare absque consensu & licentia prædicti Episcopi & successorum ejus - - præsumat.* Exstat alia ejusdem *Henrici*, ad A. 1065 referenda, donationis formula, in qua *bannum super quoddam forestum* exponitur per *venandi potestatem*, ac denuo consensus eorum, qui intra hoc forestum prædia habebant, adjungitur.

Die wahre Staats-Klugheit, &c.

hoc est,

GENUINA POLITICA, CERTIS PROPOSITIONIBUS politicis plene exposita, ac gloriosissimo exemplo Imperatoris Russorum, Petri Magni, ubique confirmata, a MARTINO HASSEN, Ethic. ac Polit. in Acad. Viteb. Prof. Publ. Ordin.

Lipsiæ, impensis Hæredum Lanckisiorum, 1739, 4.
Alph. 3 plag. 21.

Si qua

Si qua unquam tractatio ſapientiæ doctrinæque politicæ ita fuit adornata atque compoſita, ut ſummis terrarum dominis probari, ac univerſali ſuffragiorum applauſu excipi, digna fuerit exiſtimata; hæc profecto principatum, ni obtinet, certe libellis omnibus, eorumque autoribus, reddit dubium. Nulla enim hic aret propoſitio. Nihil hic ſpinoſis Metaphyſicorum tricis datum. Nihil hic redolet ſcholam jejunamque rerum ſalubriorum diſtributionem. Scripturæ genus hic regnat, elegantia, nervis, robore, & ſpiritu erecto, animatum, conditum, & firmatum. Pronuntiata Principum, excellentiſſimorumque virorum acroamata, exempla fulgentia, & hiſtoricorum monumentorum veneres, utramque hic faciunt paginam. Prudentia in ſcribendo, moderatio in ſentiendo, perſpicacia in dijudicandis politicis nævis, ſal in refellendo, jucunditas in floribus optimis decerpendis, hic mutuo certant. Ruſſi hic habent ſpeculum, in quod glorioſe intueri poſſint, inſtaurationem felicitatis ſuæ contemplaturi, Deoque &, ſi ab eo diſceſſeris, *Petro Magno*, ad omnem ætatem ſecuturam heroi commemorabili, & æternitatis fulgori, eam in acceptis relaturi. Ruſſorum gens laudatiſſima hic præconium virtutis ſuæ, virtutumque ſublimium faſtigia, coram ſpectare, & emendationem ſuam publicis gaudiis proſequi, valet. Principum ac Heroum filii hunc theſaurum, auro contra carum, verſare, & æmulatione felici exprimere, gaudebunt. Formula Dedicationis graphice illuſtrat præcellentiſſimas divinasque dotes, quibus immortalis memoriæ Imperatrix *Anna Ivanowna*, effulſit, imperiumque ſibi traditum condecoravit. Quæ de *Petri* vita, actionibus, ac inſtitutis, luce perpetua emicantibus, hinc inde exponuntur, deprompta fuerunt ex libris fide plenis atque præſtantiſſimis. Iſagoge, quæ tractationi præmiſſa eſt, in eis enarrandis eſt occupata. Autorem *mutatæ Ruſſiæ* exſtitiſſe *Fridericum Chriſtianum Weberum*, Oratorem Regis Britanniæ & Electoris Hannoverani in Ruſſica aula, ſolide Autor demonſtrat.

Latet vero *J. H. v. L.* qui vitam & facta *Petri Alexiewiz* explanavit. Id porro addendum, *Philippum Joannem de Strahlenberg* ortu esse Stralsundiensem, patrio nomine appellatum *Tabetth*, qui, libertate recepta, nobilitatis Suecicæ ornatus decore, nomen, patriæ signum, assumsit. Libri vero ipsius hæc est summa. Politica in eo consideratur tum generatim, tum speciatim. Illa complectitur finem genuinum omnis gubernationis, considerationem felicitatis, inde profluentis, curam necessariæ ad eam notitiæ, lustrationem regionum peregrinarum, electionem consiliariorum aptorum, & liberationem status a nævis suis. Hæc vero constat *Partibus duabus*, quarum *prima* exponit conciliationem atque conservationem salutis internæ, *altera* autem salutis externæ præsidia pertractat. *Pars prior* complectitur fulcra tria salutis internæ, *religionem*, pietatisque exemplum, & curam de professione fidei externa, atque de scholis, tum superioribus, tum inferioribus: deinde *justitiam*, in legibus ferendis, administris deligendis, in bonis præmio afficiendis, improbis autem coercendis puniendisque: ac tertio *divitias*, quæ ex institutione urbium excellentiorum, commerciorum promotione, ac redituum prudenti administratione, redundant; *posterior* vero præcipit sciscitque regulas de parienda & amplificanda salute externa tum per *legationes*, ad amicitiam cum potentioribus parandam & conservandam conformatas, per *fœderum conciliationem*, per *instituta militaria* selectiora, tum per legitimam bellandi rationem, militum disciplinam, & prudentem circumspectamque pacis restituendæ, ac belli componendi, formam. In Appendice exhi-
Pag. 521. betur collectio constitutionum & actorum publicorum, de quibus passim in tractatione ipsa fuit mentio injecta. Indice priori enumerantur scripta, quibus vita *Petri* fuit exposita; posteriori res ipsæ, quæ fuerunt pertractatæ, significantur. De *Stephani Javorskii* molitionibus clandestinis,
206 seq. Lutheranæ ecclesiæ inimicis, exquisite Autor, nunc in divis, commentatur. De Scholarum & Academiarum usibus pu-

blicis

blicis ac fructibus variis idem erudite exponit, non oblitus Pag. 214.
tenuiorum stipendiorum annuorum, quibus hinc inde Professores Academici nutriuntur. Celebrat ipse meritissimis 222.
ubique laudibus *Magnum* illum Maximumque post fata *Petrum*, qui novum orbem in Russiam induxit, genusque humanum ibi reparavit. Nec nos fallit præsagium nostrum, fore, ut ex hac Politica, paradigmatice propositae, uberrimi usuum publicorum fluvii in aulas Principum procerumque, in animos nationis Russicæ, & in culturam orbis terrarum, sint permanaturi, e quibus, tanquam totidem Pactólis, aurum & carior auro felicitas generis humani perennis debeat exspectari, lætissimaque messe congeri & cumulari. Non solemus elogiis ejusmodi libros ullos facili negotio decorare, nec parcimus interdum, si qui visi fuerint molestiores, nævis. Vestram vero in præsens, Lectores, obtestamur fidem & sinceritatem, ut publice nos reprehendatis, nisi Politicam illam *Petrinam* deprehenderitis solidam, elegantem, salubrem, & libris sexcentis aliis utiliorem.

JO. GEORGII PALMII, PASTORIS AD D. Petr. & Scholarchæ, de Codicibus Vet. & Nov. Test. quibus B. Lutherus in conficienda interpretatione Germanica usus est, Liber historicus, in quo historia quoque dicti Joannei, 1 Epist. V, 7, *a Luthero omissi, illustratur. Accedunt KILIANI LEIB & CONR. ADELMANNI AB ADELMANSFELDEN de diversis Sacræ Scripturæ translationibus Epistolæ.*

Hamburgi, 1735, 8.

Plag. 15½.

Partem hic habes, Lector, Historiæ Versionis Germanicæ Bibliorum, a *Luthero* adornatæ, quam Summe Reverendus Autor molitus olim fuit, &, si vixisset, in lucem dedisset. Causa suscepti negotii

perorata

perorata est erudita Præfatione; cui annexus est index Codicum antiquorum, quos S. Rev. Pastor ipsemet olim possidebat, utilibus passim annotationibus illustratorum & debita recentiorum, qui *Lutheri* versionem mutare non dubitarunt, censura repressorum, quorum numerus ducentenarium superabat. Cum aparatus iste Codicum Biblicorum rarissimus, tum studium indefessum, quo nauseam laboris hujus vicit, ἱκανότητα Autoris satis demonstrant. Tot refertus est liber hic observationibus doctis, raris, ac utilibus, ut, quosnam ex hortulo hoc amœno excerpamus flores, dubii hæreamus. Perlustrare autem liceat summa capita, ut ansam hinc arripiamus, quæ præ ceteris placuerunt, tecum, Lector, communicandi. *Cap. I* agit de *Codicibus Hebraicis*, quibus *Lutherus* in adornanda Versione Germanica usus est. Quo studio ille, a juventute prima, textum Hebraicum sit secutus, testimo-
Pag. 2. nio *Scaligeri* asseritur; &, licet opinioni R. *Eliæ Levitæ*, Germani, addictus fuerit; pro illius temporis ratione, melius tamen interpretationem ejus respondere fontibus, quam
24. Versionem Vulgatam, B. *Varenio* duce, ex *Psalterio* efficitur. *Cap. II* de *Codicibus Græcis*, a *Luthero* adhibitis, differitur.
30. Non usum esse Codice MSto, contra *Saubertum* defenditur. Cum prima vice Novum Test. vertit, primam *Erasmi* & *Aldinam* editionem, postea vero secundam *Erasmi* & *Gerbelianam*, etiam Vulgatam interdum, consuluisse, multis locis palam redditur. Et, cum in prima *Erasmi* editione locus 1 *Jo. V*, 7, non occurrat, qui tamen in Vul-
55. gata exstat, *Lutherum* Codices Græcos magis respexisse, quam Vulgatam, & locum, de quo quæstio est, omisisse, observatur. *Caput III* est de *Codicibus Latinis*, quos *Lutherus* in subsidium vocavit. Megalandrum a Vulgata tam Veteris, quam Novi, Testamenti interpretatione recessisse, collatione locorum, ex utraque petitorum studiose, proba-
85 seq. tur: nihilo minus conceditur, eum etiam Vulgatam inter-
89. dum secutum esse, ubi nihil habeat, quod typo sanæ doctrinæ adversetur. Utendo Versione Vulgata, *Lutherum* consu-

consuluisse interdum Codicem MStum, in Bibliotheca Ducali Gothana obvium, probatur notis marginalibus, propria B. Viri manu ei adscriptis, & hac clausula: A. 552 finivit frater *Lutherus* hunc librum. Non autem Codicem hunc totius Novi Testamenti Versionem esse, uti Pag. 90 seq.
Junckerus & *Krafftius* putarunt, sed tantum IV Evangelistarum, oculari contemplatione confirmatur. Ex impressis Vulgatæ Versionis editionibus Megalandrum adhibuisse editionem *Frobenianam*, Basileæ A. 1509 in fol. excusam, asseritur testimonio B. *Neumanni*, qui, hunc Codicem, in Bibliotheca Wittebergensi exstantem, *Lutheri* manualem fuisse, satis effecerit; licet concedatur, B. *Lutherum* 96 seq.
dictum *1 Jo. V*, *7*, obelisco notasse, nec pro divino agnovisse. Porro describitur editio Wittebergensis, A. 1513 excusa, cum Præfatione *Eilbaldi Segebade*, Ministri Ecclesiæ Bremensis. *Lutherum* & hac usum esse, testantur annotationes ejus marginales. Et, cum Codex iste in Bibliotheca Guelpherbytana asservetur, annotationes istas, ex clementia Ducis Brunsuicensis, typis commissurum se esse, promittit Autor, dignissimas, quæ legantur, uti testimonio de S. S. Trinitate in *Psalm. CIII*, *1*, *2*, verba: *Benedic*, *anima mea*, &c. *Domino*, *Nomini*, *Domino*, ostenditur. Quam diligenter etiam *Lutherus* interpretationem *Pagnini* legerit, ejus annotationes ad Codicem, qui 106.
in Bibliotheca Vindobonensi exstat, ostendunt, unde varia lectu digna afferuntur. *Cap. IV* de *Codicibus Germanicis*, quos *Lutherum* adhibuisse, quis suspicari posset? Quod versiones Germanorum antiquas, ex vulgato translatas, non sit secutus Megalander, colligitur ex hoc *Matthesii*, ex ore ipsius consignato, testimonio: *Ich habe in meiner Jugend eine undeutsche deutsche Bibel gelesen*, *ohne Zweiffel aus dem Latein verdeutschet*, *die war dunckel und finster*, *denn zu den Zeiten achteten sich die Gelehrten der* 110.
Bibel nicht fast. Unde pateat, eas *Luthero* nulli adjumento fuisse. Neque cæcum fuisse *Lyræ* imitatorem, secundum Pontificiorum dicterium: Si Lyra non lyrasset, *Lutherus*

 non

non ſaltaſſet, probatur Megalandri cenſura, qua *Lyram*,
quem alias non parvi fecit, caſtigat, ob nimium, quo Ju-
dæorum fabulis addictus fuit, ſtudium. Qua occaſione
plura exhibentur ſpecimina Germanicarum Verſionum, cum
illa *Lutheri* collatarum, ut, quantum æra lupinis diſtent, cui-
libet pateat. *Cap. V* de dicto *Joanneo 1 Ep. V*, 7, a *Lu-
thero* omiſſo, agit. Dubium ex teſtimonio *Stunicæ*, qui Bibliis
Complutenſibus, cum typis exprimerentur, operam cum
aliis navavit, *num Codices Græci MSti Epiſtolæ Joan-
nis fuerint corrupti*, ita dextre ſolvitur. Ex *Hieronymi*
Prologo, cui *Stunica* innititur, id tantum ſequi, verſiones
textus Græci erraſſe, non Græcos Codices fuiſſe corruptos.
In omnibus Saxoniæ inferioris verſionibus Germanicis,
ante *Lutheri* tempora, dictum hoc reperiri; non idem
dici poſſe de Pericopis epiſtolicis Saxoniæ ſuperioris. Et-
iamſi *Eraſmus* tertiæ ſuæ editioni teſtimonium de S. S.
Pag. 154 Trinitate inſeruerit; *Lutherum* tamen ſciviſſe, cum ex Co-
ſeq. dice Britannico illud reſtituiſſe, quem in notis ad
1 Jo. V, 7, ad Codices Latinos correctum fuiſſe, putaverat.
Ubi veræ afferuntur cauſæ dicti omiſſi, judicio *Kettneri*,
qui pleraſque coacervaverat, ſuam Autor addidit
ſententiam. Nimirum id originem ſuam traxiſſe tum ex
diuturna *Ximenii* Operis occultatione, tum ex autoritate
Eraſmi, quam conſtanter ſecutus ſit, licet hic tertiæ edi-
tioni locum hunc inſeruerit, tum ex perſuaſione, minus
apte inſertum hunc verſiculum, quoniam non de teſtibus
in cœlo, ſed de teſtibus in terra, loquatur. Inter cauſas,
cur poſt B. *Lutheri* ἀνάλυσιν dictum hoc ſit omiſſum, mul-
titudo controverſiarum inter ipſos Theologos, repurgatæ
a Papiſmo Eccleſiæ addictos, agitatarum; autoritas *Bugen-*
158 ſeq. *hagii*; & plurimæ mutationes, in *Lutheri* verſione factæ, ab
Electore *Auguſto* tandem interdictæ, ceteris præferuntur.
Nihilo minus tamen dictum hocce fuiſſe uſurpatum in do-
161 ſeq. ctrina de S. S. Trinitate a Theologis antiquis, qui nomi-
nantur, ab ipſo etiam *Phil. Melanchthone*. Factum autem
id, ne Sociniani *Lutheri*, & aliorum, qui cum ipſo facie-
bant,

bant, autoritate male uterentur, cum domesticæ contro- Pag. 167
versiæ nondum Formula Concordiæ sopitæ essent. Ad li- seq.
tem, quando id contigerit, dirimendam distinguuntur bene editiones, præsertim Wittebergenses; & illæ, quæ sumtibus *Samuel Seelfisch* ibi prodierunt, in quibus dictum, 171.
de quo lis erat, invenitur, ab aliis, ibidem editis, quæ
eo carent, probe discernuntur. In editione tamen Fran- 173
cofurtana, A. 1574 excusa, primum id occurrere. Quin ipsos Socinianos in interpretatione sua Germanica, A. 1630 in lucem edita, non ausos fuisse versiculum hunc omittere. Quæ subjectæ huic erudito libro sunt Epistolæ, satis arguunt, *Kilianum a Leib* fuisse *Lutheri* ma-
stygem, cujus improbitas merito reprehenditur, & con- 195.
trarium ex *Lutheri* editionibus aliis ostenditur.

DISSERTATIO PHILOLOGICA DE PRUNIS IN capite inimici, ad Prov. XXV, 22, *&* Rom. XII, 20.

Gottingæ, apud A. van den Hoeck, 1740, 4.

Plag. 8.

Salomonem, ab erroribus & peccatis revocatum, fuisse *Proverbiorum* autorem, Judæorum sanciunt magistri.
Fuit ætas, qua Judæi *Proverbia* hæc ex scriptorum divino- 3.
rum, eorumque classicorum, numero expungere statuerunt, teste Tr. *Schabbath f. 30 col. 2.* Prunas ipsi de cupiditate prava exposuerunt in Tr. *Succah f. 52, 1*, legendum præcipientes pro ישלם לך, *retribuet tibi*, ישלימנו לך, *conciliabit cum*
tibi. Gemaræ verba hæc *Raschius* ita interpretatur, ut 19.
per panem & aquam velit intelligere *legem divinam*. R. *Samuel Edels* in עין עקרב *fol. 116 col. 4* locum de voluptate carnali *Salomoneum* exponit, ac allegorica ratione.
Aben Esra & Gersonides beneficia in inimicum conferen- 23.
da designant, ipsi æque intolerabilia, ac si quis prunas in caput ejus ad eum comburendum congereret. Per *prunas* vindictam iramque divinam intellexerunt *Theophylactus*,

Chrysostomus, *Flacius*, *Grotius*, *Joannes a Marck*, alii-
que bene multi. Alii sentiunt, intelligi, hominem, inimi-
co bene facientem, ad amicitiam eum pellicere, & hostiles
ejus conatus reprimere. Huc referendi sunt *Lutherus*,
Erasmus, *Glassius*, *Geierus*, *Voglerus*, *Calmetus*, aliique.
Pag. 25. B. *Wolfius* recte judicat, sententiam priorem Christianæ
26. caritati ac scopo *Paulino* adversari. Autor eis accedit, qui
scriptoribus sacris eum tribuunt sensum, quod beneficia
accommodatissimum, inimicos sibi conciliandi, sint adjumen-
tum. *Jo. Christoph. Harenbergii* sententiam, quæ *Tomo I*
29. *Obs. VI* exstat *Ottorum Gandersbemensium sacrorum*, lau-
dat, deinde autem derelinquit, caussatus, suffitum sacrum
inter sacras functiones primam non fuisse, sed septem alias
eam præcessisse. At id tamen vero est consentaneum, in-
ter suffitus sacri tempus populum Judaicum preces in tem-
plo ad Deum dixisse, ac inde factum esse, ut suffitus ille
fuerit precum symbolum, *Ap. VIII, 3*, *Luc. I, 10.* Addit
36. hæc etiam: *Loca & in sacris & in Judæorum scriptis
quæsivimus, quibus suffiendi actus solis verbis* חתות
גחלים, *vel similibus, exprimeretur, nulla autem inveni-
mus.* At res ipsa satis patet ex *Ap. VIII, 3.* Nec abludit
locus *Ef. VI, 6*, quem egregie exposuit *Herm. Witsius
Miscell. Sacr. T. II Exerc. I.* Inprimis vero videtur
huc referendus Ægyptiorum ritus, quem *Diodorus Siculus*
sic expressit *Lib. I Cap. 62: Ægyptii Principibus facies
Leonum, Taurorum, ac Draconum, ut regiæ potestatis
insignia, capiti circumdabant: & nunc arbores, nunc
ignem, nunc etiam suffimentorum non pauca fragrantium,
in vertice gestare, mos erat.* Tandem Autor deflectit, ut
novam expositionem meditetur, ac eam sic profert: *Sic pru-
nas, quæ in capite ejus sunt, acervatim excuties*, ἄνθρα-
κας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. At vero
nulla inest contextui Ebræo, vel Græco, vola, vel significatio,
ellipseos. Voci חתה inest notio *comprebendendi* ac *capien-*
38. *di*, non removendi, nec excutiendi. In loco *Ps. LII, 7*, no-
tio removendi contextum haud turbat. At ibi illa *compre-
ben-*

bendendi & *corripiendi* notio ſatis ad ſcopum quadrat. Quam vellemus etiam, ſignificatus ille vocis σωρεύειν novus exemplis fuiſſet confirmatus. Inſtrumentum מחתה, vox Chaldaica חתא, Rabbinica חתיה, ſtant pro *capiendi* ſignificatu. *Kimchio* judice in *libr. rad. pag.* 172, מחתה eſt כלי לחתות את האש, *vas, quod ignem capit.* Ex hac actione capiendi ignem חתה in lingua Æthiopica eſt *accendere*, & לחתות ſunt *candelæ*. Ad *removendi* ſignificatum hæc plane haud ſpectant. Chaldæi vocem חתה de igne capiendo ac colligendo adhibent *Prov. XXV*, 22, *Eſ. XXX*, 14, nec non Talmudici *Schabb. f.* 82, 1. Rabbini *acceptionem ignis* vocant חתיית אור. Chaldæi *turibulum* vocant מחתיא מַחְתָּה מְחַתִּית, quaſi *receptaculum*, 1 *Reg. VII*, 50, *Num. XVII*, 4, *Ezech. VIII*, 11, &c. Quæ conjugatæ & confines voces æque ac illa σωρεύειν ſignificatum illum *removendi*, ac *acervatim excutiendi*, prorſus deſtruunt ac evertunt.

INSTITUTIONES ANALYTICÆ, EARUMQUE uſus in Geometria, cum Appendice de Conſtructione Problematum ſolidorum, Autore PAULINO A S. JOSEPHO, Lucenſi, Cler. Reg. Scholarum Piarum, & in Archi-Gymnaſio Romano Eloquentiæ Profeſſore.

Romæ, typis Joannis Zempel, 1738, 4.
Alph. 1 plag. 7, Tabb. æn. 4.

Rarum eſt, Eloquentiæ Profeſſorem de Algebra ſcribere; rarius, bene ſcribere. Id vero laudis Clariſſimo harum *Inſtitutionum* Autori denegari non poſſe, lubentes profitemur, Diu is hæſit, an in lucem emitteret publicam, quæ in ſuos præcipue uſus olim congeſſerat, cum probe noſſet, tot exſtare Virorum præſtantiſſimorum volumina, quibus divina analyſeos ſcientia enucleatur illuſtraturque, ut, aliquid iis addere, arrogans, demere autem, temerarium, videri poſſit. Cum vero ſecum reputaſſet, fieri vix poſſe, ut in omnium manibus verſentur, ob exemplorum aut paucitatem, aut pretium, quo abſterrentur tenuiores & præterea multum illa tironibus negotii faceſſere, cum ſub-

 tilio-

tilioribus utplurimum tractationibus, iisque physico-mathematicis, sint refertæ; de suis quoque Elementis Algebræ edendis cogitare cœpit, rem gratam non magistris quidem, sed tironibus, facturus, qui ultra communem Arithmeticam, Elementa *Euclidis*, paucaque ex *Archimede* Theoremata, haud progressi sunt. In id igitur præcipue incubuit, ut, quæ ob aliis haud satis luculenter viderentur exposita, vel ad captum tironum non prorsus accommodata, explanaret uberius, inque concinniorem ordinem redigeret. Idcirco minima quoque, quæ ad id conferre quidquam posse putavit, consectatus est, quorum defectus tironum progressus sæpenumero solet sufflaminare, præsertim si nulla magistri alicujus institutione utantur, vel integrum diem calculis dicare, aliis quoque studiorum generibus districti, nequeant. Cumque in scientiis, præsertim mathematicis, addiscendis exemplorum selectiorum multitudo cum præceptorum paucitate conjuncta esse debeat; hanc quoque sibi regulam perpetuo ante oculos posuit Clarissimus Autor. Quamobrem demonstrationes præceptorum, quæ summa brevitate tradere contendit, subinde omittendas censuit, ubi nimirum adeo necessariæ haud videbantur. Exempla vero congessit plurima, ex optimis quibusque Autoribus non sine delectu depromta, quorum nomina quoque in Scholiis apposuit, præsertim si pulchræ alicujus methodi inventores sint, ut historiam quoque mathematicam eadem opera doceantur juvenes, & inventorum cuique laus debita tribuatur. Præcipue autem in usus suos convertit Opera *Ougthredi*, *Cartesii*, *Wallisii*, *Newtoni*, *Reynaldi*, *Wolfii*, aliorum. Et hæc quidem de scopo hujus Opusculi secundum ipsam Autoris mentem enarrare visum fuit: quo recte potitum esse Virum Clarissimum, plane nobis, facta licet cursoria saltem lectione, persuademus. Quæ cum ita sint, nihil aliud superest, quam ut moneamus, integrum Opusculum distingui in *Capita duodecim*, quorum argumenta suffecerit indicasse. In *I* itaque agitur de calculo integrorum; in *II* de calculo fractorum; in *III* de

calculo

calculo exponentiali: ubi scilicet de binomio, aut polynomio, ad dignitatem quamlibet evehendo, aut ejus radice qualibet extrahenda, agitur; in *IV* de calculo radicali; in *V* de æquationibus simplicibus; in *VI* de æquationibus compositis; in *VII* de resolutione æquationum compositarum, quæ radices rationales habent; in *VIII* de æquationibus quadraticis; in *IX* de æquationibus cubicis; in *X* de æquationibus biquadraticis & altiorum graduum; in *XI* de limitibus radicum, earumque approximatione: ubi præsertim methodus limitum *Newtoniana* traditur; in *XII* de geometrica æquationum constructione. Sequitur Appendix de Constructione Problematum solidorum, methodo *Cartesii* innixa, & Problemata quædam celebriora, ad usum doctrinæ spectantia, adduntur.

DELLE DISFIDE LITTERARIE, O SIA PUBBLIche, difese di conclusioni, &c.

hoc est,

DE CONTROVERSIIS LITERARIIS, AUT PUblicis argumentationum conflictibus, Dissertatio SELVAGGII DODONEI.

Rovoreti, typis Petri Antonii Berni, 1735, 8.
Plag. 8.

Edidit Autor jam A. 1731 librum sub titulo: *Idea della Logica degli Scolastici e de' Moderni*, ibidem formis publicis descriptum eodem typo. In præsens id agit, ut disputationum publicarum historiam & vindicias in lucem producat. Ab *Aristotele* exorditur, qui disputationem & dialecticam, & acroamaticam, descripsit, ut eos, qui injuste uterentur disputationum forma, refellere, & ipse, & alii, possent. *Lactantius*. de *Carneade* differens, Pag. 4
Lib. V Cap. 15 idem affirmat. *Carneades* vero ob fluxam volubilemque argumentandi artem, qua, quid veri subesset, haud facile discerni posset, Roma, suadente *Catone*, discedere fuit jussus, teste *Plinio H. N. VII, 30.* De reci- 5.

cita-

citationibus Romanorum nonnihil Autor intexit, quae tamen
huc per sese haud erant referendae. Seculis VIII & IX Arabes
Philosophiam *Aristotelicam* & artem disputandi revoca-
Pag. 6. runt. Seculo XII subtilitas disputandi coepit Theologiam foe-
dare, *Trithemio* teste. *Paulus Langius*, Citicensis, originem
8. hujus corruptelae tribuit *Alberto Magno*. Excepit eum
Scholasticorum chorus. Autor itaque totus in eo est, ut o-
stendat, disputationes philosophicas et theologicas, publice in-
10. stitutas, non solum non esse adminiculum exquirendi & in-
veniendi veritatem, vel acuendi ingenium, sed etiam facere
multumque conferre ad eam obscurandam & intricandam,
nullisque rempublicam literariam augere adjumentis, quin
potius damnis esse foecundas, quae inde permanent & ad Phi-
losophiam, & ad Theologiam. Ut hoc persuadeat lectori, uti-
tur & rationibus, & exemplis, quae ex colloquio Ratisbonensi
14. anni 1601, & Lipsiensi anni 1516, desumsit. Gravem errorem
23. esse, dictitat, in eo situm, cum *B. G. Struvius* in *Bibliotheca
philosophica Cap. 2 §. 5* scripserit, *Scholasticorum principia
hodie adhuc valere apud Pontificios. Joan. Cochlaei Vitam
Lutheri* laudat, & veluti fidum sequitur ducem. *Lutherum*
27. cum aliis haereticis doctrinam suam disputationibus confir-
matum ivisse, minus probat, ratus, mediocriter doctos & vul-
gum illis disputationibus fuisse illaqueatos. Fines thesium,
publice affixarum, & disputationum publicarum, deinde per-
censet, eosque esse vanos, & veritati haud convenientes, conten-
dit, idque ut obtineat, producit varia exempla, ratus, in pu-
blica disputatione deesse tempus, causam debite expendendi,
44. veritatemque perspiciendi. Tandem vero refellere studet *Bar-
50. tholomaeum Medunam*, Dominicanum, qui in libro *le Scola-
re* exposuerat usus disputationum publicarum, in recreandis
animis & timiditate exuenda, atque alacritate dicendi paran-
da, positos. Syllogisticae arti haud favet, siquidem veritas sit
prior syllogismo, & existant modi alii, quibus veritatem men-
temque commode exponere possimus. Si quid nos videmus,
& judicando assequi possumus, Autor disputationum abu-
sum cum usu confudit, &, illum expurgaturus,
utrumque eliminavit.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio V.

IMPERATORUM ROMANORUM A JULIO Cæsare ad Heraclium usque Numismata aurea Excellentissimi, dum viveret, CAROLI, Ducis Croii & Arschotani, &c. magno & sumtuoso studio collecta, nec minori fide JACOBI DE BIE ex archetypis in æs incisa, brevi & historico Commentario explicata. Accedit LUDOLPHI SMIDS, M. D. Romanorum Imperatorum Pinacotheca. SIGEBERTUS HAVERKAMPUS recensuit & auxit.

Amstelædami, apud Martinum Schagen, 1738, 4 maj. Alph. 1 plag. 7, cum Fig. æn. plag. 23.

Cimelia vetustatis cum inæstimabili fere, ut par est, apud æquos rerum judices pretio constent, multo etiam sudore, pertinacissima per omnem vitam industria, sumtibusque amplissimis, effodiri, conquiri, & ex regionibus, toto sæpe orbe diversis, alioque sole calentibus, in unam velut sedem transferri, debeant; nemo est tam inficeti & hebetis ingenii homo, ut, regiis tantum opibus, & quæ Attalicis facultatibus sunt similes, marmora, gemmas, lapides, numos, quibuslibet gentibus omni in ære cusos, comparari posse, non cognoscat. Hoc quidem periculo-

culosæ plenum opus aleæ ingrediuntur etiam, qui privatam & umbratilem in republica vitam agunt, sed, quo successu, quave rei familiaris cum jactura, cuivis patet. At per Principes, aliosque in summo rerum fastigio constitutos viros, reviviscere spirantes Deorum, Regum, Imperatorum, imagines felicissime possunt, qua gloria qui frui velint, æmulentur Illustrissimi *Caroli Croii* & *Arschotani* Ducis, cujus ossa molliter cubent, exemplum. Viderat enim incomparabilis Princeps, laudabili jam instituto thecas aliorum suæ dignitatis & ordinis virorum argenteis æneisque instructas esse, & locupletari quotidie, typis, neminem vero plenam adhuc, & suis absolutam numeris, aureorum numorum congeriem honestarum artium cupidis spectandam præbuisse; hinc animi, qua solitus est omnia facere, generosa contentione in id operam & studium omne impendit, ut numos, quemadmodum nobilitate pretii sæpiuscule reliquis præstantiores, ita raritate & expressis ad exempli animalis naturam vultibus commendabiles, undecunque arcesseret, arcessitos depingi tabulis æneis juberet, depictosque tandem ad usum conferret publicum. Morte inopinata oppresso Principe, res ipsa quoque per aliquot annos in spongiam incubuit; verum gloria hæc remansit *Alexandro Croio*, Duci Chimaicensi, quo autore thesauris demum reseratis, nulli non harum literarum amore flagranti aditus ad opes curatius intuendas patuit. Ne vero quemquam præstantis libri hujus, quem, Viri olim Clarissimi, *Haverkampi*, studio & opera exasciatum, tibi, Lector industrie, commendamus, fata prætereant, non præter rem erit, aliqua, huic instituto convenientia, docere. Cum splendidas & regii apparatus opes Princeps *Croius* emittere statueret; opus erat viro, qui, judicio præditus subtili, scite imagines ad exempli elegantiam in ære effingeret. Fama suorum operum clarus tum erat *Jo. Biæus*, cujus ingenio non infeliciter usus Princeps, numos, eleganter expressos, haud dubie postea *Jo. Hemelario* illustrandos dedit, qui etiam docto, licet perbrevi, Commentario, Antwerpiæ A. 1615 evulgato, no-

tas rerum & ſymbolas interpretatus eſt. Poſt id tempus idem addidit plures numorum ſpecies, ex Muſeo *Nicolai Roccoxi* depromtas, quas caſu quodam doctus eques in agro Meſpelardenſi apud Teneramondam invenerat. Deinde recuſum eſt opus Berolini a *Jo. Andr. Rudigero* A. 1705. cui tamen editioni nihil acceſſit, niſi quod de novo ſcalpti fuerint in tabulis numi ærei, quos peſſimo exemplo aureis inſerere typis non dubitarunt. Cum igitur tabulæ æneæ, olim *Laurentii Begeri* uſibus inſervientes, in bibliopolæ *Schagenii* manus pervenirent, petiit is ab *Haverkampo*, ut novum aliquod decus & ornamentum libro perutili afferret. Etiamſi, quicquid a publicis negotiis vacationis dabatur, impendendum eſſe Vir Ampliſſ. in *Hiſtoriam Auguſtam*, plenius ex numis reſtituendam, duceret; ademit tamen deſtinato operi ſuo binos dies, & a capite ad calcem librum, diligenter recognitum, libellioni reddidit. Queritur vero is non ſine cauſa, omiſſas nonnunquam in hac typorum aureorum collectione partes numi præcipuas fuiſſe, quæ maximam lucem typo afferre poſſent, aut occaſionem nos docere, qua cuſi eſſent. Quibus tamen mendis remedium pro virili allaturus Vir Doctiſſ. indicavit ſæpiuſcule ad oram libri principem numi faciem, ſine qua nullus, aut difficilis ſaltem, lectori foret ſenſus, poſtea æneos typos, qui perperam in numorum aureorum turbam immigraverant, duplici aſteriſco notavit, ubi vero lacunam in numorum ſerie deprehendit, viſus ſibi eſt operæ pretium facere, ſi typos, non usquequaque obvios, jungeret. Eodem pacto id ſibi credidit datum fuiſſe negotium, ut *Ludolphi Smidſii Pinacothecam Romanorum Imperatorum*, omnibus, qui primis, ut ajunt, labris noſtri ævi monumenta deguſtarunt, jam ſatis cognitam, rurſus prelo committeret. Quæ tamen ſcriptio nos haudquaquam morabitur, quoniam nihil pulchritudinis & elegantiæ ſpirat. Equeſtres enim XII primi Seculi p. C. N. Imperatorum ſtatuæ & numorum imagines, ex *Patini* forte, *Vaillantii*, aliorumque, libris hauſtæ, tam rudi calamo & pictæ,

& expreſſæ, ſunt, ut, quo in articulo cælaturæ artem fortuna nunc deprehendat, vel hoc documento conſtet. Requiritur enim ad hanc artem ingenium perſpicax, minutulis intentum rebus, naturalis cujusdam venuſtatis, quam mirifice tenuerunt antiqui, ad unguem facti, accurata & ſolerti contemplatione, æmulationeque, ita ſubactum, ut aliter omnino facere, ſi maxime vellet, non poſſet. At, quanti hæc res ſudoris ſit, quamve indefeſſum requirat ſtudium, ii judicent, qui hac in re omne vitæ tempus conſumſerunt. Properamus ex diverticulo in orbitam. Complectitur eximius Ducis *Arſchotani* theſaurus *LXIII Tabulas*, qua-
Pag. 4. rum *prima Julii Cæſaris numiſmata*, & unicam, ex *Haverkampi* muſeo huc translatam, imaginem, exhibet. In ea quippe vitulus apparet cum inſcriptione: *Q. Voconius Vitulus Q. deſignatus*, additis vocibus *S. C.* qua ſymbolica dictione procul dubio ad nomen ejus alluſiſſe monetarium,
5. ſuſpicatur hujus libri Cl. Editor. *Tabula ſecunda* & *tertia* continet *Auguſti numiſmata*, ubi annotat Autor, in numi iſtius altera parte, qui Victoriam oſtendit volantem ſuper clypeum votivum cum inſcriptione: *Salus generis humani*, reperiri verba: *Auguſtus Divi F. Pater Patriæ.*
12. *Tabula IV numiſmata Tiberii Cæſaris*, *Druſi*, & *Antoniæ*, tradit, cujus prior numus a Berolinenſi editore ob ſpatium chartæ vacuum additus, alter, ob Pegaſum ibi expreſſum, & adjectam literam Q. memorabilis, ex qua conjicit *Haverkampus*, numulum Syracuſana ex officina
14. prodiiſſe. In *Tabula V Antoniæ*, *Germanici*, & *C. Ca-*
16. *ſaris Caligulæ*, vultus conſpicimus. *Tabula VI numiſmata Claudii Imperatoris*, *Druſi F.* habet. Occurrit ibi numus, Auguſtam alam, velum oculis deducentem, cum caduceo & ſerpente, monſtrans, quo deſignari credit Cl. Editor fabulam *Mercurii*, caduceo ſuo ſerpentis litem dirimentis. Deduci autem velum recte ponitur, quia nihil ficti eſſe debet in fœderibus, prudentia tamen adſit, neceſſe eſt.
19. Huic ſerpens fuit adjectus. *Tabula VII* excitat *Claudium*, *Agrippinam*, & *Neronem* juvenem. *Tabula VIII* & *IX* itidem

eidem *Neronis* effigiem & res gestas describit, nec in hac deest numus æreus, sive, ut Cl. Autor hariolatur, contorniatus. Nam expressam ibi cernimus aurigæ imaginem cum equis palmatis, palmam læva, &, ut contendit *Haverkampus*, dextra scuticam, tenens, pro qua tamen sculptorem imperite scutum posuisse judicat. *Tabula X* Pag. 22. 24.
Galbæ, *Ottonis*, & *Vitellii*, numis absolvitur, quos inter apprime nobis placuit numus, tripode, delphine, & cervo, insignitus. Cognoveramus enim, indicari delphine opem Apollinis, Apollinemque nuncupari Delphinium ob Castalium Cretensem, cui, coloniam deducenti, sub delphinis symbolo comitem & ducem se præbuerit. *Tabula XI & XII Vespasiani* & *Titi, ejus filii*, typos; *Tabula XIII Titi* & *Domitiani fratris* effigies; *Tabula XIV Domitiani* & *Nervæ*; *Tabula XV Trajani*, numismata nobis subministrat. 35.
In priori hujus *Tabulæ* numo videmus mulierem quandam sedentem, cum verbis: *Annona Augusti*, ex qua epigraphe conjicit *Haverkampus*, denuo aureorum numorum collectionem typi ænei additione deturpari. Nam sub tertio *Trajani* Consulatu annonam Augusti in æreis *Nervæ* numis occurrere. *Tabula XVI & XVII* prosequitur *Trajani* res laudabiliter gestas, honores, & monumenta; *Tabula XVIII Plotidiæ*, *Matidiæ*, & *Hadriani*, imagines, artificis manu in vitam quasi reductas, oculis nostris subjicit. Tenendus est præter ceteros numus, mulieris sedentis, ramumque tenentis, specie condecoratus, cum epigraphe: *Clementia Augusti*, quem tamen in editione demum Berolinensi adjectum fuisse, *Haverkampus* existimat, licet, eam numi faciem nec inspexisse, neque descriptionem illius unquam se invenisse, simul confiteatur. *Tabula XIX Hadriani* porro res gestas celebrat, ubi non ingratam fore stantis Germaniæ, scutoque & hasta instructæ, formam Lectoribus, censemus. Quicunque enim ulterius contendere velit, Romanis utique gentem nostram succubuisse, ille caveat, ne, stantibus contra antiquitatis omnis, signorumque, idem refellentium, testimoniis, temere quidpiam in medium
 attu-

attulisse videatur. Nam omnes provinciæ, v. g. Gallia, Africa, Asia minor, genu flexæ ab Imperatore allevantur; at raro numismata Germaniæ procumbentis, nedum sub pedibus Imperatoris gementis, imaginem adumbrant; hinc manet, homines nostros ingruenti Romanorum vi imperterrito semper animo ivisse obviam, nec unquam ita subiisse jugum, ut certa patriæ nostræ obsequii & fidei formula fuerit extorta. *Tabulæ XX, XXI, XXII, Hadriani* titulis, rerumque ejus cum laude gestarum significationibus, abundant. Eodem pacto *Tabulæ XXIII, XXIV,*
Pag. 61. *XXV, Antonini Pii* vitam numorum signis exponunt, quæ ratio omnium videtur esse pulcherrima, multoque efficacius in animos mortalium influere solet, quam expositis verbis concepta. *Tabula XVI* honores potissimum *Faustinæ, Pii* uxoris, (etenim per transennam præcipuas libri partes tangere nos oportet, ne ulla circuitione orationis scriptiunculam longius, quam par est, trahamus,) post mortem delatos, monstrat. *Tabulæ XXVII, XXVIII, & XXIX, numismata Marci Aurelii Antonini,* laudesque & elogia, florenti ejus ætati & optimæ indoli per adulationem a Senatu populoque Romano attributa, nec a vero multum aliena, proferunt. *Tabulæ XXX & XXXI* typis, in honorem *Faustinæ, Antonini Pii & Faustinæ* majoris filiæ, quæ *Marci* uxor fuit, cusis, referta est. Hos *Lucii Aurelii Veri* numismata, in *Tabula XXXII* expressa, sequuntur, quibus etiam ad latus positos invenies *Lucillæ, Veri* uxoris, & *Commodi, Antonini* filii, vultus, in *Tabula XXXIII* non rudi calamo descriptos. Porro *Tabula XXXIV* effigies eorum spectandas præbet, qui, occiso *Commodo,* variis in regionum partibus imperium affectarunt. Nam uno eodemque tempore, post *Pertinacem,* autore *Albino,* interemtum, *Julianus* a Senatu & Prætorianis Romæ, *Septimius Severus* in Illyrico, *Pescennius Niger* in Oriente, *Claudius Albinus* in Gallia, Imperatores creati fuerunt. *Tabulæ XXXV, XXXVI, & XXXVII,* imagines *Severi,* & *Getæ,* ejus filii, *Caracallæ, Plautillæ, Macrini, Diadumeniani,* & *Elagabali,* con-

continent. Est ibi visu dignus aliquis numus. Quadrijugi trahunt conum, vel montem, quia alah gabal Deum montis significat, in quo est aquila, & supra sol sine stella, de qua forma umbilici, sive coni, pro numine apud priscos culta, paulo copiosius disseruisse *Abrah. Ortelium* in *Parergo Theatri*, *Hemelarius* noster perhibet. *Tabulis XXXVIII, XXXIX, XL, & XLI, Elagabali, Juliæ Mæsæ, Mammææ, Alexandri Severi, Maximini, Maximi, Paulinæ, Gordiani, Pupieni, Balbini, & Gordiani III*, item *Philippi* utriusque, & *Otacillæ*, memoria ab oblivione vindicatur. Pag. 108.
Miramur hic, Doctiss. Editorem numum, in quo *Liberalitas Augg. Philipporum* prædicatur, inter aureos typos retulisse; cum tamen, duobus asteriscis notari, antea cognoverimus. In *Tabula XLII & XLIII* patris & filii *Deciorum, Etruscillæ, Hostiliani, Treboniani Galli, Volusiani, Æmiliani, Valeriani*, & *Marinianæ*, species exprimitur. Exstat ibi numus non vulgaris, nostro quidem sensu, pretii, in quo figura muliebris stans dextra duas spicas tenet super modium, læva cornu copiæ. Hoc signum, ut videtur *Haverkampo*, indicio est, gravissimam anno U. C. 1005 Romæ fuisse pestem, studuisseque *Gallum & Volusianum*, ut aliunde frumentum Romam adveheretur. Enimvero in argenteis æreisque numis frequentissime talis imago cernitur. *Tabulam XLIV Valeriani, Gallieni, Saloninæ, & Salonini*, vultus occupant. Oculos intelligentium statim ad se rapiet collocatus numero 4 numus, utpote in quo centaurus, sive Apollo ejus habitu, dextra sphæram, sive globum, sinistra gubernaculum, tenet; quam sphingem plurimi eruditorum non ceperunt. Putant quidem nonnulli, *Gallienum expeditione in Orientem suscepta, hoc signum, ut sagittarii, quasi thema suum publicasse, & Solem, vel Apollinem, in eo signo versantem, sibi tutelarem Deum expressisse.* Quod tamen nondum rem exhaurire omnem, persuasum sibi habet doctus harum *Tabularum* interpres. *Tabulæ XLV Posthumi, Victorini, & Aureoli*, Tyrannorum; *XLVI Quieti, & Tetricorum*, patris & filii;

113. 115.

XLVII

XLVII Claudii Quintilli, Aureliani, & Severinæ; XLVIII Taciti, Floriani, Probi, & Cari; XLIX Carini, Numeriani, Diocletiani, & Maximiani Herculei; L Constantii Chlori, Helenæ, Galerii, Maximiani, & Severi; LI Maxentii & Constantini M.; LII Licinii, Faustæ, Crispi, Liciniani, & Delmatii, honoribus, rebusque domi militiæque gestis, dicatæ fuerunt. Eleganti numorum copiæ, mirabilis per se jam amores apud antiquitatum cultores excitaturæ, alium ejusdem bonitatis & excellentiæ numum ex Museo *Farnesiano* apponit *Haverkampus*, ubi vultus *Constantini* junioris laurea redimitus cum epigraphe *Fl. Cl. Constantinus Jun. N. C.* ab altera parte Sarmatiæ typus est ob victoriam patris. *Tabulis LIII & LIV* historia *Constantini junioris & Constantii* quin fiat luculentior, nullum est dubium. Nobilitate sua reliquis antestat multum numus, in quo fictus est Imperator *Constantius*, tenens dextra labarum cum Monogrammate, & serpente supra vexillum collocato, pone eum Victoria, lauream Imperatori imponens, circa numi aream scriptio talis est: *Hoc signo victor eris.* Non minorem dignitatis speciem præ se fert numus *Vetravionis*, e museo *Haverkampiano* huc translatus, ubi singularis ab altera parte epigraphe: *Salvator reipublicæ.* Literæ SIS docent, *Siscitæ* signatum esse numum. Per *Tabulas* sequentes *LV, LVI, LVII, Constanti & Juliano, Magnentio & Decentio* tyrannis, itemque *Joviano, Valentiniano, & Valenti,* Imperatoribus, diu post eorum fata spiritus & vita redit. Ubi ne spatium vacaret, *Haverkampus* duos *Procopii* numos adjecit, priorem ex argento, alterum ex ære. Reliquæ hujus collectionis *Tabulæ Valentiniani,* junioris, *Gratiani,* fratris ejus, *Maximi* Tyranni, *Theodosii* M. Imperatoris, *Eugenii* Tyranni, *Arcadii & Honorii,* Imperatorum, *Æliæ*que *Flaccillæ* Augustæ, *Prisci* item *Attali & Joannis* Tyrannorum, *Valentiniani III & Marciani* Imperatorum, *Leonis* Imperatoris, *Augustuli, Severi, Julii Nepotis,* Tyrannorum, *Zenonis Isaurici, Anastasii, J..lini, Justiniani,* Imperatorum,

Pag. 146.

rum, *Justini* junioris, *Constantini, Mauritii, Phocæ, & Heraclii*, facta in memoriam nobis revocant. Tandem opus & uberrimus Augustorum Augustarumque index, & inscriptionum aversæ numorum partis solers designatio, claudit. Quas dum intuemur ingenii bonæque mentis opes, gaudemus maximopere, *Haverkampum*, Virum olim doctissimum, hoc literis elegantioribus, harumque amatoribus, dedisse, ut librum, per se non inutilem, sua industria, & adspersis ei doctrinæ suæ floribus, utiliorem efficeret.

JULII CAROLI SCHLÆGERI, PHILOLOG. Græc. & oriental. in Acad. Jul. P. P. O. Commentatio de Diis hominibusque Servatoribus ex numis atque marmoribus vetustis, ad varia Epistolarum Paulinarum loca.

Helmstadii, ex officina Pauli Dieterici Schnorrii, Acad. typogr. 1737, 4.

Plag. 10, cum Fig. æn. 1.

Nobis jam antea speciminibus ingenii aliquot suam in re antiquaria & signis veterum excutiendis assiduitatem probavit Cl. Autor, ut, ab his literarum sacris nisi penitus abhorreat, nemo sit, quin fœcunditatem doctrinæ, & quotidie crescentis ejus laudis decora, agnoscat. Quemadmodum vero nulli invidemus fortunam, sed ingenue potius secundis, quæ viro bono accidunt, rebus lætamur; ita gratum hoc nobis olim & acceptum fuit, cum ad aures nostras perveniret, tali *Schlægerum* nostrum munere fungi, ad quod exornandum pæne natum factumque a puero credidimus. Hanc igitur spartam ut majorum ritu & consuetudine auspicaretur Cl. Autor, concinnavit ejusmodi Commentationem, quæ muneri novo convenientissima videtur. Animadverterat quippe Cl. Autor, in Epistolis D. *Pauli* nunquam frequentius nomen Σωτῆρος Numini summo, eiusque Filio, omni a labe mortalium alienissimo, tribui, quam ubi ad

Philippenses, Ephesios, & alias id genus Græciæ Asiæque civitates, perscriberet. Quæ causa huius appellationis exquiri verisimilis posset, operam dedit Clariss. Autor, in eoque sitam esse rationem hujus nominis arbitratur, quod

Pag. 7. D. *Paulus* voluerit ea vero adscribere Deo, quæ profani de suis impudenter & vano conatu jactaverint. Tetigisse quidem hoc argumentum Doctiss. *Lackemacherum* in *Antiquitatibus Græcorum sacris*, *Chisbullium* in Notis ad *Psephisma Sigeorum*, *Faeschium* in Dissertatione *de Numo Pylæmenis*, *Ezech. Spanhemium*, & *Schlichterum* in *Decimis sacris*, profitetur; sed, cum nullus horum ea industria argumentum excusserit, qua illos ceteroquin ingentis famæ viros oportuisset, tantum spicilegii relictum sibi esse credidit, ut, largius id fore ipsa eorum messe, judicet. Duo autem in hoc potissimum libello exponenda sibi sumsit, primo, ut Servatores, vel Σωτῆρας, priscarum gentium ex numis marmoribusque accuratius percenseret, simulque causam scrutaretur, cur D. *Paulus*, frequentissime hanc appellationem vero Numini tribuens, stultitiam simul tacite profanis gentibus exprobraverit, deinde, ut horum ope monumentorum apertius significaret, Philippis, Ephesi, & apud Cretenses, Θεῶν σωτήρων cultum viguisse. Orsurus a Consentibus

9. Diis, *Jovi* primum inter Servatores locum assignat, testantibus id duorum numorum titulis. Alterum sua ex penu tradit, alterum illustri Hamburgensium Consuli, *Jo. Andersonio*, in acceptis fert, in utroque tamen Conservatoris, chlamyde suo rempublicam tutantis, ingeniosa species clare cernitur, cui nomini perquam similis videtur *Sospitatoris* nota, in duobus itidem *Getæ* & *Caracallæ* numis apud *Tristanum* & *Patinum* depicta. Jovem sequitur *Neptunus*, quem Conservatoris laude olim inclutum fuisse, numus *Gallieni* Imperatoris apud *Laurentium Begerum* elegantissime indicat. Cur vero hujus Dei imaginem in ære excudendam curaverit Imperator, id ejusmodi est, ut, subductis rationibus omnibus, gratum Imperatoris erga Deos animum inde cognoscamus, quod incolumis *Byzantio* in

urbem

urbem redierat. Succedunt Jovis filii, quos inter cho- Pag. 13.
rum *Apollo* ducit, a *Severo* religiose ob id cultus, quo- 14.
niam auxilio ejus salutari Tyrannos, *Julianum Albinum* & *Pescenninum Nigrum*, e medio sustulerat. Nam Centauri species, qualem *Severi* numus exhibet, impotentis cujusdam dominationis, nulla re fortius, nisi armis & telo, frangendæ, naturam haud dubie declarat. Salutarem quoque *Apollinem* vocari, cuilibet, ut arbitramur, notum satis & exploratum est, quoniam contagionum mala, & quicquid perniciosum generi mortalium accidit, averruncare solebat. Præter *Apollinem*, *Mercurium* & *Martem* in Deorum Conservatorum numero ponit, testibus hujus rei classicis cum marmorum scripturis apud *Jac. Sponium* in *Miscellaneis eruditæ antiquitatis Sect. III pag. 91*, tum
Constantini M. numo apud *Laurent. Begerum* in *Thesauro* 17.
Brandenburgico T. II p. 804. Posteaquam vero egregie illorum facta, quibus meruerant Conservatorum honores, dignis extulisset laudibus Clariss. Autor, ad alterius sobolis & ordinis Numina progreditur. Ex Deabus quippe Consentibus, Servatricum fama nobilibus, *Junonem* seligit,
quam nuncupari sæpius a priscis *Sospitam*, seu Sispitam, 19.
duplex nos typus apud *Baudelotium* & *Petrusium* docet. Latus *Junonis Ceres* tegit, eodem titulo insignis,
comprobantibus id duobus monumentis, marmore videli- 22.
cet apud *Jac. Sponium*, & numo Apameensi apud *Ezech. Spanhemium*, cui inscriptionis *Gruterianæ* autoritate *Venerem*, inter Σώτειρας Deas dudum relatam, associat. Verum, si quæ alia, *Minerva* sane beneficiorum suorum, in genus humanum collocatorum, præstantia tantum assecuta erat, ut, segregare si eam veteres voluerint a Conservatricum ordine, næ rem iniquam illi fuissent facturi. Sed,
cum Græcus apud *Baudelotium*, & Romanus *Gallieni* apud 25.
Tristanum, numus tales ei honores deferat, recte fecit Clariss. Autor, quod *Minervam* in eundem retulerit censum, quamlibet *Tristanus* olim dubitaverit, notaretne litera S., ad extremam numi partem scalpta, Servatricem, an Sanctam.

Pag. 27. De *Diana* nullum est dubium, quam, ut ex *§. 10* videre licet, Diis Servatricibus adscribit vetus marmor, atque Sicilienses duo numi, ex *Huberto Golzio* descripti. Cum praeterea satis certo autore constet, *Lunam* & *Dianam* sine discrimine cultam a veteribus fuisse; alio rursus argumento honos ille vindicatus *Dianæ* sustinetur. In Byzantinorum quippe numis apud *Tristanum* & *Begerum Lunæ* imago exstat, vocibus adjectis: ΒΥΖΑΝΤΙΝΗ ΣΩΤΕΙΡΑ, quod indicio est, nullam hic aliam Deæ, nisi *Dianæ*, personam designari. Hac occasione insignia Turcorum contemplatur Autor, &, quid de originibus Lunæ falcatæ statuen-
31. dum sit, erudite pervestigat. In minorum gentium Diis offert se nobis primo *Bacchus*, quem Maronei Σωτῆρα suum dixerunt apud *Laur. Begerum*, postea *Hercules* eodem nomine gaudet in numo Thasiorum, apud illustrem Hamburgensium Consulem obveniente, & magni propterea æstimando, quod ex eo demum ratio scribendi Θασίας emendari possit apud *Stephanum Byzantinum*, sæpissime Θασσου̃ς per duplex σ adumbrantem. Præterea
§. 14. *Castorem* & *Pollucem*, filios *Herculis* ex *Ledæ* concubitu, Σωτῆρας dici, non exiguus monumentorum numerus evincit, quibus solerter & operose indicatis, transgreditur Clariss. Autor ad Deos exteros, verbi causa Ægyptiorum *Serapidem*, dudum *Caroli Patini* & *Vaillantii* judicio
Pag. 44. pro Dea Conservatrice habitam, nec *Æsculapium*, toti salutiferum orbi, præterit, sed, dum jure suo illius mentionem injicit, castigat simul *Jani Gebhardi* emendationem *versus 642 Lib. II Metamorphos. Nasonianæ*, reducendamque pro τῷ *urbe* scriptionem vulgatam *orbi* in textum esse censet, ita, ut sic flueret oratio:

Totique salutifer orbi.

49. Perpetuus ferme *Æsculapii* comes, *Telesphorus*, quin inter Conservatores referendus sit, nequicquam dubitant viri docti. Testatur id nempe manifestissime gemma apud *Antonium Augustinum*, & numus *Antonini Pii* apud *Jo. Tristanum.* Reperitur in gemma vox Græca ΣΥΖΕΤΕ, quod *Anto-*

Antonius Augustinus in ΣΩΖΕΤΕ commutavit recte, & verisimili ratione, ut nobis videtur. At talis conjectura Cl. Autori displicet; potius arbitratur, deducendam esse vocem Συζέτε a Συζέω, quod esset calefacio; esse igitur colligit sinceræ antiquitatis vocem, & in multis Autoribus obviam. Verum, quod pace Viri, Græcis literis optime tincti, dixerimus, non Συζέτε a Συζέω, sed contracte Συζεῖτε, scribi deberet. Utcunque talis animadversio existimetur, non hilum interest. Pax esto post leviusculam dissensionem. In Pag. 52.
scenam deinde prodeuntem videmus *Proserpinam*, Lacedæmoniorum, Cyzicenorum, aliarum gentium priscarum, cultu & religionibus adeo insignem, ut pleni sint hac de re Autorum libri. Sicuti autem heroes & summi in republica viri præclare vitam transigendo, honestatisque, munificentiæ, generosi spiritus, & virtutum aliarum, veneribus tam ingeniose vulgi auram captare poterant, ut divinis honoribus, talique reverentia, qualem sors & conditio mortalium non capit, digni censerentur; ita neminem fortassis mirari subeat, Clariss. Autorem etiam homines, tam splendida Servatoris appellatione olim gavisos, §. 20 & sequentibus dedisse. Numis consecratam *Hieronis Syracusani*, *Ptolemæi* 59.
Lagi F., *Ptolemæi VIII Lathuri*, *Cleopatræ*, *Antigoni*, ejusque filii, *Demetrii*, nonnullorum e *Seleucidis*, Syriæ Regibus, v. g. *Seleuci Nicatoris*, *Seleuci IV*, seu *Philopato-* 65.
ris, *Antiochi X*, seu *Eusebis*, memoriam nulla temporum injuria & longinquitate, nullave rubigine, delendam læti agnoscimus, ut, qui vellet Conservatorum nomina modo dictis abjudicare, eadem febri laborare videretur, qua qui lucem meridie, aut radios in sole, aut aliud huic simile, negaret. Neque hæc tantum cultus perversitas Græcas invaserat regiones, verum etiam contagionis more perrepsit in Italiam, Romamque, orbis dominatricem, invasit, quæ, ut sola existimabatur omnium florentissima, potentissima, liberalibusque ingeniis mirifice affluens, ita reliquarum urbium fere mater & Conservatrix dicebatur. Cum autem principum factionibus graviter respublica decumberet, & unius

 arbi-

arbitrio cuncta regerentur; honores summi, antea communitati civium integræ tantum competentes, penes Imperatorem fuerunt. Exemplum omni exceptione majus præbet *Augustus*, quem superstitiosa vetustas *salutem generis humani* numorum fide nuncupavit. Ne quid nunc de *Octavia & Nerone*, ultimo Juliæ stirpis principe, dicamus, ratio instituti nostri poscit, ut *alterius* quoque *Capitis* summam Lectoribus oratione brevissima propinemus. Ostendit nimirum Clariss. Autor §. 29, consulto D. *Paulum* & data opera in Epistolis suis usum esse vocabulo Σωτειρες, non solum ut vanos profanarum gentium conatus, simulacra Deorum appellatione Σωτειρων afficientium, reprimeret, sed etiam ut doceret illos, quam inepte *Ephesii* Dianam & Serapidem, *Philippenses* Jovem, Herculem, Minervam, *Cretenses*, quorum religiones *Titus* moderabatur, Jovem, Apollinem, & Dianam, velut gentis suæ Σωτειρας & genios tutelares, summo pietatis affectu prosequerentur. Non parum ubivis doctrinæ & boni sensus elucet, nec impolita usquequaque elocutio regnat. Dissimulare tamen fas non est, quod inter legendum concoquere erat difficile. Nonnulla scilicet in mendo cubant loca, quæ operarum culpa, an alius peccato, depravata sint, nos quidem definire non ausimus. Etenim semper hoc modo vocem Σωτειρων scriptam *p. 8, 17, 61, 72*, invenimus, cum tamen potius Σωτήρων effingi debuerat, neque minus lapsus est in voce ὑγιείας, quæ identidem, ut *p. 51*, ὑγιεια in primo casu pro ὑγίεια ponitur. Ceterum, ut nullam diei horulam Cl. Autorem prætermissurum esse divinamus, quin eam in literarum mansuetiorum culturam, & reliquiarum ex omni vetustate discussionem, felicissime sit insumturus, ita studiose & humaniter cum contra rogamus, ut videat, ne quid respublica literaria solerti castigatione, quam priscorum more in scripta sua severius paululum exercere solet, detrimenti capiat.

Margin references: Pag. 73. (beside "torem fuerunt."); 79. (beside "dit nimirum Clariss. Autor"); 81. (beside "rapidem, Philippenses").

Gründliche Geschlechts-Historie des Hochadelichen Hauses der Herren von Münchhausen, &c.

hoc

hoc est,

HISTORIA GENEALOGIÆ GENEROSISSIMÆ Domus Munchhusiorum, solide descripta, in qua origines omnium ejus majorum inde a Seculo XII deducuntur, & ex documentis numero multis, quæ ex variis tabulariis depromta sunt, scriptis item, dudum editis, & aliis testimoniis, confirmantur ac illustrantur. Accedit Appendix Diplomatum & historicorum monumentorum, figurarum etiam, in ære expressarum, & Tabularum genealogicarum. Autore GOTTLIEB SAM. TREUERO, Regi M. Britanniæ & Electori Brunsu. Luneb. a Consiliis aulæ, & in Academia Georgia Augusta Prof. Publ.

Gottingæ, apud Abrah. van den Hoeck, Acad. typogr. 1740, fol.

Alph. 7, cum Fig. æn. 23.

Præfatio hujus Operis genealogici in *duas* dispescitur *Sectiones*, quarum *prima* de origine nominis, & antiquitate splendidissimæ gentis *Munchusianæ*, uberius explicat. *Munchuysen*, vel *Munchhausen*, erant olim domus, vel cellæ, ab uno, vel altero, monacho habitatæ, qui remotioribus a cœnobio possessionibus agrorum præerat, reditus exinde colligebat, & monasterio deferendos curabat. Dicebantur Prioratus, monasteria, obedientiæ, grangiæ, curiæ, & curtes monachales, & pro diversitate territoriorum alia nanciscebantur nomina, ut vocabula *Münchhoff*, *Münchdorff*, *Mænckehagen*, ostendunt, quæ omnia testimoniis luculentis firmantur. Hinc intellectu facile est, cur in Germania hinc inde frequentes occurrant illæ *Münchhausen*, ad varia monasteria spectantes, quarum septem hic annotantur exempla. Simplices ab origine videntur fuisse domus, adjacentibus horreis granariisque ad recipiendos terrarum fructus instructæ, sed paulatim accessionibus aliorum habitaculorum adauctæ, quæ vel nobiles, sub protectione monasterii securiores, vel ruricolæ, agros vicinos possidentes, construxerunt. Ejusmodi villa nomen *Munchhausen* retinuit, & sæpe ab Abbatibus vel in feudum, vel in ministerium, nobilibus fuit concessa. Familiæ quoque nobiles, nomen a suis prædiis sortitæ, in multis

multis Germaniæ territoriis nomine *Munchhausen* fuere conspicuæ, quod copiosis exemplis docetur. Familia *Munchhausiana* harum terrarum nominis originem debet villæ *Münchhausen*, in diœcesi Mindensi non procul a Cœnobio Luccensi olim sitæ, quæ Seculo XIV, inundatione Visurgis desolata, suisque incolis peste destituta, interiit. Hæc omnia ex chartis perspicuis & appositissimis declarantur. Unde argumenta solidiora petuntur ad profligandos errores, in tot scriptoribus circa hanc familiam obvios. Venditant enim *Spangenbergius*, *Leznerus*, *Leuckfeldius*, *Lehmannus*, aliique, fabulam, *Heinonem* quendam *de Hausen*, quem alii volunt *de Greiffen*, ultimum suæ familiæ exstitisse, adeoque, impetrata prius Pontificis Romani venia, habitum monachalem exuisse, inito matrimonio genus propagasse, & in memoriam facti insolentis assumsisse nomen *de Munchhausen*. Qui errores una cum aliis, quos vetustiores Tabulæ Genealogicæ incrustarunt, clarissimis documentis rejiciuntur. *Sectio secunda* de origine & dispositione insignium hujus gentis, quæ monachum Cisterciensem ambulantem, dextra manu baculum rubrum, superius incurvatum, sinistra manu breviarium, thecæ rubræ inclusum suis ligamentis, tenentem, in scuto aureo repræsentant. Qua occasione de baculi pastoralis vetustiore figura, de scutorum per diversa secula sigillorumque variatione, de recentiori invento exprimendi colorum diversitatem in scutis & insignibus, agitur, & de sigillorum *Münchhusianorum* varietate, quorum multa in tabula ænea exhibentur, sollicite dispicitur. Genealogia ipsa a *Remberto de Munchhausen*, de quo ex charta anni 1183 apertissime constat, initium petitur, a quo nexu perpetuo posteri hujus gentis omnes per sexcentos fere annos, serie concatenata, & ex Chartis & Diplomatibus ubivis firmata, deducuntur. A Seculo XIII familia in duas lineas abiit, albam & nigram. Illa quatuor, hæc sex, Tabellis Genealogicis constat & collustratur. Producuntur ex hac gente illustrissima heroes in toga sagoque maximi, tot Episcoporum, Principum, Comitum, prudentissimi status publici admini-

stri,

ſtri, tot comitatuum, præfecturarum, caſtrorum, rectores, gubernatores, præfecti; prodiit Epiſcopus Curoniæ, Legatus bellicus Regum Hiſpaniæ, Daniæ, cujus auxilia bellica, ſuo auſu, ſumtu, conſilio, comparata, Reges, Duces, Epiſcopi, quæſiverunt, efflagitarunt; prodierunt Legati ad Cæſarem, ad Comitia Imperii, ad Principes, ad Epiſcopos. Tota arbor genealogica in tribus foliis æri inciſa elegantiſſime exhibetur, ut generationum omnium ſeries primo intuitu pateat. Accedit Appendix, pluribus, quam ſexcentis, Diplomatibus, chartis, literis feudalibus, documentis, & relationibus, conſtans. Ei præmittuntur *Sectiones duæ*, quarum *altera* exponit inſignes uſus, ex adjectis documentis capiendos; *altera* catalogum ampliſſimum caſtrorum, prædiorum, bonorum, continet, quæ variis titulis huic familiæ olim erant quæſita. Uſus per certa capita deducuntur, &, quos Genealogiæ tot illuſtrium familiarum, quarum in documentis fit mentio, ſtatus & jura Nobilium medii ævi, doctrina de miniſterialibus, conſuetudines publicæ & privatæ, hiſtoria Brunſuico-Luneburgica, jus feudale, jus publicum, lingua Germanica, jus villicorum, exinde decerpere queant, multis obſervationibus oſtenditur. Exornatur præterea non tantum titulus operis tabula ænea, qua inſignia gentis generoſiſſimæ accurate delineata, ſigillum *Balthaſaris de Munchhauſen*, L. L. Doctoris, & topographia villæ *Munchhauſen* prope Cœnobium Luccenſe, continentur, ſed etiam anne ctuntur viginti aliæ Tabulæ, æri inciſæ, quibus triginta quatuor vetuſtiora documenta illo literarum ductu, quo in exemplo originali exarata ſunt, ſeptuaginta circiter Sigilla, & Epitaphia nonnulla, ſumma accuratione oculis ſiſtuntur.

Erläutertes Evangeliſches Oeſterreich ꝛc.

h. e.

AUSTRIA EVANGELICA ILLUSTRATA, ſeu Relationis hiſtoricæ de fatis Eccleſiæ Evangelico-

Lutheranæ in Arbi-Ducatu Austriæ, Continuatio altera, acta visitationis Ecclesiarum, A. 1580 institutæ, plenius percensens; Autore BERNARDO RAUPACHIO, V. D. M. Hamburgi ad Ædem D. Nicolai.

Hamburgi, apud Felgineri viduam, 1738, 4.
Alph. 3 plag. 4.

EJUSDEM CONTINUATIO TERTIA ET ULtima ab A. 1581 usque ad diem hodiernum.

Ibidem, 1740, 4.

Alphab. 4 plag. 10.

Cum de *duabus* prioribus hujus laboris *Partibus*, quæ A. 1732 & 1736 lucem adspexerunt, suo jam tempore mentio a nobis fit facta; nec ea a nobis prætermittenda erunt, quæ post illa prodierunt, & felicem toti Operi coronidem imponunt. Cum enim Rev. Autor in primo totius hujus laboris specimine jam integrum argumentum pertractarit; insignis autem materiæ & documentorum copia, quæ ex illo tempore ad manum & notitiam ejus pervenerat, ad retractandum illud, & denuo sub incudem revocandum, ipsum permoverit, atque ex instituto hujusmodi spicilegio prior illa Pars Austriæ Evangelicæ illustratæ velut continuationem totius operis suffecerit; jam altera, itemque tertia & ultima, quæ exhibentur, laboris ejusdem continuationes ad eundem scopum spectant, atque, Autoris laboriosissimi haud minorem in opere hoc persequendo & absolvendo, quam in eodem suscipiendo, curam & industriam fuisse, comprobant.

Priorem illam Continuationis *Partem* ad A. 1580 substitisse, a nobis suo loco indicatum meminimus; *altera* vero ejusdem Continuationis *Pars*, quæ nunc quidem nobis præ manibus est, in eodem anno 1580 non modo initium, sed etiam finem, invenit. Largam hanc dicendi copiam suppeditavit negotium institutæ

visita-

visitationis ecclesiasticæ, quod hoc ipso anno susceptum atque finitum est. Austriæ, cum superioris, tum inferioris, Status provinciales Evangelici ad causam hanc ineundam Rostochio impetrarant *Lucam Bacmeisterum*, Academiæ atque Ecclesiarum ibidem Doctorem egregium, qui, illis ad hoc tempus commodatus, non modo partibus, sibi demandatis, cum laude perfunctus est, sed & laboris, a se & aliis tum temporis exantlati, utilissimum monumentum reliquit, dum ejus velut diarium confecit, retulitque in illud integram actorum seriem, quæ in negotio suscepto per singulos fere dies contigerunt. Collecta hæc ipsa *Bacmeisteriana* documenta latuerunt huc usque, atque, dum modo in hujus, modo alterius, ex B. Autoris hæredibus manus inciderant, & jam prope ad interitum res cum illis spectare videbatur, dignus tandem ex gente *Bacmeisteriana* surrexit abnepos, *Joannes Bacmeisterus*, hodie Medicinæ D. & Prof. Tubingensis, & Wurtembergensium atque Durlacensium Principum Archiater, qui cum hæc, tum alia, abavi sui monumenta e tenebris erueret; &, prout id ferret occasio, vel ipse hoc in quibusdam partibus ageret, vel, ab aliis ut id fieret, haud ægre permitteret, ut, quæ huc usque abscondita latuerant, cimelia literaria, multa quondam cura congesta, in lucem demum protraherentur, & plurium usibus inservirent. Ex horum autem numero sunt Acta hæc visitationis Ecclesiarum Austriacarum, ab ipso *Luca Bacmeistero* quondam consignata, quæ ut ab isto abnepote sat æquis conditionibus se impetrasse fatetur Ven. *Raupachius*, ita &, quomodo in suos eadem usus transtulerit, atque adeo *Bacmeisterianis* istis fontibus hæc sua arva potissimum rigarit, in Præfatione æque ac Dedicatione hujus *Partis* pluribus indicat & edisserit; unde & nos ab instituto nostro haud alienum duximus, ut hæc inde summatim repeteremus, e quibus id simul patesceret, qua fide nitantur, quæ in causam adeo specialem ita diligenter copioseque allata sunt.

In ipsa, ex hujusmodi præsidiis instituta, narratione historica Pl. Rev. Autori licuit, distinctis *decem Capitibus* singula quam curatissime exhibere, quæ ad visitationis istius tum ingressum, tum progressum, tum quoque exitum, spectant. Ex quibus, longum nimis foret, si plura huc afferre vellemus; id nempe pro scopo nostro satis erit, si generatim indicaverimus, tam multa bonæ frugis in iisdem occurrere, ut, qui ejusmodi rebus gerendis admoventur, affatim inde cumulateque habeant, quod in rem suam transferre possint. Non enim tantum causæ hujusmodi instruendæ ordo modusque hic sigillatim descriptus est; sed &, quicquid intuitu doctrinæ purioris servandæ, ejusdemque integritatis contra adversarios, quos hic non modo Pontificios, sed & *Flacianos*, reperimus, tuendæ muniendæque; quicquid intuitu casuum practicorum rite dijudicandorum, quorum tum in causis disciplinæ ecclesiasticæ, tum rituum, tum quæstionum matrimonialium, & similium, haud pauci sunt, se unquam offerre potest eventuum, in iis nihil fere est, cujus exempla hæc narratio haud sufficiat, quæ adeo non tantum historiæ hujus curatiori cognitioni, sed & multis vitæ usibus, exinde hauriendis, egregie inservire queant.

Continuationis *Pars tertia* & ultima, de qua adhuc dicendum, non unius quidem, sed plurium annorum, limitibus circumscripta est; atque in eadem Pl. Rev. Autor, ut vel ex ipsius tituli indicio patet, tractationis seriem, ab A. 1581 ad hodiernum usque diem deductam, sic tandem clausit, & feliciter absolvit. Sicuti autem illa gestorum, in visitatione A. 1580 instituta, specialior commemoratio multa subinde illustravit, quæ proximis abhinc annis evenerunt; ita & nova rerum documenta, quæ tum solertissimus scriptor ipse indagavit, tum aliorum doctissimorum virorum, quorum in Præfatione honorificam mentionem facit, manus auxiliatrices ipsi suppeditarunt, repetitam

hanc

hanc argumenti tractationem adeo instruxerunt & locupletarunt, ut non modo plenius, sed & longe certius, nunc sciamus, quæ olim in hanc rem dicta erant. Ab hac temporis periodo fere historiam religionis Evangelicæ, inter Austriacos deperditæ, incipere, a nobis, cum de primo hujus laboris specimine diceremus, animadversum est; idque simul annotatum, decrementi hujus, quod hinc totalem eversionem & exstirpationem post se traxit, causas alias ex parte Evangelicorum internas, alias vero externas, ab adversariorum violentia repetendas, in censum venisse, quarum jam tum Pl. Rev. Autor rationem habuerit. In harum igitur causarum expositione uberiori continuatus hicce labor potissimum versatur, atque adeo intestinæ *Flacianorum* turbæ hic occurrunt, & iis, quæ de *Jo. Frid. Cælestino* & *Josua Opitio* olim dicta sunt, nunc plura adduntur, quæ ab aliis *Flacii* asseclis, *Cyriaco Spangenbergio*, *Joach. Magdeburgio*, aliisque, ipso magistro suo deterioribus, ibidem mota sunt, ut non modo tenellum hunc Evangelicorum cœtum confunderent, sed & rursus perverterent, quod in suscepto illo visitationis negotio ad compescendas, vel omnino eliminandas, lites illas non sine magno labore constitutum erat. De altero hinc causæ Evangelicæ apud Austriacos defectu, quod Ecclesia, ibidem constituta, peculiari suo Inspectore & Ephoro, quem alibi Superintendentem vocant, caruerit, nec etiam judicio quodam, ad dirimendas lites rite ordinato, gavisa sit, multa passim occurrit mentio; ubi, *Conradum Beccerum* quidem a Gustroviensibus, *Bacmeisteri* & aliorum Theologorum commendatione, ad Austriacos evocatum esse, sed & hunc haud diu apud eosdem substitisse, atque ex illo tempore neminem in hunc locum suffectum, sed hunc vacuum prorsus relictum esse, commemoratur. Denique, ab externa Pontificiorum persecutione quod causæ Evangelicorum apud Austriacos damnum illatum est, uti præcipuum ad fatalem ejus ruinam momentum traxit, ita & ad illud describendum maxime copio-

sam Pl. Rev. Autori in hac *Parte* materiam suppeditavit. Non enim tantum, quid incentores privati, quales *Melch. Clefelium, Georg. Schererum*, & alios, eorum e Jesuitarum potissimum societate parastatas, judicamus, in hunc finem moliti sint, sed &, quomodo funesta illorum consilia sub Imperatoribus *Rudolpho II & Matthia*, Austriæ adhuc rectoribus, magna quidem contentione agitata, subinde tamen repressa, sub *Ferdinando II* autem demum ad effectum deducta sint, id omne luculenta admodum expositione hic declaratum legimus; quæ ubique ita comparata est, ut nihil non dictum sit, quod non publica documentorum fide, quorum pars ipsi textui subjuncta, pars autem in fine tractationis in peculiarem, eamque copiosam, syllogen conjecta est, communire licuerit. Ab horum enim præsidiis quam instructissimum esse Pl. Rev. Autorem, vel ex eo satis patet, quod ipse in fine Præfationis testetur, etiamnum penes se esse spicilegium documentorum, ad priora potissimum tempora spectantium; quod cum hac vice exhibere ei haud datum sit, atque eum in finem ipse secum servet, ut id cum promissa itidem *Presbyterologia Austriaca* in publicam lucem emittere possit; hanc destinationem suam ut ipsi perficere liceat, simulque opus, in quo de fatis Ecclesiarum Evangelicarum in Stiria, Carinthia, & Carniola, exponet, aliquando elaboratum emittat, & ad hæc omnia vires ei otiumque suppetant, ex animo vovemus.

DIOGENIS LAERTII DE VIRIS, DOGMATIbus, & Apophthegmatibus, clarorum Philosophorum Libri X, Græce & Latine, ad fidem optimorum librorum quam correctissime recensiti, & nunc primum in Capita, eaque in numeros, distributi, insertis XXVI Philosophorum figuris, æri incisis, & additis Indicibus, ante vulgatis longe locupletioribus, a PAULO DANIELE LONGOLIO.

Curiæ

Curiæ Regnitianæ, apud Gotthard. Joannem Püttnerum, 1739, 8 maj.

Alph. 3 plag. 21½.

Quam illustrem omni Philosophiæ facem Historia præferat philosophica, nemo est illius haud expers, qui ignore. Discimus inde, quibus incrementis, quibus decrementis atque mutationibus, subjectum fuerit sapientiæ studium; cognoscimus, quibus laboribus, quamque diversis conatibus, accensum fuerit illustre rationi lumen; videmus etiam, quot vulgo jactentur novæ veritates, quæ antiquissimis jam Philosophis cognitæ fuerint atque perspectæ, & quæ sunt reliqua, quæ referre longum esset, emolumenta. Eo igitur major adhibenda est cura, ut, qua fieri potest accuratione, isthæc etiam historiarum pars commendetur sedulo atque inculcetur, cumque in Academiis passim negligatur, ut in scholis jam atque Gymnasiis sedulo propinetur. Præcipue autem huc pertinet antiquior Philosophiæ ac Philosophorum historia, quippe quæ notitiam simul, qui classici vocantur, scriptorum complectitur. In eadem illa, cum *Philostrato* atque *Eunapio*, qui & his ipsis palmam præripit, vel solus regnat *Diogenes*, qui a patria unius forte majorum, sive alia de caussa, *Laertius* dicitur. Hic, vel sententiarum gratia, cum scholis etiam commendatissimus esse deberet, nescimus, quo casu factum sit, ut plerisque in eruditorum subselliis prorsus ignoretur. Utilissimum igitur in se munus suscepit Cl. *Longolius*, qui, post pretiosam illam atque majorem, quæ in Belgio lucem vidit, editionem, commodam istam, nitidam, atque accuratam, quæque solum *Diogenis* contextum comprehendit, evulgandam curavit. Hoc suum institutum, quæque ad *Laertii* vitam pertinent, luculentius in ipsa Præfatione exposuit, unde, quæ posterius spectant momentum, non inconveniens fore putamus, quædam attulisse. Patriam hujus celeberrimi scriptoris, genus, parentes, cum ignarissimis propemodum nescimus. Hoc certum

tum habemus, post Christum natum ipsum floruisse. Meminit enim *Epicteti* & *Plutarchi*, qui *Trajani* seculum nobilitasse dicuntur, itemque *Sexti Empirici*, qui ætate *Commodi* vixit. Cum vero *Sopater Constantini M.* tempore ex eodem nostro hauserit; hunc ante illum viguisse, necesse est. In hæresin *Epicuri* propensior fuisse putatur *Diogenes*, aliis tamen existimantibus, nulli prorsus eum sectæ favisse, neque se Philosophum exhibuisse, sed Historicum, literatos, in quibus aliquid boni repererit, laudibus ornantem, deque illis ipsis honorifice scribentem. Scripsit autem *Laertius*, præter Vitas, etiam Πάμμετρον, sive librum Epigrammatum Poematiorumque in viros claros vario carminis genere, ut patet ex fragmentis, quæ per Historiam ejus philosophicam hinc inde sparsa videmus. Nostro illi, quod præ manibus est, quodque solum tempus reliquit, operi pretium omnino non ab omnibus idem fuit statutum. *Menagio* in notis observante, plenum est additamentorum, atque, ut idem notat, propriarum ipsi loquendi rationum, ac plebeji nonnunquam dicendi generis. Neque mitius de illo *Cl. Salmasius*, *Jo. Clericus*, *Petrus Baylius*, atque alii, sentiunt. Alii contra nimiam ipsi laudem tribuunt, quo nominatim referri merentur *Valentinus Curio* ac *Jo. Ludovicus Vives*. Media via, non sine maximis causis, incedunt *D. G. Morhofius*, *Jo. Jonsius*, *Melchior Canus*, *J. A. Fabricius*, *Conringius*, atque alii. De editionibus *Laertii*, præeunte potissimum jamjam laudato *Fabricio*, agit doctissimus *Longolius*, ita tamen, ut & sua misceat, cancellis inprimis quadratis inclusa. Huc sigillatim pertinent editiones Latinæ duæ, a nemine adhuc, ut Clar. Editor ait, observatæ, quarum prioris titulus: *Diogenis Laertii de vita & moribus Philosophorum Libri X, recens ad fidem Græci Codicis diligenter recogniti, Lugduni, apud Antonium Gryphium, 1592, 12*; posterioris autem: *Vitæ Philosophorum, scriptoribus Diogene Laertio, Eunapio Sardiano, Hesychio Illustrio, multis in locis emendatiores, Lugduni Batav. ex officina Plantiniana, apud Fr. Raphelengium, 1596, 12.*

Dioge-

Diogenis Libri hic sunt interprete *Fr. Ambrosio*, post *Jo. Sambuci* editionem, plurimis locis restituti. Addi posse, judicat Cl. *Longolius*, tertiam editionem, quæ quidem jam in Indice, editioni *Wetsteniana* præfixo, indicata fuit, sed perperam Græco-Latina dicta, ut *Stollius* in scripto Germanico, *Notitia librorum Bibliothecæ suæ P. II n. 71 pag. 198* monuit, ubi simul integrum editionis titulum profert. Edita est apud *Jac. Chouet* A. 1595, 12. Sed non immorabimur immixtis istis annotationibus, quin potius, quæ illustriorem Editoris diligentiam produnt, tribus denique verbis adjiciemus. Manifesta is operarum vitia, quæ in editionem *Wetstenianam*, cujus hic contextus sistitur, irrepserant, sedulo emendavit, novam prorsus, eamque accommodatissimam, Librorum in Capita, Capitum in numeros, distinctionem adjecit, & copiosissimum indicem virorum, rerum, sententiarum, placitorum, apophthegmatum, regionum, locorum, &c. subjunxit. Præterea profitetur etiam Cl. Editor, ipsum doctissimorum virorum suarumque emendationum *Laertiani* contextus non paucas in promtu habere, easque maximam partem prelo paratas, quas tamen in aliud tempus servet, auxiliatrices interim eruditorum manus, Codices inprimis manuscriptos, exspectans.

M. ANT. FERRATII EPISTOLARUM LIBRI sex, in quibus omnia fere, quæ in Orationibus M. Tullii dubia occurrunt, polemice illustrantur.

Venetiis, ære Jo. Baptistæ Albritii, Hier. fil. 1738, 4. Alph. 2 ½.

Non requirit solum, sed meretur etiam, & inprimis quidem meretur, eruditissimorum virorum studia, eloquentiæ Romanæ antistes, *Tullius*. Inde non solum *Asconii* quondam, sed recentiori etiam tempore inventi sunt plures, qui, labores suos in interpretando *Tullio* collocasse, gloriæ sibi ac honori duxerunt. At præsertim, quibus principem laudem est consecutus, Orationes plurimorum etiam cura

 sunt

sunt expertæ. Vel unus cum *Ferratio*, ex iis, qui nostra ætate civitatem literatorum ornant, prodeat *Nic. Desjardins*, Rhetoricæ Professor emeritus, & Collegii Augustæ Viromandivorum Gymnasiarchus, qui *M. Tullii Ciceronis* Orationes, Notis & Dissertationibus illustratas, quarta nuper forma Lutetiæ Parisiorum vulgavit. Hi, inquam, duumviri satis superque demonstrant, doctis Oratorem nostrum interpretibus nec hodie carere. Nos quidem mittimus jam *Nicolaum*, *Antonii* solummodo conatus paulo accuratius contemplaturi. Non ante solum ille Noster Commentarios analyticos in Orationes *M. Tullii* vulgarat; sed hic etiam, autore præsertim ac suasore *Gregorio* Patre purpurato *Barbadico*, istas longiores disputationes, atque aliorum, *Manutii* præsertim, confutationes, proponit. Agit nominatim, ut ordinem scriptoris sequamur, *Libri I* illarum Epistolarum *Ep.* 1) de legibus judiciariis, 2) de forma judiciorum, 3) de personis judiciorum, 4) de judice quæstionis, 5) de judicibus, 6) de patronis & accusatoribus, 7) de quæstionibus publicis, 8) de judicio repetundarum, 9) de comperendinatione, 10) de legibus repetundarum, 11) de accusatione *Caji Antonii*, 12) de judicio inter sicarios, 13) de judicio ambitus, 14) de perduellionis judicio, & 15) de loco *Pomponii*; *Lib. II Ep.* 1) de Senatu, 2) de ordine equestri, 3) de civitate Romana, 4) de sacerdotibus, 5) de Patriciis, 6) de publicanis, 7) de pueris & adolescentibus, 8) de Censoribus, 9) de Prætoribus, 10) de Tribunis plebis, 11) de purpura & prætexta, 12) de Quæstoribus, 13) de rectoribus provinciarum, 14) de *Metellis*, & 15) de *Cn. Pompejo*; *Lib. III Ep.* 1) de lege *Ælia Fusia*, 2) de obnuntiatione, 3) de comitiis, 4) de creatione magistratuum, 5) de bonis comitiis, 6) de jure suffragii, 7) de Senatusconsultis, 8) de provinciis consularibus ex lege Sempronia, 9) de provinciis, 10) de imperiis extraordinariis, 11) de incesto *P. Clodii*, 12) de conjuratione *Catilinaria*, 13) de *Ciceronis* exilio, 14) de legibus *Cæsaris* & *Marci Antonii*, 15) de lege *Voconia*, 16) de comœdia, 17) de pecunia publica, & 18) de mutatione vestis. *Lib. IV Ep.* 1) sistit Chronologiam Romanorum Consulum; 2) achronismos Commentatorum de tempore, quo

quæ quædam ex Orationibus habitæ sunt; 3) *Asconium* qua vindicatum, qua reprehensum; 4) statum quæstionis in causa *P. Quinctii*, 5) *Ciceronem* in appellandis viris nobilibus illustratum, 6) vim pronominum in oratione, 7) *Ciceronem* quibusdam locis explicatum, 8) quædam de *Sullanis* temporibus, 9) voces quasdam, variam significationem habentes, 10) achronismos Commentatorum in appellatione virorum nobilium, 11) antiquam lectionem vindicatam in *Marci* Orationibus, & 12) varias quasdam lectiones in iisdem. *Lib. V Ep.* 1) quædam de provincia Sicilia ex *Verrinis*, 2) prolegomena quædam in *Catilinarias*, 3) luxum & libidinem Romanæ juventutis, 4) legem agrariam *P. Servilii Rulli*, 5) varia loca illustrata, 6) notanda quædam in Oratione *pro Archia*, 7) 8) in aliis locis, 9) sociorum officia in magistratus, 10) decerpta quædam ex Oratione *pro domo sua*, 11) *Ciceronis* jactantiam, 12) Animadversiones in Orationem *pro Cn. Plancio*. *Lib. VI Ep.* 1) profert *Ciceronem* in appellandis viris nobilibus illustratum, 2) difficultates quasdam in re numaria, 3) *Ciceronem* nonnullis locis explicatum, 4) achronismos Commentatorum, 5) tropum ironiam, 6) voces varias significatione, 7) 8) 9) vindicias *Ciceronis*, 10) dubiam quarundum vocum significationem, 11) cohærentiam sententiarum, 12) quædam Senatusconsulta, quæ maxime in *Philippicis* occurrunt. Non sine causa fusiorem istiusmodi indicem attulimus, ut uni velut obtutui elegantissimum opus sistamus, utque, quid ibi quærendum, & ubi singula invenienda sint, innotescat. Apparebit inde quidem, quam multiplex hujus libri dos sit. Effundit quidem utilitatem suam in antiquitates ac Criticam præsertim; juvat tamen etiam Grammaticam, e. g. quando de vi pronominum in oratione tractatio incidit, deque pronominibus *ille*, *hic*, *idem*, disseritur. Juvat Rhetoricam, quando ironiam exponit, & quasdam *Ciceronis* ironias demonstrat, quasdam refellit. Juvat Geographiam, ubi Siciliam describit; Chronologiam, ubi tempus habitarum Orationum *Catilinariarum*; Historiam, ubi de exilio *Ciceronis*, deque tem-

temporibus *Sullanis*, lectu quædam digna profert; juvat denique etiam mores, ubi v. g. luxum Romanæ juventutis acriter satis reprehendit. Sed præstabit, harum rerum studiosis ipsam libri lectionem commendare, quam difficilem in tanta varietate rerum notatu digniorum selectum instituere. Ne tamen plane nihil dixisse videamur, agedum, Epistolam de Civitate Romana paulisper consideremus. Postquam, solenne servans, elegantissimum aliquod ac literis omnino conveniens, exordium fecerat, cives Romanos in novos ac veteres, *Cicerone* duce, dividit. Ille nimirum *pro Cæcina*, *hoc*, ait, *cum eos scire volui*, *quibus Sylla voluit injuriam facere*; *tum omnes ceteros novos veteresque cives*. Novi scilicet dicuntur hoc loco, qui, bello sociali, per legem *Juliam*, adepti fuerant civitatem Romanam; veteres, qui, etiam ante bellum, jure civitatis fruebantur. Utrique denuo in duas classes dividuntur. De aliis nempe illorum lata fuerat lex *Cornelia*; de aliis non erat. Veterum autem divisio ex istis Oratoris verbis patere videtur: *Neque enim ratio afferri potest*, *cur*, *si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas*, *non omnibus antiquissimis civibus possit*. Reprehenditur deinde *Frigius* ad hunc locum, qui, Patricios, inquit, pro antiquissimis civibus collocari, cum tamen potius invertere propositum suum debuit, ac ὕστερον πρότερον facere. Ad eos novos cives quod attinet, quos haud quidem legum latores sigillatim tam egregio beneficio uti voluerant, horum plures, cum servi fuissent, recuperata libertate, civitate etiam Romana donabantur; & isti præsertim, propter ignobilitatem, *terræ filii* vocari solebant. Neque tamen & hic sine discrimine facto titulus omittitur; duplici nimirum sensu acceptus. Si quis ipse per se ortus e terra terræque filius diceretur, convicium erat, generisque obscuritas notabatur; sin vero idcirco, quod ab iis ortum traheret, qui αὐτόχθονες, sive ex terra geniti, putabantur, summam is antiquitatem generis, atque adeo nobilitatem, arguebat. Eruditam ejusmodi excursionem feliciter perse-

persecutus doctissimus Autor, ad explicandam Orationem *pro Archia* descendit, quem constat a *Graccho* esse accusatum, quasi civem se Romanum gessisset, qui tamen minime fuisset. Inprimis hoc loco de lege *Papia* sermo incidit, quam quidem triplicem esse contendit *Ferratius*. Prima data est A. U. C. 620, quæ deinde A. 650 a *L. Crasso* & *Q. Scævola* tantum non restituta, tertia demum *Dione* teste vulgabatur A. 685, in hanc sententiam: *Ne quis peregrinus in urbe esset.* Sensum hujus legis quamvis *Lib. III de Offic.* aliter accepisse videatur *Cicero*; ille tamen eo potissimum redit, ne quis peregrinus civem se Romanum gerat, vel domicilium in urbe habeat. Sub finem hujus Dissertationis ad Patavinæ civitatis conditionem descenditur, qua, Romanorum antiquis illis temporibus, usa fuerit, & contra *Ursatum* ingeniose evincitur, ipsam haud coloniæ, sed municipii potius, titulum referre. Quis est, qui non ex ungue leonem perspiciat? Quis, inquam, ex loco isto, prout forte in manus incidit, quantum his Epistolis pretium sit statuendum, conjicere nolit?

JO. ALBERTI FABRICII, SS. TH. D. ET P. Hamb. Opusculorum historico-critico-literariorum Sylloge, quæ sparsim viderant lucem, nunc recensita denuo, & partem aucta, Indice instruuntur.

Hamburgi, sumtibus viduæ Felgineriæ, 1738, 4.
Alph. 3.

Adhucdum materiam scribendi nobis sufficiunt labores literarii, a *Fabricio*, scriptore, dum viveret, celeberrimo, exantlati. Sane, quanta Viri industria fuerit, satis vel ipsa hæc *Acta* nostra loquuntur, siquidem a quinquaginta fere retro annis, ex quo ipse aciem literariam instruere cœpit, non meminimus nos habuisse Autorem, cujus rivis arva nostra rigare pluries licuerit. Equidem, ex Cel. *Herm. Sam. Reimari* Commentario *de Vita & scriptis Jo. Alb. Fabricii* dum a nobis jam olim relatum est, super-

 fluum

duum videri poterat, aliquam porro hujus Sylloges opusculorum mentionem injicere, siquidem ne ullum quidem hic comparet, quod non, antea jam editum, in illo *Reimariano* scriptorum *Fabricianorum* recensu commemoratum sit. Quicquid tamen hujus rei sit, Volumen hoc, cura laudati modo generi, Cl. *Reimari*, sine præfamine quidem & nomine suo adjecto, novissime vulgatum, nec a nobis sicco, quod ajunt, pede prætereundum est, & vel eo nomine hic locum meretur, quod de nullo sive minoris, sive majoris, molis opusculo, hac Sylloga comprehenso, ulla huc usque in his *Actis* nostris exstat memoria: tot autem, alias adductis, laboribus, & valde celebratis tanti Viri meritis, id etiam debebitur, ut ne hæc industriæ ejus specimina a nobis silentio involvantur. Dabimus primum singulorum opusculorum argumenta. Est vero 1) *Decas Decadum, seu Plagiariorum & Pseudonymorum Centuria*; 2) Σύμμικλα περὶ τῶν ἑβδομήκοντα; 3) *de antiquorum Philosophorum, Stoicorum maxime, cavillationibus*; 4) *de Platonismo Philonis Judæi*; 5) *Specimen elenchticum historiæ Logicæ*; 6) *de Recordatione animæ humanæ post fata superstitis*, cum Progr. *Jo. Frid. Mayeri*; 7) *de laudibus malignis*; 8) *de observantia sacra*; 9) *de hæresi & moribus Bogomilorum*; 10) *de Brachmanibus, Philosophis Indorum*; 11) *de religione Erasmi*; 12) *de hominibus orbis nostri incolis, specie & ortu avito inter se non differentibus*; 13) *de seculi numeratione & celebratione*; 14) *Veteresne recentibus, an priscis nostra ætas, palmam ingenii concedere debeat*; 15) *de Chimæris scientiarum*; 16) *de frequentia & infrequentia scholarum*; 17) *de exercitiis oratoriis*; 18) *de votis mortalium*; 19) *de Deo ex oculi contemplatione demonstrando*; 20) *de pulchro, & gustatu bono*; 21 *de amore patriæ*; 22) *de grato erga Deum animo*; 23) *de Theatro, an sit schola morum*; 24) *Epistola in obitum Constantini Ambrosii Lehmanni*. Ex dato hoc argumentorum indice id porro notamus, singula, hic exhibita, opuscula

scula præter primum & ultimum esse ejusmodi, qualia ab Autore vel Dissertationum, vel Programmatum, loco in Academiis atque Gymnasio suo Hamburgensi publice quondam proposita sint. Cum autem hujusmodi exiguæ molis libellorum ea sors sit, ut ad paucorum manus tantum perveniant, atque, ubi pervenerant, se brevi subducant, haud parvam sane plurium Lectorum gratiam iniit Cl. Editor, dum uno fasce collecta hæc opuscula non modo ab interitu, qui illis imminebat, vindicavit, sed &, ut multorum posthac usui essent, simul effecit. Nec illud etiam vitio vertere Cel. Editori licet, quod alia quædam ex hujusce generis *Fabricii* scriptis in hanc Syllogen referre omiserit, cum eadem vel in ipsius *Fabricii*, vel aliorum etiam, libris excusa reperiantur; ubi adeo copiam illorum habere licet. De eo vero ambigui sumus, an non illud jure desiderare queamus, quod, quæ omnium prima industriæ *Fabricianæ* specimina fuerunt, nobis inviderit, nec eadem cum ceteris in hac Sylloga simul exstare voluerit. Decadem illam scriptorum recentiorum, atque ejusdem defensionem, intelligimus: quod utrumque scriptum B. *Fabricius*, vix annos viginti natus, in patria Academia Lipsiensi adhuc agens, publici juris fecit, ac, licet admodum juvenis esset, nihilo minus jam tum haud inidoneum se probavit, qui de præstantissimis illius ætatis luminibus censuras, licet nonnihil severas, haud tamen omnino iniquas, proferret. Fatetur ipse Cl. Editor in laudato supra *de Vita & scriptis Fabricii* Commentario *pag. 99*, in paucorum manibus hæc, quæ ante 50 annos vulgata sunt, scripta versari, eaque hinc digna judicavit, ut argumenta eorum extensius paulo ibidem daret. Ut igitur hoc ipso majorem omnino salivam movit lectoribus, & illa deinde Decas Decadum plagiariorum, quæ primum in hac Sylloga locum occupat, ex priori illa Decade originem traxit, & ad istam se recipit; ita, ægre id nobiscum alios quoque laturos, facile credimus, quod de his, paucioribus quidem, sed rarioribus tamen, foliis id non æque concessum

cessum sit, ut integrum illorum usum in hac reliquorum Sylloga habeant. Ac, licet forte in istis juvenilibus scriptis fuerint, quæ ipse *Fabricius* in ætate hinc virili atque senili minus probarit, inde tamen Cl. Editor alibi in *Vita Fabricii pag.* 22 habuit, ut hunc licentiorem juventutis impetum eidem gratuletur, cum hoc ipso effectum sit, ut, ubi is primum se repressit, hinc per omnem vitam ab acerbis aliorum censuris sibi abstinendum duxerit, ac aliis etiam censuras ejusmodi, in se jactatas, facilius condonarit: quæ & alia commoda, dum e primo illo scribendi genere *Fabricio* subnata sunt, ejusmodi sane sunt, ut laudem ac decus ipsi concilient, aliis vero incitamento esse queant, ut, exemplum tanti Viri, idque tam alto loco positum, sibi ad imitandum propositum esse, existiment. Nam & ex ceteris, fasciculo hoc conclusis, speciminibus id non sine voluptate perspicere licet, quomodo, positis juvenilibus annis, ipsa *Fabriciana* scribendi ratio ad adultiorem subinde virilemque gravitatem adspiraverit; atque, cum posteriores etiam B. Autoris curæ partem aliquam horum opusculorum cum augmentis quibusdam & novis accessionibus nobis exhibeant, hæc sane omnia posteris documenta præbebunt, quam docili semper ingenio Vir tantus sit usus, & quomodo in scriptore, qui tantam nostro tempore celebritatem consecutus est, dies diem subinde docuerit.

SECTIONUM CONICARUM SYNOPSIS, cujus Autor D. GUIDO GRANDUS, Abbas Camaldulensis, suique Ordinis, Apostolico Privilegio, Ex-Generalis, in Pisana Universitate Matheseos Professor, Magni Ducis Hetruriæ Theologus & Mathematicus, &c.

Neapoli, expensis Bernardini Gessari, 1737, 8.
Plag. 7, Tabb. æn. 9.

Placuit olim Autori, cujus præmatura fata lugemus, Compendii sui Sectionum Conicarum, quod valde commenda-

mendavimus in *Supplem. Actor. Erud. Tom. VIII Sect. X p. 434 seq.* versionem hanc adornare Latinam, ab omnibus Geometriæ studiosis, qui Italice nesciunt, avide excipiendam. Eam ornavit Propositionibus quibusdam, recens adjectis; quæ in priori editione Italica superflua videbantur, resecuit, Schemata correxit, &, ut paucis dicamus, usum elegantissimi libelli, qui *Apollonium* in nuce refert, expeditiorem & generaliorem reddidit. Refert Autor in Præfatione, hanc ipsam Synopsin, antequam Latio donata prodiret, in sermonem quoque Hispanicum translatam esse a *Joanne de Aguillar*, Architecto militari, ut suæ nationis discipulis, Mathematum studio vacantibus, usui esse posset. Plura non addimus; qui nosse cupit, vel ipsum libellum, vel nostram priorem recensionem, adeat, necesse est.

BOTANOSOPHIÆ VERIORIS BREVIS Sciagraphia, in usum discentium adornata. Accedit, ob argumenti analogiam, Epicrisis in Clar. Linnæi nuperrime evulgatum Systema plantarum sexuale; & huic superstructam methodum botanicam. Autore JO. GEORG. SIEGESBECK, M. D. & p. t. Horti medici Petropolitani præfecto.

Petropoli, typis Academiæ, 1737, 4.
Plag. 10.

Præmittitur uberior fatorum, quæ rem herbariam ab ineunte mundi ætate exercuerunt, historia, dum periodi istius recensentur. Ebræa, seu sacra, Græca, seu profana, utraque prorsus obscura exstitit, etsi de plantis istorum temporum, quales hoc, vel illo, nomine designentur, multum fuerit disputatum. Latina nil magis inclaruit, dum pleræque plantæ, quas *Antonius Musa*, *Plinius*, aliique, habent, titulo saltem nobis innotescunt. Quarta periodus, Arabum, nil nobis reliquit, de quo istius temporis clari ceteroquin viri gloriari possint. Isti, & quæ post subsecuta est, periodo barbaries intercessit, quæ omnium ar-

tium & scientiarum silentium orbi intulit. Quinta periodus Scholastica appellari meretur, eo, quod unice operam in eo collocarent Autores, ut sterquilinia antiquorum legerent, & de nominum significationibus anxie disputarent. Fuerunt tamen magni viri hac ætate, qui, itineribus susceptis, & patriæ plantis studiose collectis, rem herbariam magnopere illustrarunt. Hærebant adhuc circa scientiæ hujus primordia Autores, quod sua quisque, prout etiam hodie fit, methodo, quacunque visum fuerat, uteretur, alius a foliorum habitu, alius a virtutibus, ordines instrueret. Adspirabant tamen hac ætate haud pauci ad genuinæ methodi gloriam, nec infeliciter progressi sunt *Cæsalpinus*, *Gesnerus*, *Columna*, *Morisonus*. Periodus methodica constituitur Seculo XVI, laudanturque istius ætatis triumviri, *Rajus*, *Tournefortius*, & *Rivinus*. Laudatur *Riviniana* methodus, quod conceptus terminosque, a numero, forma, & proportione, desumtos, rei herbariæ inferat. Veneratur hæc methodus, plurimis adhuc pergrata, novum hunc suum vindicem, imo vero nitidior evadit longe, postquam externus plantæ habitus cum floris fructusque descriptione adjunctus illi fuit. Describitur post hæc universa Autoris methodus, a *Riviniana* quoad summorum generum constitutionem nihil discrepans, nisi novos quosdam conceptus, *de vegetabili completo & incompleto*, excipias, quod est, flore gaudere, vel destitui. Cetera conveniunt. Flores plantarum sunt vel perfecti, vel imperfecti. Perfecti sunt simplices & compositi. Simplices sunt monopetali, dipetali, tripetali, tetrapetali, pentapetali, hexapetali, polypetali. Compositi paulo aliter enumerantur. Sunt, qui unius generis flosculos regulares continent; sunt &, qui regulares & irregulares simul eodem perianthio complectuntur. Declarantur sollicite termini artis; hinc unicuique summo generi ex enarratis genera intermedia, a fructus conditione, subordinantur. Evincitur contra *Knauthium*, esse semina vere nuda, atque ab his ubique dicendi fit auspicium. Videas

tamen

tamen & plantas, quæ nec perfecte nudo, nec clauso perfecte, fructu instruuntur, adeoque nec gymnosperma prorsus sunt, nec angiosperma, sed medio modo sese habent, qualia sunt, Limonium, Malva clypeata, seu Lavatera aliis, Cassides, & sic porro. Est etiam diversitas, prout pericarpia vel simplicia, vel composita, solido, vel papposo, semine fœta, & sic porro, existunt. Hinc, quæ fructum capsulis inclusum habent, pro vasculorum numero, unicapsularia, bicapsularia, tricapsularia, quadricapsularia, & sic porro, appellantur. Cum partes plantarum essentiales sint flos, fructus, radix, accidentales, folia, caulis, truncus, perianthium, pericarpium; hinc monetur, summa genera a prioribus definiri debere, intermedia a reliquis. Nunquam autem una pars plantæ, flosne, an fructus, fuerit, pro definitione sufficiunt, cum flores, quoad petalorum numerum & figuram similes, disparibus genere plantis insint, fructus idem in diversis generibus plantarum nascatur. Ex foliis, ex toto plantæ habitu, efficaciter nemo definiet, cum illa non nisi speciem mutent; sed flos, & fructus, & habitus plantæ, definitionem ejus ingrediantur. Taxatur *Rajus*, qui asperifolias, verticillatas, bulbosas, una esse jussit cum immensis a regula exceptionibus. Hinc stabiliuntur cum *Rivino* regulæ: Quæcunque plantæ flore & fructu conveniunt, conveniunt inter se, & eodem nomine sunt compellandæ; quæ secus, nomine etiam differunt. Folia, quæ constantem, ternarium quinariumque, numerum servant, familiis certis plantarum definiendis valde conducunt. De nominibus imponendis varie sentit, suadetque, Græca præferri debere Latinis, id est, Græca origine non commutanda esse cum Latinis; nec licere cuiquam origine Latina proprio ausu in Græca transferre. Loquamur cum antiquis; quorum verba valent sicut nummi ex arbitrio ejus, qui primus valorem illis dedit. Novis autem plantis ab eo, qui invenit, pro arbitrio, Græca, vel Latina, elegantius tamen Græca, nomina imponantur. Latina nomina in *ειδης* finire, turpe putat; sed, si facta nunc sunt,

& a pluribus comprobata, retinenda sunt. Loquamur cum vulgo, sentiamus cum eruditis. Sed suo quilibet abundat ingenio. *Linnæus* certe, Vir ingeniosissimus, & naturæ plantarum scrutator nulli secundus, hoc uno non placet, quod aures offendat erudita sua novorum nominum barbarie; quo titulo etiam taxatur a *Siegesbeckio*, cujus Epicrisis ad methodum *Linnæi* novam hic subnectitur. Impugnat ejus totum systema sexuale plantarum, quamvis diversarum partium floris concursum ad fructificationis negotium non prorsus neget. Nec placet illi, antheras sexum masculum, stigmata fœmineum, utriusque & stigmatis & antheræ commissuras hermaphroditas, indicare. Naturam nullis legibus sese addicere; plurimas plantas seminis esse expertes, exemplo Musæ, Ficuum, Lichenum, Muscorum; quare etiam *Linnæum* oportuerit Cryptogamiam stabilire, seu florum dubiam in variis existentiam. Accedit, quod, si tamen mares sunt, certum sit, iis absentibus nihilo minus fertiles esse fœminas, fraxinum, lupulum, & sic porro. Objicitur Philosopho indignus verborum lusus & obscura dictio, *Vulva, Meretrix*, & reliqua. Finis methodi cum sit memoriæ adminiculum; evincitur, eum a *Linnæo* non obtineri. Denique & impugnantur Aphorismi, a *Linnæo* propositi. Nobis quid de hac *Linnæi* methodo videatur, alibi fuit expositum.

BURCARDI GOTTHELF STRUVII, JCTI & Historici Saxonici, Bibliotheca Saxonica, Scriptores rerum Saxonicarum, Misnensium, Thuringicarum, exhibens.

Halæ Magdeburgicæ, sumtibus Orphanotrophei, 1736, 8. Alph. 3 plag. 10.

Nobile & antiquum est institutum, patriæ res æternitati commendare, & ad posteros literis transmittere. Nobilius

bilius vero & præstantius, nostrique tantum seculi insigne beneficium, videtur, Scriptores rerum gestarum potiores in una velut tabula conspicere, eorumque sibi notitiam non quoad nuda librorum nomina, sed quoad succum, & internam historiarum probitatem, parare. Nam illa monumentorum cognitio ingenium quidem operosum, & industriam haud proletariam, innuit, sed acumen & politam usu rerum intelligentiam non prodit; hinc ex tanta copia affluentiaque definiendus quidam librorum selectus; Classici ab ultimæ caveæ Commentariolis secernendi, ne in condenda qua demum cunque historia halucineris, illisque fidem propere nimis habeas, qui sua neque ex fontibus hauserunt, neque diligenter satis & caute in exponendis rebus gestis versati fuerunt. Nobis propterea se nunquam non probavit B. *Struvii* opera, qui, sicut varias scientiarum Bibliothecas non vulgari plerorumque, inprimis *Lipenii*, titulos solum & inscriptiones excitantis, ratione concinnavit, sed cuilibet ferme libro judicium, & genuinum operis argumentum, adjecit, sic etiam magno Historiæ bono novam hanc Scriptorum, res Saxonicas illustrantium, Bibliothecam typis excudendam curavit. Inseruerat jam *Bibliothecæ* suæ *historicæ selectæ*, Jenæ A. 1705, 8, editæ, integrum *Caput XXI de rerum Saxonicarum Scriptoribus*; sed, probe videns, hanc expositionem neque satis instructam, neque absolutam numeris suis, Bibliothecam esse, utpote tum librario urgente acceleratam, tenue illud & affectum opus de integro in manus resumsit, & lambendo informem antea fœtum sua industria, suaque eruditionis penu, egregie figuravit. Nam Scriptores omnes, tum Misnenses, tum Hennebergicos, tum Lusatos, magno apparatu, nec exsangui tamen, & plerorumque pumice quovis ficciore, modo, suppeditavit, respiciens quoque ad scripta manu exarata, quæ adhuc in Bibliothecis & publicis & privatis inedita latitant. Quare, si tibi, Lector, Musa *Struvii* non omnino displicet, quæ forma, quæ ratio istius libri sit, accipe. Post Præfationem doctissimam, quæ eximia doctissimorum

morum Virorum in hanc eruditionis partem, *Meibomii* ſcilicet, *Knauthii, Strunzii, Menckenii, Ludewigii, Felleri,* & aliorum, merita celebrat, omnis liber abit in *Tomos duos*, quorum *prior* duabus, *ſecundus* quatuor, abſolvitur Partibus. *Prima Pars* tradit *Topographica*, ſeu de ſitu regionum Saxonicarum, fluviis, urbibus, clementia cœli, benignitate & ubertate ſoli, exponentes Autores exhibet. Altera de uniuscujusque ſtirpis, Ducis, Comitum, Equitumque, fatis memoriæ prodita monumenta affert. *Tertia* illuſtrantur Thuringica, &, Scriptoribus, qui vel ſtatum naturalem, vel Thuringorum antiquitates, origines, commigrationes, Landgraviorum originem & ſucceſſionem, explanarunt, recenſitis, pergit Autor *Parte quarta* ad Principatus Hennebergici atque Luſatiæ Scriptores. His adjungit *Parte quinta* Scriptores, qui ſacrorum Saxonicorum indolem, reipublicæ ſpeciem, jurium præſtantiam, controverſias item & lites, eam ob cauſam plerumque motas, delinearunt. De ſingulis diſpiciamus ſigillatim, ne Lectori ex iſta quæſitorum, non in triviis & compitis obvenientium, abundantia, proba ſane & laborioſa, exilem macidamque libri formam obtuliſſe videamur. *Prima Pars* in ſua denuo *Capita* diſſecta eſt, quorum *primum* Scriptores Saxoniæ geographicos ſtudioſe enumerat. Quemadmodum priſcis Germanorum temporibus literæ omnes, cultu & nitore ſuo deſtitutæ, in tenebris plus quam Cimmeriis jacebant; ſic etiam queritur Doctiſſ. Autor, ſteriles medio & antiquo ævo dominatas avenas, nec unquam Scriptorem exſtitiſſe, qui paternæ gloriæ, amœnarumque ditionum, memor, fertilitatem agrorum, prata fluminum benignitate irrigata, civitatum amplitudinem & præſtantiam, pagorum denique & incolarum conditionem, deſcripſerit. Ut proinde *Henricus Meibomius* laudem ſibi primus vindicaverit, cujus veſtigia ſecutos eſſe poſteris temporibus *Chriſt. Fr. Paulinum, Caſp. Henricum Graunium, Chriſt. Knauthium,*
Pag. 5. & *Valent. Ernest. Læſcherum*, præclare Autor monet.

In recentiorum numerum Noster *Zeilerum* & *Schneiderum* refert; quo facto, fuse delineatis Scriptoribus de Albi, Elystro, Mulda, Sala, fluviis quippe Misnenses & Thurin- Pag. 12.
gicas terras alluentibus, metallorum præcones exhibet, qui in metallifodinarum divitiis collustrandis operam & stu- 14.
dium omne consumserunt, ubi inprimis laudanda *Gottlieb. Frid. Mylii Memorabilia Saxoniæ subterraneæ.* Nam inveniet ibi quivis rerum naturalium solers scrutator, quod pervestigatione ulteriori accuratissimaque contemplatione non indignum videbitur. Ad singulas dein Saxonici tractus urbes respicit, eosque larga manu protulit, qui de *Vitemberga*, ejusque tabulariis, epitaphiis, inscriptioni- 20.
bus sacris, præfectis sacrorum, Academia, & solennibus secularibus, memoriæ prodiderunt. Nihil fere Vitembergæ cedit Torgavia, tum ædificiorum splendore & civitatis amplitudine, tum ruris, in quo sita est, deliciis; quare proximum ab urbe principe Vitemberga ei Autor assignat locum, eosque studiose memorat, qui situm Torgaviæ, arcem, ædes 36.
sacras, beneficia Principum, in hanc urbem collata, meritis extulerunt laudibus. Præter has duas minutæ supersunt urbes, Dubena, Kemberga, Hertzberga, Belziga, & Bitterfelda, quarum etiam notitiam præbuit, eoque majori laude scripta illarum civitatum perquisivit, quo dilucidius apparet, libros ejusmodi ob plagularum tenuitatem contemni a vulgo, nedum in manus sumi & evolvi. In *Capite II* ad Scriptores terrarum Misnensium geographicos devenit, &, quo se totus liber commendat, ordine situm, antiquita- 41.
tes, veteres incolas, Hermunduros puta & Sorabos, exponit, additis ubique Scriptoribus, hanc historiarum partem illustrantibus. Uti vero Misnia distribuitur in tres ditiones, Misnensem, Lipsiensem, & Montanam; sic auspicatur merito a parte Misnensi, ejusque capite, urbe Dresda, quæ tanto excellentiores invenit laudatores, quanto magis reliquas dignitate & magnificentissima specie supereminet o- 52.
mnes. Nam, si contempleris Misenam, Pirnam, Heynam, arcem Kœnigsteinensem, Wurtzenam, Bischofswerdam,

Rade-

Radebergam, quid eſt, quod ad regiæ iſtius urbis ſimilitu-
dinem afferre poſſis? In diſparibus tamen oppidis æqua
eſt & ſimilis per omnia *Struvii* pertinax induſtria, utpote
qui tot ſcripta indicavit, quot ad unamquamque urbem
pernoſcendam faciunt. Lipſienſis agri, non ordine, ſed li-
teratiſſimorum hominum affluentia, divitiisque, primaria
urbs Lipſia eſt, quæ mira ſua, qua demulcet animos, dul-
Pag. 72. cedine, Bibliothecarum, & commerciorum, inſigni decore,
ingenia ad laudes ſuas certatim canendas pellexit. Scripta
hic & Carmina bene multa Cel. Autor adduxit, in qui-
bus & locus datus Collegæ noſtri, *Frid. Ottonis Men-
ckenii*, *Laudibus Lipſiæ*, in Panegyri quadam olim de-
cantatis, quas *Carminibus ſuis*, Lipſiæ A. 1737 evul-
gatis, inſerendas Autor curavit. Miſſis hujus agri
reliquis urbibus, Ilenburgo, Grimma, Leisnico, Rochlitio,
Coldicio, innuemus ſtrictim ſuccincteque *metalliferi Cir-
culi Scriptores*, *Sectione IV* ab Ill. Autore propoſitos, ubi
Freybergenſis civitatis Hiſtoricos, *Fabricium*, *Agricolam*,
106. *Molleros*, Schneebergenſis *Horlemannum* & *Rabenſtei-
nium*, Annæbergenſis *Michaelem Barthium*, *Paulum Je-
niſium*, & alios, Cygnæenſis *Hempelium* & *Agricolam*,
117. Chemnitienſis *Danielem Mullerum*, bonum Autorem inpri-
mis, celebrat, cujus Diſſertationes de Doctis Chemnicenſibus,
extra patriam bene exceptis, promotisque, ob politum ſcriben-
di genus non poſſumus non cuilibet elegantiorum literarum
ſtudioſo commendare. *Sectione V* delabitur ad Scripto-
res Ducatus Weiſſenfelſenſis, Merſeburgenſis, & Numbur-
genſis, geographicos, in qua poſteriori præfectura non ſic-
136. co pede præterit Weydam, non tacendam profecto, quod
una cum agris illius civitatis *Jo. Friderico II*, Duci Saxo-
Gothano, paruerat olim, ſed poſt hujus proſcriptionem in
clientelam *Auguſti*, Saxoniæ Septemviri, conceſſit. In
Sectione VI Scriptores Monaſteriorum & Cœmiteriorum
Miſniæ prodeunt, inter quos præcipui ſunt de Cella vetere,
Monaſterio olim *Ciſtercienſis Ordinis*, a *Mauritio*, Electo-
re, in ſcholam illuſtrem commutato, & *Suſelitiano S. Cla-*

ræ

ra Cœnobio, quod, ut loci suavitate, fluviique præterfluentis susurro, multa alia longe anteit, sic eximios etiam nactum est prædicatores. Miramur vero, inter Scriptores Suslizii omissum penitus esse, editum Lipsiæ A. 1732, 8, politissimi *Jo. Frid. Christii Suselizium, quo villa ejus nominis Bunaviana, ad Albim prope Misnam urbem sita*, carmine eleganti *celebratur ac describitur: cui accedunt ad illustrandam hujus Poematis in mentione rerum vetustarum sententiam Excursus historici, & Diplomata quædam Suseliziana.* Non tamen existimandum, eruditissimum hunc Virum omnia documenta literis mandasse, sed quamplurimæ adhuc restant literæ, publico nomine exaratæ, in tabulario Regis nostri Augustissimi exstantes, quarum catalogum secum habet Illustrissimus *Henricus a Bunau*, Consiliarius Regis intimus, & Cancellarius. Harum ergo si quis studio tenetur, copiamque sibi fieri optat, adeat ipsum Suselitiani agri Dynastam, qui non solum ingenium natura molle, & bonarum rerum admodum fœcundum, habet, sed etiam jucundissimis studiis, recreandi animi causa, maximam otii sui partem tribuit, tamque propensus in Musas politiores est, ut, si quid ad emolumenta literarum conferre possit consilio & autoritate, iis inserviendi avidissime occasionem arripiat. *Parte secunda* Historiarum fontes limpidi aperiuntur, quorum ubertate si quis irrigatum ad condenda sui ævi tempora afferat animum, non potest non egregia scribere, lectoribusque mira rerum varietate placere. Nimirum *Sectio prima* Scriptores Historiæ Saxonicæ & Misnensis universales Pag. 164.
exprimit, ad quos referuntur, qui de antiquorum Saxonum situ, moribus, origine, priscis sedibus, nomine, rebus gestis Westphalorum & gentis Anglicanæ, item de Chronologia Saxonicæ historiæ, commentati sunt. Nec intactos relin- 186.
quit, qui primo sane loco ponendi erant, desideratissimi *Jo. Burchardi Menckenii* rerum Germanicarum, præcipue Saxonicarum, Scriptores. At, cum, omnes ibi comparere, neget, non alienum abs re esse judicat, singulos secundum

Seculorum seriem percensere; quorum antesignanos & prin-
Pag. 214. cipes enumerasse, nobis sufficiet. In separatim editis
chorum ducere, ait, *Wittekindum*, *Ditmari Chronicon*,
Chronicon Quedlinburgense, *Brunonis Historiam belli*
233. *Saxonici*, porro in censum venire *Chronographum Sa-*
xonem, *Annalistam Saxonem*, *Siffridum*, *Monachi Pir-*
nensis Chronicon, *Albertum Kranzium*, *Davidem Chy-*
294. *træum*, *Georgium Spalatinum*, de cujus scriptis singu-
laria prorsus, & ex tenebris eruta, affert. Profitetur enim,
se possidere vitam *Spalatini*, ex ipsius avtographo descri-
ptam, cui impositos esse versus monet:

Quo juvenis, quo vir, Spalatinus creverit, hic est
Et tenui & facili sub bonitate datum.

Post *Spalatinum* in scenam adductos vidimus *Reinerum*
Reineccium, *Georgium Agricolam*, *Georgium Fabricium*,
Petrum Albinum, *Cyriacum Spangenbergium*, *Augusti-*
num Brunnium, *Balthasarem Menzium*, *Sigismundum*
a Bircken, *Jo. Georg. Wilckium*, *Gregorium Leti*, Hi-
storicum Italum, *Sagittarium*, *Rechenbergium*, *Tentze-*
lium, *Glafeyum*, viros splendida eruditionis laude non de-
fraudandos. Quam ardua, quantisque difficultatum nodis
inexplicabilis & obstructa, sit scientia rerum a Saxoni-
bus gestarum sine stirpium quarumcunque notitia, ii de-
mum sentiunt, qui ad penitiorem earum intelligentiam ani-
mum appellunt. Hinc eo etiam nomine Celeb. *Struvio*
368. grates decernimus, quod Scriptores genealogicos liberali
manu profuderit. Nam, etsi amatoribus suis & laudi-
bus non careant ista monumenta, quæ ad Calendaria
Saxonica, loca sepulchralia, busta Ducum Saxonicorum,
insignia, societates Saxoniæ varias, frugiferam scilicet,
societatem charitatis & scientiarum, Collegium *Gellia-*
num, pertinent, pluris tamen eos facimus Scriptores,
qui utilitati potius & certitudini historicæ, quam delecta-
tioni & studiorum venustati, consulunt. In *Partis se-*
408. *cundæ Sectione II.* se nobis objiciunt Historici Ducum Sa-
xoni-

xonicorum ex stirpe *Wittekindea*, Billingana & Ascania, Pag. 438.
ubi singulorum Ducum vitæ solicite extricantur, &, transitione facta ad Scriptores Historiæ Saxonicæ, Ducum & Electorum ex stirpe Misnensi, stemmatis Wettinensis Commentaria memorantur. Rumor enim & constans fuit opinio eruditorum, Misnenses Duces natales suos retulisse ad Comites Wettinenses, sed, uti in vulgus notum est, *Jo. Georg. Eccardus, Frid. Zollmannus*, & *Jo. Gottlieb Kraufius*, de tribu *Buziciorum* ortos esse, abunde demonstrarunt. Utcunque vero existimentur ea, fatendum tamen est, *Struvium* in scriptis omnibus colligendis egregie desudasse, nec quidquam præteriisse, quod ad vitam *Wiperti, Henrici Illustris, Friderici Admorsi, Diecemanni, Friderici Strenui, Friderici Bellicosi, Friderici Placidi*, ejusque fratrum, *Sigismundi & Wilhelmi*, præterea *Ernesti, Friderici III*, seu *Sapientis, Jo. Constantis, Jo. Friderici Magnanimi, Jo. Friderici II*, infelicis, & ex causa *Grumbachiana* belloque Gothano notissimi, Principis, perspiciendam, altiusque rimandam, conducunt. Nec minorem industriam impendit *Albertinæ Ernestinæque* stirpis posteris, domui Weissenfelsensi, Merseburgensi, Vinariensi, Isenacensi, Coburgensi, Meinungensi, Rœmhildensi, Eisenbergensi, singularumque familiarum laudatoribus. Sed nolumus longi esse, verentes, ne cancellos, nobis definitos, temere transcendere videamur. Rogamus igitur quemvis Historiæ cultorem, ut ex scaturigine ipsa bibat, melliferisque utatur dapibus, quæ appositæ a Nostro largissime *Sectione III & IV* fuerunt. Nec caruerunt Comites & Nobiles Saxonum suis præconibus. Videmus igitur, Cl. Autorem *Sectione V* de Scriptoribus Historiæ Comitum & Nobilium Saxonicorum & Misnensium tam diligenter egisse, ut singularum gentium rationem reddiderit, & primo Burggraviorum Leisnicensium, Comitum Schœnburgicorum, Burggraviorum *de Dohna*, deinceps *Flemmingiorum, Frisiorum, Wertherorum, Schanbergiorum, Schulenburgiorum, Bunavio-*

viorum, *Brandensteiniorum*, & reliquarum equestris patriciique ordinis gentium, mentionem injecerit. Eodem studio, iisdemque præsidiis literarum instructus, persequitur *Parte III* & *IV* Thuringica, Hennebergica, & Lusatica, ita quidem, ut, delineatis regionis cujuscunque indole, finibus, amplitudine, bonitate, eos prædicet, qui Principum memoriam literis custodiverunt, & urbium aliarumque rerum memorabilium historiam monumentis consignare studuerunt. Jam nostrum esset, *Partis IV* & *V*, accumulatissima librorum supellectile refertissimæ, argumenta ampliore dictionis genere eloqui; at, cum satis orationi, immoderatius excurrenti, litatum sit, vela paululum contrahemus, &, in pauca collatis iis, quæ restant, breviter dicemus, circa quæ sacrorum & reipublicæ Saxonicæ capita Autores
Pag. 966. versati fuerint. Nimirum *Parte IV* eos nominat Scriptores, qui de profano veterum Saxonum cultu, de historia *Bonifacii*, de vita *Georgii Spalatini*, *Godofredi Hechtii*, de visitatione ecclesiastica, de bello Smalcaldico, de repurgatis a *Luthero* sacris, de libro Interim, de *Flaciana* & *Synergistica* controversia, de colloquiis, Lipsiæ, Vinariæ, Islebiæ, Altenburgi, Dresdæ, Torgaviæ, celebratis, porro de Crypto-Calvinianismo, *Crellii* turbis, solennibus sacris, & tandem de singularibus Ducum Saxoniæ in literas & Academias meritis, libros, omne doctrinarum genus continentes, composuerunt. *Parte V* reperiemus, nobilissimos Juris publici Saxonici quæstiones honestissimo a viris doctis studio elucubratas fuisse. Nam *pag. 1037* Scriptores de juribus domus Saxonicæ universalibus, de pacto Confraternitatis, sive sodalitatis, Saxonicæ, de privilegio de non appellando, de Vicariatu & Palatinatu Saxonico, de directorio Saxonico in comitiis, de jure Archi-Mareschallatus, de terrarum Saxonicarum divisione, de investitura Bohemica, de jure in Ducatum Luxenburgensem & Juliacenses terras, de controversia Schwartzburgica, de juribus Saxonicis in regna Siciliæ

atque

atque Neapolitanum, ex matrimonio *Alberti Degeneris*, Thuringiæ Landgravii, cum *Margaretha, Friderici II* Imperatoris filia, conciliatis, traduntur, atque rivi locupletissimo rerum Autorumque Indice clauduntur. Impense igitur & Musis, & Historiæ Saxonicæ amatoribus, de Opere hoc elegantissime confecto gratulamur, eodemque cum magno suo commodo usuros, quicunque patriæ nostræ rebus vestigandis diligenter student, læti ominamur.

Historische Bibliothec von Ober-Sachsen rc.
hoc est,
BIBLIOTHECA HISTORICA SAXONIÆ SUperioris, aliarumque vicinarum regionum, in ordinem redacta a GEORGIO CHRISTOPHORO KREYSIGIO.

Dresdæ & Lipsiæ, apud Christophori Heckelii filium, 1732, 8.

Alph. 1 plag. 17½.

Serius fortasse, quam par est, hanc exponimus Bibliothecam; sed commodiore loco memorari non poterat, quam quo nunc *Struvianum* opus comparet. Nam, qui norit litem, a doctissimo *Kreysigio* olim *Struvio* intentatam, non succensebit nobis, moras aliquantisper nectentibus, exspectantibusque interea, num se criminatione plagii liberaturus publice esset *Struvius*, cujus *Kreysigius* eum in *promissa Collectione Scriptorum, numos bracteatos illustrantium*, accusaverat. Sed, cum frustra exspectaverimus *Struvianæ* famæ & nominis vindicias, nec hæ, mortuo jam ipso *Struvio*, exspectari amplius possint, non abs re esse judicavimus, libere sententiam nostram expromere, & partes *Struvii* in aliquibus, quæ ultro sese nobis obtulerunt, (nam omnia expendere, nec instituti, nec temporis ratio permisit,) tuendas suscipere, non ut censuram nobis

arrogemus, qua abstinere consuevimus, sed ut doctioribus altius pensitandi occasionem præbeamus, tantane macula *Struvius* noster adspergendus fuisset, an secus. Ante vero, quam nostram qualemcunque sententiam adjiciamus, suadere nobis institutum nostrum videtur, ut a præsentis opusculi forma, Lectoribus exhibenda, primordium capiamus. Per totum librum perpetuam monumentorum expositionem frustra quæres, sed, prout adversaria historias obtulerant, conjectæ sine dubio in chartam fuerunt. *Quinque* velut *Sectionum* limitibus universum Autor Bibliothecæ ambitum circumscripsit, quarum *prior* Scriptores Historiæ naturalis memorat, *altera* Scriptores Historiæ civilis exhibet, *tertia* vicinarum aliquot regionum scriptis repletur, *quarta* Scriptores historiæ ecclesiasticæ excitat, *quinta* literarum in Saxonia conditionem illustrat. Operæ autem pretium esse duxit, in Præfatione & Prolegomenis non solum fontes recludere, ex quibus sapere Historici solent, sed & Mappas geographicas indicare.

Pag. 23. Sed convertimur ad opus ipsum. Numero scriptorum *Historiæ naturalis* eos assignat, qui fluviorum, montis piniferi, rei metallicæ, fontium medicatorum, aciduiarum, salinarum, plantarum, vini culturæ, cerevisiarum, Musæorum naturalium, in Saxonia, laudes cecinerunt. *Scriptores Historiæ civilis* ita dispescit, ut, in *historia*
57. *& juribus imperantium* describendis primipilos esse, ajat, istos doctrina insignes viros, qui Ducum Saxonicorum vitam & res gestas, stirpium quarumcunque indolem, *Henrici I Aucupis*, *Ottonum*, antiquiorum Misniæ Marchionum, *Friderici Admorsi* & fratris *Dieterici*, præ-
74. clare facta, bellum Hussiticum, plagium Kauffungense, bellum ab Electore *Jo. Friderico* & *Philippo*, Landgravio Hassiæ, cum Duce *Henrico* Brunsuicensi gestum, bellum Smalcaldicum, *Grumbachii* turpe flagitiosumque sce-
93. lus, Ducum Altenburgicorum, Vinariensium, Weissenfelsensium, Saxo-Merseburgicorum, Saxo-Cizensium, fata, ne-

xum

rum domus Austriacæ & Saxonicæ, insignia, sigilla, Vicariii dignitatem, jus non provocandi Saxonicum, comitia provincialia, jus in terras Juliacenses, tutelam Mansfeldicam, aliasque lites, inter Gothanum Principem & reliquas stirpis *Ernestinæ* domos nonnunquam subortas, accurate cogitateque enuclearunt. Quod ad Scriptores Historiæ civium, in *Parte altera Sectionis II* obvenientes, spectat, eos diligenter & secundum literarum seriem enodatos videmus, qui Comitum, Baronum, Nobilium, omnium civitatum Saxonicarum, Misniæ, Varisciæ, genti Ruthenicæ, Hennebergicis & Coburgicis Principibus, Thuringiæ, Comitibus Schwartzburgicis, Querfurtensi ditioni, Lusatiæ utrique, & Mansfeldensi demum Comiti, parentium, origines, incrementa, jura, immunitates, aliasque res, memoratu dignas, ad posteros commemorarunt. In *Sectione III* prodeuntibus vicinarum aliquot regionum historiis adscribit Principatus Anhaltini, ejusque civitatum, laudatores, & Ducum Lauenburgicorum, Abbatiæ urbisque Quedlinburgensis, nec minus agri Halensis, urbisque Halæ, Commentaria adjungit. *Sectione IV* sacrorum in Saxonia conditionem monstrat, adductis in medium iis ingeniorum fœtibus, qui perversam Deos venerandi cupiditatem apud Saxones antiquos, faciem sacrorum ante repurgatas a *Luthero* doctrinas, Episcopatus, Monasteria, societates Pontificiorum, *Lutheri* fervorem, in exterminandis Pontificiorum erroribus comprobatum, colloquia multifaria, merita Principum Saxonicorum in sacra, ergastulorum & ptochotrophiorum naturam speciemque, larga collustrarunt luce. *Ultima Sectione* afferuntur Scriptores Saxoniæ literatæ, ubi Scholarum illustrium, Academiarum, Societatum eruditarum, Numorum bracteatorum & solidorum, Numophylaciorum, & Bibliothecarum, prædicatores solertissime compulit in unum locum & congregavit, convocatumque agmen indice bene digesto coegit. Non reprehendimus igitur Clar. *Kreysigii* factum, per se plausu quovis & encomio

Pag. 159. 216. 483. 558.

comio

comio dignissimum, sed de suo labore nimis magnifice sentit, communique omnium sibilo *Struvii* nostri Bibliothecam præter jus fasque exponere annisus est. Iniquius enim cum eo actum, res ipsa, quæ omnibus patet, docere lectores potest. Quodsi etiam sententia Doctiss. *Kreysigii* stare velimus, pugnantia tamen dicta ejus frontibus adversis impediunt, quo minus ei fidem habere possimus. Ab initio enim *Struvio* omnem quæsitorum copiam abjudicat, sub finem vero laudat in multis ejus industriam, profiteturque, se in novam Bibliothecam, auctius propediem evulgandam, (evulgari autem ante biennium cœpit,) translaturum esse omnia, quæ succum nervumque haberent. Et undenam, quæsumus, judicia plerorumque librorum desumsit *Struvius*, nisi vel perlectis historiarum monumentis ipsi argumenta innotuerint, vel ex aliorum Commentariis germanam librorum naturam hauserit? Si quæ labeculæ adhæserunt, quibus deformatum *Struvii* opus clamitat Doctiss. *Kreysigius*, præclaris tamen eæ eximiisque virtutibus compensantur. Non enim temere falcem in alienam messem intulit, aut surripuit ex horreo, quæ sua non sunt, sed fide summa indicavit, ubi *Kreysigius* ipsi facem prætulit. Ideoque flagitamus Clariss. *Kreysigium* sedulo, ut laureolam, *Struvio* ex Helicone reportatam, ne invideat, sed, compositis animi fluctibus, ea, qua omnes boni ipsum lubenter cumulant, laude contentus sit, integram autem *Numorum Bracteatorum Bibliothecam*, quam daturum se olim promisit, quamprimum luci publicæ exponat. Quo facto, novos de Musæ *Kreysigianæ* nobili literas juvandi ardore plausus excitabimus, &, ut alii nobiscum eam laudent publice, &, quo digna est, honore prosequantur, nostra efficere commendatione studebimus. Suus enim nemini negandus honor est, nec minus *Kreysigio*, de literis merenti optime, favemus, quam, ab eo injuriam haud fieri *Struvio*, nullis non laureis dignissimo, & inter literatos suæ ætatis principes summo jure numerando, cupimus.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio VI.

A COMPLEAT HISTORY OF ARIANISM, &c.

hoc est,

COMPLETA HISTORIA ARIANISMI ab origine ejus, A. 306, usque ad A. 1666, ostendens rationes illius in res civiles influendi, & causas dissolutionis Romani Imperii. Cui addita est Historia Socinianismi. Translatæ e Gallico doctissimorum Patrum, MAIMBURGII & LAMII. Accedit duplex Introductio: prior naturam erroris in doctrinis mere speculativis evolvit, ac planum facit, fidem bujusmodi doctrinarum ut ad salutem necessariam a nobis requiri: ubi simul etiam casus positivarum institutionum præcipue consideratus fuit; altera declarat, doctrinam de Trinitate mere speculativam haud esse. Una cum Appendice, Indicem scriptorum Anglicorum, ad Socinianas atque Arianas controversias pertinentium, exhibente. Autore GUILIELMO WEBSTERO, A.M. Pastore substituto ad S. Dunstan's in the West. Publicatæ rogatu Reverendi & eruditi D. WATERLANDI.

Tomi II.

Westmonasterii, apud Jo. Brindley, Oliv. Payne, Jo. Joliffe, Alex. Lyon, & Carol. Corbett, 1735, 8 maj.

Tom. I Alph. 2 plag. 9, Tom. II Alph. 3 plag. 3 ½.

Diu est, quod Magna Britannia hominibus patuit, qui Arianas & Socinianas doctrinas in lucem sacræ civitatis revocare ausi sunt. Nec vero alii defuerunt, qui horum sese insidiis opponerent, & adversus eas sacrosancta dogmata mascule tuerentur. D. *Waterlandus* ex iis unus est, qui bonæ Christianæ fidei causæ advocationem ea præstiterunt ratione, qua nihil excellentius est. Idem inclitus & eximius Vir comperit, versionem Historiæ Arianismi, a *Ludovico Maimburgio* Gallice scriptæ, Anglicam, a D. *Herberto* inchoatam, & aliqua ex parte formis jamjam descriptam, non continuari. Causam hanc audit esse, quod hic doctus Vir in *Fleurii* Historia Ecclesiastica convertenda occupatus sit. Quare, cum ab eo, tum vero & ab ipso *Herberto*, rogatus, Cl. *Websterus* cum hoc sese conjungere, & socias ei manus præbere, decrevit. Hic autem, pacto vix inito, nimio labore oppressus, Cl. *Webstero* suasor & autor est, ut in ipsius locum substituat alium, qui sibi hac in versione adsit. Conditionem non aspernatus ille, commisit, ut maximam Historiæ partem *Herberti* transferret successor, quem nominatim designare Reverendo *Webstero* non licuit; reliquam vero partem ipse vertendam sumsit. Hanc vero laudem laboris sui socio concedit, quod perfecta Gallicæ linguæ cognitione imbutus fuerit. Usu contra Anglici sermonis cum caruerit, ipsum ait hujus idioma & phrasin interdum non accurate intellexisse, at nihilo minus tamen, sensum Autoris his etiam in locis expressum esse, testatur. Ex quo concludit, elegantiæ quidem, quam severiores Critici flagitant, aliquid, nihil vero utilitatis, versioni inde detractum esse. Verum, de ipsa Arianismi Historia nonnihil commemorare, non erit a re proposita sejunctum. Nihil est hac per multa

sacræ

ſacræ hiſtoriæ Secula notatu dignius. Sicut ſcintillula, quæ non ſtatim exſtincta fuit, magno dat incendio cauſam, qua tota aliqua domus deletur; atque adeo, a vento diſſipata, univerſam incendit urbem; ita *Ariana* etiam hæreſis, in Ægypto primum orta, nec vero ſine mora oppreſſa, totam ſenſim Palæſtinam occupavit. Hinc pulſa, in omnes tandem duorum Imperiorum partes invaſit, quin etiam extra horum fines ac terminos ad remotiſſimas nationes emanavit, & omnia, quo perrupit, loca conturbavit. Narratio eſt portento, quam veræ hiſtoriæ, ſimilior, uni homini, *Ario*, in quo nihil magnum, niſi ſuperbia & malitia, elucebat, tot tantasque ſuppetias latum iri, ut factionem ſibi paucos intra annos pararet, cui maximi ac potentiſſimi faverent domini. Imperatores, Imperatrices, & horum amici, duces item exercituum, miniſtri ſtatus, illuſtres civilis ordinis viri, &, qui maximo illis temporibus loco ac numero erant, omnes, quas poſſidebant, vires eo intendebant, ut pro eo victoriam obtinerent homine, qui nervos Paganiſmi incidere, & Chriſtianiſmum e fundamentis disjicere, laborabat. Cum armis, quibus valebant, ſtrategemeta quoque, artificia, & aulicas ſociabant technas; pollicebantur præmia, & minabantur ſupplicia; vexabant etiam & excruciabant ſibi inimicos eo furore, quo tyrannos major non urſerat, quos hi novi vexatores non ita pridem in triumpho circumduxerant. Reges barbararum nationum huic cæca quadam cupiditate ſe adjungebant factioni; qui, ut veros ac genuinos Jeſu Chriſti cultores, qui meliores orbis partes incolebant, igne ferroque vaſtaverant, Arianis eas implebant. Hi tam indignis illos modis tractabant, ut Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, atque Italiam, ſibi ſubjicerent. Quid? quod ipſa quoque Roma, ſedes imperii & religionis, non ſemel huic victorum barbarorum ſuccubuit virtuti. At nec in his finibus ſe continuit Arianiſmus, verum latius ſerpſit. Ipſi illi, qui rebus ſacris præſidebant, & quorum adeo erat, huic torrenti impietatis omnibus viribus ſeſe

objicere, furorem ejus adaugebant, omni sua hanc heresin fulcientes autoritate. Patriarchæ, Metropolitani, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, & Moniales, ad hanc sectam amplificandam, & in unum corpus cogendam, conspirabant, quod alios induceret in opinionem, ac si ipsam constitueret Ecclesiam. Ac sane Episcoporum sat magnus in hac factione erat numerus, qui Concilia coegerunt, œcumenica, tantum ob numerum, ab ipsismet dicta. Ipsi recte sentientes, qui pacis imagine decepti erant, occasionem iis dederunt credendi, ac si ipsorum similes essent. Ac tantum non omnes, ad pastorum suorum sese componentes exemplum, præter opinionem in horum laqueos hæreticorum implicati sunt, non sine horrore tandem experti, re vera sese deceptos esse, secus atque putarant, & in Arianismum non opinatos incidisse. Ut sapientissimis viris, maxima pericula eluctatis, plurima metuenda essent, ab iis præsertim, a quibus nihil verebantur. Quod vero hanc historiam suavem jucundamque reddit, illud est, quod ὁ λόγος ὁ ἔνσαρκος omnes potestates, quæ ad suam divinitatem e medio tollendam conspiraverant, præclara & divina victoria vicit, exspoliavit, & in triumpho, quo nihil illustrius est, fuit, erit, duxit. Sane doctrinæ Jesu Christi ac miracula, vaticinationes & typi, qui repræsentabant ipsum, concentus Veteris ac Novi Testamenti, omnes admirationis plenæ res circumstantes, in propagatione religionis Christianæ occurrentes, admirabilis ejusdem progressus, duratio ac perfectio ejus, tot Martyres, tot Concilia, tot miracula, quæ continuo per omnia apparuerunt Secula; hæc omnia, & aliæ ejusdem generis multæ rationes, tam sunt manifesta divinitatis Filii Dei argumenta, ut nemo rationi purgatæ parens & obsequens sit, quin eam sine mora præ se ferat. Quid si vero etiam nulla exstarent, quæ hanc roborant fidem, argumenta omni exceptione majora: solæ Arianorum insidiæ, in hac Historia summa fide repræ-

repræsentatæ, eædemque tanto cum successo structæ, maxima ad convincendum virtute valerent. Qui enim ab hac erant hæresi, ii magno pollebant ingenio, calliditate, potentia, & numero: iidemque impetus suos tam fortiter, tamque sæpe, repetebant, ut, si divinitas τȣ λόγȣ, quam ex hominum animis eradicare moliebantur, illusio, & impia fraus, ac fallacia, fuisset, minime fieri potuisset, ut hæc diu perstitisset. Namque mendacium tantam vim diu sustinere nequit. Nec vero sine insigni animi voluptate legi poterit, quidnam fatale huic hæresi attulerit exitium. Illa, cum antehac, Imperatorum majestate, & victricibus Regum armis, fulta, per orbem terrarum regnaret, hodie tamen in angulo quodam Transsylvaniæ vix asylum aliquod obtinet, in quo non nimis tuto latere solet. Hæc omnia Rev. P. *Maimburgius* multis exposuit verbis in hac Historia, quam Anglice versam indicavimus. Constat ea *binis Voluminibus*, sive *Partibus*, & *duodecim Libris*. *Prior sex Libros*, *altera* vero *totidem*, complectitur. Ad utrumque *Volumen* Index adjunctus est separatus, in quo præcipuæ personæ & res, eo contentæ, nuntiantur. Ceterum in Præfatione ad *Volumen II* non malo consilio lectores monet Rev. Editor, ut *Maimburgiana* Protestantium convicia caute legant. Tanta enim animi concitatione causæ studuit Romani Præsulis *Maimburgius*, ut in rebus, ad suam religionem pertinentibus, & in iis, quæ de Protestantibus tulit, judiciis, parum promereatur fidei; quandoquidem his in momentis raro is meliori, quam audacia, & importuna conviciandi libidine, nititur autoritate, in rebus contra Arianorum describendis idoneis testimoniis usus. Ita est sane: Catholici in isto certamine, quoties cum Arianis congrediendum fuit, non ita, ut decebat, & recta lites sacras tractandi ratio requirere videbatur, semper sese gesserunt. Nimium enim a vi ac turbine pravarum animi concitationum interdum se abripi passi sunt; nec vero ab iis sibi temperarunt artibus, quas

in Arianis non immerito detestantur Protestantes; inprimis cum occasio tulit, & summos imperantes ad dura quævis & atrocia in Arianos statuenda excitare non veriti sunt. Quo loco & illud habendum, quod non modo scripta *Arii* flammis addicta sint, sed capitis etiam pœna in homines ista celaturos constituta. Rev. P. *Maimburgius* eandem nos rem suo docuit exemplo variis in locis Historiæ, a se contextæ. In Præfatione statim elicit Franciam in campum, hancque dicit in societatem ejus gloriæ ac honoris Jesu Christi venturam, si istud confectura esset monstrum. Idque tum auguratur ab ea factum iri, cum arma majorum suorum, sub *Clodovæo Magno* olim sumta, hodie resumtura esset ad hanc expellendam vi hæresin ex Galliis, ubi Visogothi eam extulerint, novam illi monarchiam constabiliendo. Nunc ad *Historiam Socinianismi* accedimus, quæ *secundi Voluminis* minimam constituit partem, eandemque separatis paginis designatam. Hæc lingua Gallica Parisiis A. 1723, suppresso Autoris nomine, prodiit. Hodie vero compertum est, *Franciscum L'Amy* eam contexuisse. Sed tam imperite in hac componenda se gessit Rever. Pater, ut mirum sit, versionis Britannicæ confectorem tantas, tamque manifestas, aberrationes sine nota censoria dimisisse. Opus ipsum in hac Anglica editione ita distinctum est, ut *XXXIV* istud *Capitibus* absolvatur, adjuncto in fine hominum indice, qui Socinismo faverunt. Compendiaria hujus enarratio cum in nostris his *Actis* nondum appareat; quid de eo judicandum sit, non alienum hic erit docere. Falleris, si copiam rerum variarum in hac requiris Historia. Sed non errabis, si candorem & accurationem historicam in ea desideraveris, ac, infinitis eandem erroribus commaculatam esse, decreveris. In *Capite I*, ubi de *ortu Socinianismi* differitur, veteris Ecclesiæ Antitrinitarios ita commemorat Autor, ut, more suo, rotundis quadrata misceat. In *Cap. II* varia recenset nomina, quibus hodie *Socini* amicos appellari contendit.

dit. Sed, quoquo nos vertimus, confusionis ubique perspicimus vestigia. Fingit nomina & explicat, sed explicatio ejusmodi est, ut tenebras luci offundat veritatis. Ait enim, Socinianos *Trinitarios*, *Unitarios*, *Tritheitas*, *Anti-Trinitarios*, *Deistas*, vocari. En alia nomina, ne fando quidem audita! *L'Amy* vult, Socinianos etiam *Pinczovianos*, *Racovienses*, *Sendomirienses*, *Cujavianos*, dici. Infirmo causam suam præsidio munit, dum, in Polonia homines ita dici, affirmat. Sit ita, a nonnullis hos ita vocari: at nondum tamen in publico hæreticorum indice ista mira leguntur nomina. Autor veritati apertum indixit bellum, quod, *Socini* fautores *Mennonitas*, *Arminianos*, *Coccejanos*, *Quackeros*, in Hollandia & Anglia hodie vocari, scitcit. Hoc qui animum inducit, rerum ignarus omnium sit, oportet. Nemo est intelligens, quin exploratum habeat, Mennonitas, generatim ac universe spectatos, multum a Socinianis differre, quanquam inter Mennonitas sint fortassis aliqui, horum scitis hominum dediti & addicti. Eadem de Quakeris ferenda sententia. Nec dubitat hodie quisquam, ex *Arminii* amicis nonnullos *Socini* etiam rebus studere. At, Arminianos omnes a *Socino* esse, & Socinianos appellari, nemo unus largietur. Injuria fit *Coccejanis*, quod inter Socinianos numerantur. Namque *Jo. Coccejus*, & omnes germani ejus discipuli, tam acriter Socinianorum erroribus sese opposuerunt, vix ut ullos alios, qui pari se virtute in hoc præstiterunt certamine, Reformatus cœtus ostentare queat. Itaque sine ulla veri specie hæc in chartam conjecit *L'Amy*. Quid? quod *Capite III* & ipsam sacrorum emendationem, a beato *Luthero*, Deo afflante, cœptam, rodere nullus dubitavit. Novam enim Socinianismi originem ab ea derivat. Socinianos, putat, nunquam antiquos in orbem revocare errores ausuros fuisse, nisi Ecclesiæ reformatio, a *Luthero*, *Zwinglio*, & aliis, inchoata, occasionem illis præbuisset. Non novum hoc est convicium, in istud opus, quo nihil divinius est, conjectum; quan-

quandoquidem ipſe Hiſtoricus *Andr. Wiſſowatium* teſtem hanc in rem citat. Verum, ſi nullum magis idoneum hujus narrationis autorem habuit, ſuæ ſapientius famæ conſuluiſſet, ſi hanc omiſiſſet fabulam. Cultiora enim non neſciunt ingenia, in Italia, illuſtri illa Papatus ſede, hæreſin iſtam natam eſſe. Primus quidem *Michael Servetus*, gente Hiſpanus, patria Tarraconenſis, errores de Trinitate, jam olim damnatos, in lucem ſacræ civitatis revocaverat, quosdam, ut fit, eorundem patronos nactus. Atque is ex *Alcorano*, & ipſis adeo Muhammedanorum ſcholis, illos hauſerat, ut *Stanislaus Lubieniecius*, *Hiſtor. Reform. Polon. Lib. II Cap. V p. 96* autor eſt. Sicut vero *Servetus* veluti proluſionem dederat aliquam Socinismi; ita hic plenius demum circa A. 1546 in agro Veneto, Vicentiæ, & in aliis urbibus, elaboratus fuit. In his enim tum temporis crebriora collegia, in quibus docti quidam viri de rebus ad religionem pertinentibus inter ſe collocuti ſint, inſtituta fuiſſe, idem teſtatur *Lubieniecius*, *Lib. II Cap. I p. 38*. Magiſtratus tandem, quo hi valerent conventus, expertus, in ſupplicium vocaturus homines erat, qui iis intereſſent. Huic ergo imminenti fuga ſe ſubducebant illi, atque ex horum numero *Lælius Socinus* fuit, patruus *Fauſti* ejus *Socini*, qui velut hæreditate acceptos errores tanta calliditate, ut erat homo vaferrimus, utique diſſeminaverat, ut Socinianæ factionis autor merito princeps & architectus cenſeatur. Ergo hæc in Italia excitata fuit a viris, qui Romanæ Eccleſiæ ſacris antehac dediti erant. Hos offenderat inſulſiſſima hujus Eccleſiæ ſuperſtitio, atque abuſus Philoſophiæ, quæ tum in Italia vigebat, Peripateticæ in iſtos errores induxerat. Atque, ut *Servetus* ex Alcorano dogmata ſua pernicioſiſſima hauſerat, ita & Unitarii Tranſylvaniæ Alcoranum, *Librum religionis ſuæ claſſicum*, appellabant. Quod ipſum cum *Fauſto Socino* objectaretur, hanc quomodo a ſe ſuſpicionem amoliretur, non habuit. Itaque ſacrorum emendatio, a magno *Luthero* ſuſcepta, nec induxit Sociniaa-

nos

nos ad conventus suos, & collegia, quæ dicebantur, pia, nec vero ullam iis præbuit occasionem. Hoc quidem dubio caret, Socinianos istud sibi arrogare laudis, ac si reformationem ad summam perfectionem ipsi evexerint. *Andr. Wissowatius* & *Stanisl. Lubieniecius*, operis citati *Lib. I Cap. IV pag. 11* in eorum sunt numero, qui istud jactitant. Sed diu jam est, quod nostrates planum fecerunt, non ad summam perfectionem, sed corruptionem potius ac depravationem, ab istis hominibus totam religionem Christianam perductam esse. Ad hoc autem, quod *Lutherus* voces, *trinitas* & *ὁμοούσιος*, adhibuit, locum *1 Jo. V, 7*, in versione omisit, in explicatione *Genes. I*, filium Dei instrumentum esse, dixit, *Es. IX* eundem *heroem* appellavit, ubi *Deum* dicere debuisset, quod denique verba: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis*, quatuor ante obitum suum annis ex Litania sustulit; sexcenties jam a nostris Theologis responsum est, ut cramben toties & ad fastidium coctam rursus apponere vereamur. Id vero mirum nobis est, quod *L'Amy* has accusationis partes ex *Christoph. Sandii Nucleo Histor. Eccles. Lib. III Sec. XVI p. 423*, sine ullo judicio historico, exscripsit, iisdem, quibus *Sandius*, usus rationibus, ut, *Lutherum* Arianum fuisse, orbi credulo persuadeat. *Rich. Simonius* interiorem beati *Lutheri* habuit notitiam. Is enim nimium Viri immortalis memoriæ fervorem, quo erga sacrosanctum Trinitatis mysterium tuendum flagret, vituperat, eique, immerenti licet, hoc vitio vertit, quod ex primis *Geneseos* verbis contra Judæos & Arianos communire voluit. Hic ergo Rev. *Lamii* civis bonæ *Lutheri* causæ patronum sese præbuit, eundemque ab Ariana erga trinum Deum impietate absolvit. Sed tota fere nobis Historia *Lamyana* exscribenda esset, si, ubi fidem decoxerit historicam, indicare, nobis propositum foret. Ac ne hæc quidem, quæ diximus, præcipiendi causa diximus, atque ita potius egimus, ut existimatores videamur loqui, non magistri.

His enarratis, binas præmissas *Introductiones*, sive *Præfationes*, Clariss. *Webfteri* breviter significabimus magis, quam declarabimus. Sunt illæ Autori cuidam oppositæ, ab eo quidem non nominato, verum recentiorum controversiarum, in Anglia agitatarum, historia nos erudit, *Arthurum Ashley Sykes* peti, quippe qui in suspicionem indifferentissimi defensi ibidem venit, eumque edito lingua Britannica libro, indice *Innocentia erroris* insignito, proposuit, cujus etiam *defensionem* in lucem prodire jussit. Hæc igitur scripta convellenda sibi sumsit doctissimus *Websterus*. Potiora *Sykesii* argumenta, quibus, innocentes in mysteriis Christianis errores esse, demonstrat, huc redeunt: 1) *Errores, quos vocat, speculativos non voluntarios esse*, contendit; 2) *horum nos errorum pænitere haud posse*, arbitratur. Unde concludit, eos puniri non posse, adeoque innocentes jure vocari. Adversarius vero ejus Clarissimus negat, ad meram contemplationem Christiana pertinere mysteria: contra vero ea extra omnem ponit dubitationem, illa ad praxin tendere, & unice comparata esse, omnia. Destructo igitur principio, consectaria etiam, hinc ducta, simul funditus evertit. Quo idem loco *positivas*, quas *Deistæ* hominem devincire negant, *Institutiones* defendit. Horum hominum, quibus abundat Anglia, hæc est opinio. Decernunt illi, sola *morum præcepta*, cum *intrinseca* valeant *bonitate*, *sua* quemvis mortalium *natura* obligare. Mysteria vero, in sacras literas relata, *positiva* vocant *instituta*, cum a divino pendeant arbitrio. Ubi Clariss. Adversarius ostendit, hæc eadem, qua illa, ratione *sapientia & bona, Deo digna, & ad salutem nostram necessaria*, esse, neque ullum recipiendum inter utriusque generis præcepta discrimen, nisi hoc, quod præcepta morum generatim ex naturæ lumine pateant; ceu a Deo imperata, *positiva* vero *instituta* expresso divino jussu innitantur. Unde, & illorum, & horum, parem dari obligationem, sciscit. Quod Clariss. *Chubb*, qui *Sykesio* favet, *speculativas*, quas vocat, *doctrinas* inde putat innocentes esse, quod ea non

sint

ſint claritate revelatæ, ut nullus errori locus ſit relictus: id hac eadem occaſione Rev. *Webſterus* diluit, & priorem finit Introductionem. In *altera* naturam dogmatis de *Trinitate* ſigillatim inquirit, &, quantum in eo momenti ſitum ſit, exponit. *Deiſtæ nexum* ejus *cum praxi* negant, atque, ad meram iſtud contemplationem redire, fatentur, *innocentiam* inde *erroris*, aut *ignorantiæ*, confirmaturi. Hoc eſt *poſtulatum* illorum religionis Chriſtianæ irriſorum, quod hic infringitur, &, dogma iſtud inprimis *practicum* eſſe, hoc demonſtratur argumento: *Deus noſter a nobis colendus eſt. Filius & Spiritus S. una cum Patre ſunt Deus noſter. Ergo Filius & Spiritus S. una cum Patre ſunt a nobis colendi.* Hoc ratiocinium uberius enucleatur & roboratur, totumque hujus ſecundæ introductionis conſtituit argumentum.

Quod reliquum eſt, eruditos monemus Lectores, *Indicem* illum *ſcriptorum, ad Socinianas & Arianas controverſias ſpectantium*, quem, Appendicis loco, adjunctum ſpondet libri inſcriptio, non confectum eſſe a Clariſſ. *Webſtero.* Rationem hujus reddit omiſſionis in Præfatione, *Volumini II* præfixa. Schedulas ſparſit in Anglia, in quibus hoc inſtitutum ſuum, quod plenus titulus promittit, nuntiavit, & ſubſcriptores deſideravit. Sed prævidere non potuit, tantum chartæ ſpatium ſolam Arianiſmi & Socinianiſmi Hiſtoriam ſibi flagitaturam. Expenſa igitur cum receptis jam ſuperiora fuerint, indicem iſtum elaborandi totum abjecit conſilium.

SAMUELIS WERENFELSII, S. S. THEOL. DOCT. ejusdemque in Academia Baſileenſi Profeſſoris, Opuſcula theologica, philoſophica, & philologica; editio altera, ab Autore recognita, emendata, & aucta Tomis duobus.

Lauſannæ & Genevæ, ſumtibus Marci Michaelis Bouſquet & Sociorum, 1739, 4.

Tomus I Alph. 3, Tomus II Alph. 2 plag. 22.

Satis ſuperque eruditis notum eſt nomen *Samuelis Werenfelſii*, nec noſtra is indiget commendatione, cum eruditiſſimis ſcriptis orbem literarium illuſtraverit, eique ingenii ſui monumentis inſignem uſum præſtiterit. Novæ editionis Opuſculorum ejus notitiam tradituri, illud inprimis curabimus, ut hinc intelligatur, quomodo hæc a reliquis editionibus differat, præſertim cum hujus Viri eruditiſſimi Diſſertationem *de Logomachiis eruditorum*, & Diatriben *de Meteoris orationis*, in *Actis* noſtris *A. 1693 Menſ. Febr. p. 53*, & *A. 1702 Menſ. Aug. p. 333*, paulo plenius recenſuerimus. Editor hujus novæ editionis eſt *Petrus Rybinerus*, Artis Logicæ P. P. in Academia Baſileenſi, avunculus noſtri *Werenfelſii*. Altera editio hæc vocatur Operum *Werenfelſianorum*, ſi ſpectes collectionem eorum, quæ Baſileæ A. 1718 prodiit; ſi vero maximam Diſſertationum, in hoc opere contentarum, conſideres partem, quarta hæc eſt editio. Nam initio pleraque ſub nomine Theſium, in cathedra Academica publice ventilatarum, lucem adſpexerunt, quæ deinde in *duo Volumina* digeſta ſunt, quorum *prius* Baſileæ ſub titulo Sylloges Diſſertationum theologicarum, *alterum* Amſtelodami, prodiit, inſcriptum *Miſcellanea*, in *duas Partes* diviſa. Poſtea hæc ipſa, quæ Baſileæ & Amſtelodami prodierunt, a Baſileenſi bibliopola junctim ſunt edita A. 1719, quibus nunc nova accedit Lauſannenſis editio, multis acceſſionibus aucta. Differt igitur omnino hæc editio multum a præcedentibus, majoremque in modum eſt locupletata. Quæ vero acceſſerunt, eruenda fuerunt ex ſchedis, paſſim disjectis, non exiguo labore. Etſi enim jam ſigillatim prodierant; tamen ſeries ſermonis ſæpe fuit turbata & transjecta, ut haud raro ſenſus fuerit turbatus. Hoc generatim de hac nova editione monuiſſe ſufficiat; ſpeciatim nunc ſingula conſiderare juvat, ut hinc appareat, quid nova priori præſtet editio. In *duos Tomos* hæc diviſa eſt; & quidem in *primo Tomo* occurrit initio Diſſertatio apologetica pro plebe Chriſtiana adverſus

Pag. 1.

verſus

verſus doctores, judicium de dogmatibus fidei illi auferentes. Romanæ eccleſiæ doctoribus hæc oppoſita eſt Diſſertatio, qui in dogmatibus fidei ſuam autoritatem interponunt, contenduntque, homines laicos non poſſe judicare de articulis fidei. Contra hos demonſtrat Autor, Chriſtianam plebem non usque adeo ineptam eſſe, ad rectum de religione judicium ferendum, quod initio probat, deinde præjudiciis & objectionibus occurrit. Jam ſequuntur hæc: 2) *de* Pag. 35.
jure in conſcientias ab homine non uſurpando Epiſtola ad D. *Nic. Wilkens*, Hamburg. Variis argumentis demonſtrat Autor, magiſtratui non licere, conſcientiis imperare, & nullum hominem, aut populum, jus habere, alterum ad aſſenſum in religione cogendi, aut propter denegatum aſſen- 57.
ſum puniendi. 3) *De præſtantia religionis in S. Scriptura revelata, bujusque revelationis neceſſitate.* Per duas partes religionis, quæ ſunt verus de Deo ſenſus, & rectus ejus cultus, probatur, in S. literis tradita ceteris omnibus 70.
antecellere. 4) Diſſertatio *de veritate miraculorum, in ſacra Scriptura narratorum;* ubi non ſolum de miraculis, quæ in genere narrantur, Autor exponit, methodumque monſtrat inquirendi certitudinem miraculorum, ſed & applicat hæc miraculis Chriſti, tandem ab objectionibus adverſariorum eadem vindicans. 5) Diſſ. *Num miracula certa ſint veritatis* 93.
ſigna. Miracula deſcribit per opera divinæ potentiæ extraordinaria, in ſenſus incurrentia, admirationemque videntium excitantia. Ex his demonſtrat, miracula per ſe eſſe talia, quæ veritatem & doctrinam confirmare poſſint; deinde etiam, poſſe ea dignoſci, probat, ex certis criteriis ab aliis miris. 6) Meditatio *de Zelo in S. Scriptura ubique* 103.
conſpicuo pro una Dei gloria. Paucis contendit Autor, omnes comminationes, redargutiones peccatorum, hiſtorias omnes, tendere maxime ad gloriam Dei. 7) Meditatio 115.
de incitamentis ad virtutem, in S. Scriptura propoſitis. Primo incitamenta ad virtutem proponit S. Scripturæ, deinde hæc comparat cum iis, quibus ethnici uſi ſunt, ad virtutem incitamentis. 8) Appendix, ubi excutitur quæſtio: *Cur* 129.

hæc incitamenta non plus efficaciæ habeant inter Christianos. Tria hic potissimum impedimenta recenset: quia ea non credunt, quæ Scriptura tradit; quia illa non ea, qua par est, attentione ad animum revocant; quia illam religionem non agnoscunt, ad quam observandam nos incitare debent.

Pag.138. 9) Dissertatio *de triplici teste, de verbo Dei testante.* Unus testis est testimonium ecclesiæ, alter testimonium S. Scripturæ, tertius testimonium Spiritus S. Trium horum testium testimonium in quo consistat, & quantum cuique sit tribuendum, hac Dissertatione explicat Autor. 10) Dis-

164. sertatio *in verba Domini: Hoc est corpus meum.* Facile possumus hic augurari, quo tendat Autor. Illud enim sibi sumit, ut ostendat, illos errare, qui præsentiam quandam realem, sive substantialem, corporis Christi, aut ex pane facti, aut cum pane conjuncti, in his verbis quærunt. Ipse vero hic nihil aliud deprehendit, quam panem esse symbolum & sigillum corporis Christi crucifixi, in S. Cœna vere exhibiti. Verborum Christi vero hunc sensum esse credit: panis substantia, idque proprie, est ipsa substantia corporis Christi. Initio itaque demonstrat, dissentientes in verbis Christi interpretandis magis errare, quam Calvinianos in ista interpretatione rejicienda. Deinde, suam interpretationem, putat, esse verbis Christi convenientiorem, quam dissentientium, ubi obiter observamus, πρῶτον ψεῦδος in eo latere, quod Sacramentum per sacrum signum describatur, unde ista nempe interpretatio oritur. Hic panis fractus est symbolum, cujus exhibitione vobis confirmo exhibitionem corporis mei crucifixi; hoc vinum poculo infusum est symbolum, cujus exhibitione vobis confirmo exhibitionem sanguinis mei, pro vobis fusi. Quæ omnia plenius edisseruntur, unde mens Autoris facile potest intelligi. Tandem vult ostendere, sensum, quem dissentientes inde eruere student, scopo S. Cœnæ non convenire, nec

200. ab Apostolis & discipulis Christi potuisse intelligi. 11) Subnexa etiam est hujus Dissertationis defensio. Nostri Lectores hoc *Werenfelsio* concedent, cum hæc singula in gratiam

tiam suæ ecclesiæ scripserit, atque cum quodam ardore defenderit. 12) Dissertatio *de adoratione hostiæ*. Pontificiis Pag. 205.
est opposita, atque recte probat, variis circumstantiis ex historia advocatis, adorationem illam sine idololatria fieri non posse. 13) Dissertatio *de Naamene Syro, ab hypocrisi* 223.
vindicato. *Naamenem*, cum petit inprimis, ne Deus id peccatis annumeret, quando cum domino suo ratione officii in domum Rimmon ad adorandum progredi debeat, non hypocritam egisse, paulo fusius monstrare studet. 14) Dis- 238.
sertatio *de loco Petri poster. Epist. Cap. I, 20*, negantis, prophetiam esse ἰδίας ἐπιλύσεως. Improbat illorum sententiam, qui *Petrum* loqui, credunt, de prophetiæ origine; illam non esse ex hominum impulsu. Mentem *Petri* potius hanc credit esse: Postquam propheticum sermonem tanquam obscurum lumen considerare jubet, addit, hoc primum scire debere auditores, omnem prophetiam Scripturæ, quæ reperitur in V. T. propriæ resolutionis non esse, i. e. omnem de Messia V. T. prophetiam ænigmaticam & obscuram esse, & ex se ipsa perfecte non intelligi, sed plenam ejus interpretationem ex alio verbo clariore esse petendam. 15) Cogitationes *de quibusdam S. Scripturæ locis* 253.
obscurioribus, ad *Jo. Alph. Turretinum*. In quibus varia circa nonnullos locos Scripturæ proponit, & philologice eosdem considerat. 16) Appendix *de Clausula orationis* 309.
Dominicæ, cum corollario, ubi potissimum hujus clausulæ γνησιότητα propugnat. 17) Dissertatio *de stilo scriptorum N. T.* Autoris de stilo N. T. hæc est sententia: Quod 311.
ad linguæ puritatem attinet, illam neque Græcorum genio, neque Grammaticorum regulis, convenire; quod ad rhetoricum ornatum, humanam eloquentiam in his libris non esse quærendam, neque tamen fastidiendum hunc stilum; mereri eum, utcunque simplicem, incultum, & quandoque, si dicere liceat, barbarum, ut plus temporis studiique ei probe addiscendo impendamus, quam elegantissime ἑλληνίζοντι & ἀττικολάτω, neque tamen etiam deesse, quæ Græcæ linguæ, atque adeo eloquentiæ, studiosus inde discere,

atque

atque imitari, possit. Nobis non deessent, quæ in hanc *Werenfelsii* sententiam moneremus, si nostri instituti ratio
Pag. 323. id in præsenti permitteret. 18) Dissertatio *de Controversiis theologicis rite tractandis.* Hæc est Oratio, quam recitavit Autor, cum Professionem controversiarum auspicaretur. A novo Editore in hunc locum est posita, & exordium additum, quod Autor tunc apposuerat. In priori editione inter *Miscellanea* erat rejecta, & *p. 575* legeba-
342. tur. 19) *De Scopo, quem sibi Interpres S. Scripturæ proponere debet.* Non solum docte de scopo vero disse-
357. rit, sed etiam falsos confutat. 20) Dissertatio *de Scopo doctoris, in Academia S. literas docentis*, ubi partim monstrat, quid omnium, qui in Academiis docent, verus scopus esse debeat, partim quam noxium sit Ecclesiæ, ubi ab vero
375. scopo deflectimus. 21) *De recto Theologi zelo* Oratio. Hæc in nova hac editione primo accessit. Distinguit Autor cœcum & rectum zelum Theologi, quem postremum ita describit, ut Theologus effervescat, quando clare & distincte cognovit, pro quo, contra quid, & quare, effervescat, quodnam & quale sit illud dogma, cujus defensionem, aut refutatio-
387. nem, tanto animi ardore suscipiat. Singula exemplis illustrat. 22) Dissertatio *adversus carnalem securitatem.* Demonstrat Autor potissimum periculum, in quo peccatores impœni-
401. tentes jacent, causasque hujus securitatis aperit. 23) Meditatio *in Psalmum III*, cum ejus *paraphrasi.* Hæc in hac editione apparet primum, atque inventa est inter fragmenta lectionum publicarum, coram studiosis habitarum eo tempore, quo Autor V. T. erat Professor. Occurrunt hic tantum *Psalmi* succincta paraphrasis, & piæ cogitationes Autoris, occasione hujus *Psalmi* excitatæ. 24) Cogita-
413. tiones generales *de ratione uniendi Ecclesias protestantes*, quæ vulgo Lutheranarum & Reformatarum nomine distingui solent, ex Germanico in Latinum conversæ. Hæ Cogitationes in editione Basileensi claudebant Dissertationes theologicas. Non hic attinguntur dogmata particularia inter Protestantes, sed tantum generaliora. Inprimis disquirit Autor, qualis Protestan-

testantium pax & conjunctio quærenda sit, & quid requiratur, ut ad eam perveniamus. Ad hujus rei confirmationem subjiciuntur nonnulla Reformatorum Theologorum judicia. Quæ in hoc *Tomo I* adhuc sequuntur, omnia in priori editione desiderabantur. Sequitur enim 25) Dis- Pag. 431.
sertatio *de ratione uniendi Ecclesias protestantes*. Hæc inter Autoris schedas inventa, & in ordinem redacta est, scriptis *Werenfelsii* Henoticis annumeranda. Id enim agit, ut pacem suadeat inter Ecclesias protestantes, &, quomodo possit ea obtineri, ostendat. Præterea demonstrare studet, non esse dissensum harum Ecclesiarum fundamentalem; quod ipsi propter Ecclesiæ suæ hypotheses est ignoscendum. 26) Apparet Quæstio 463.
de ministris ad sacrum munus admittendis, ex Germanico in Latinum conversa. Quæritur hic inprimis: Num hominibus jus competat, eos, quos in rebus, ad essentiam fidei non pertinentibus, errare judicant, ob solos ejusmodi errores a S. Ministerio excludendi; id quod simpliciter negatur. 27) Scrupulus de prædestinatione, ex 475.
Germanica in Latinam linguam translatus. Composuit hoc scriptum Autor in gratiam amici, ut illum adduceret ad doctrinam de prædestinatione parcius & cautius in concionibus suis tractandam, quod auditores is haberet non jam conversos, sed plerosque a conversione alienos, qui in concionibus non tam docendi sint, cui conversionem suam adscribere debeant, quam adhortandi, ut conversionis mediis strenue utantur. Quos vero scrupulos ejusmodi Ecclesiastes excitare possit in irregenitis, demonstrandum sibi sumsit Autor hac scriptione. 28) The- 481.
ses aliquot *de gratia convertente*, in quibus Protestantes convenire possent. Et tandem 29) de gratuita 484.
peccatoris justificatione. Octo itaque sunt momenta, quibus hæc nova editio, quod ad *Volumen I* attinet, locupletior est priori, eaque fere omnia ad unionem ecclesiarum spectant. Ad *alterum* itaque *Volumen* horum opusculorum progrediendum est, in quo 1) apparet Dissertatio *de Logo-* 1.

 machiis

machiis eruditorum, cujus notitiam alio in loco plenissi-
Pag. 117. mam dedimus, ut supra indicavimus. 2) Dissertatio *de su-
perstitione in rebus physicis*, ubi varia confutat, quæ præ-
128. judicia in rebus physicis habere solent homines. 3) Se-
quitur Epistola brevis ad *Paulum Rebouletum*, Pastorem
cœtus Gallici, qui Tiguri colligitur, quæ in priori editione
130. non invenitur. 4) Dialogus *de finibus mundi*, qui *Cartesii*
148. sententiæ opponitur, in priori autem editione *p. 683* legitur.
5) Theses *de figura mundi*, ubi 1) demonstratur, esse figu-
153. ram mundi, 2) qualis illa sit, docetur. 6) Meditatio de Ato-
170. mis, ea, quæ de his alias solent disputari, breviter comple-
ctens. 7) De tempore assertiones & quæstiones. Proponit
in genere Autor nonnulla de tempore, & ejus natura, variis
179. quæstionibus simul de eo in medium allatis. 8) Dialogus
183. *de animæ immortalitate*. 9) Philosophiæ moralis specimen,
paucis thesibus contentum, quibus Theologia moralis in
188. compendio proponitur. 10) Theses ex variis Philosophiæ
195. partibus. 11) *Idée d' un Philosophe*, Gallico sermone pro-
198. posita. 12) Judicium de argumento *Cartesii* pro existentia
Dei, petito ab ejus idea. Fundamentum Philosophiæ *Car-
tesianæ* hoc erat; Deus verax existit, qui me in iis, quæ clare
& distincte percipio, non fallit. Sed habet Cel. *Weren-
felsius*, quæ contra hoc argumentum *Cartesii* moneat, &,
213. quo vitio laboret, demonstrat. Sequuntur quoque 13) Vin-
239. diciæ judicii de argumento *Cartesii* contra Epistolam apolo-
geticam pro hoc argumento. 14) Prælectio de stultitia
atheismum profitentium. Initio probatur, illos, qui atheis-
mum profitentur, toti generi humano esse inimicos, secun-
252. do, atheismum superstitione longe esse perniciosiorem, ter-
tio, atheos esse hostes sui ipsorum. 15) *De existentia Dei
Prælectiones*. Ante omnia contendit Autor, dari ens inde-
pendens & æternum, a quo omnia entia dependent. Deinde
probat existentiam Dei 1) ex ordine, qui in mundo obser-
vatur; 2) ex pulcherrima creaturarum structura, earumque
admirabili partium dispositione; 3) ex fine, quia omnia in
mundo ad certum finem tendunt, a creatore intentum;

4) ex

4) ex contemplatione mundi spiritualis, & ex admiranda mentis humanæ cum corpore unione; 5) ex appetitu felicitatis, & conscientia hominis; 6) ex innumeris providentiæ divinæ indiciis, quæ passim in historiis inveniuntur; 7) ex providentia, quæ singulos homines spectat; 8) ex variis, quæ in Scriptura continentur. Refutatur etiam *Epicuri* sententia, qui, mundum ex concursu atomorum produ- Pag. 292.
ctum fuisse, statuebat. 16) Examinatur quæstio, utrum Theologia sit theoretica, an mere practica, an theoretico-practica. Disceptationes de Theologia, num sit theoretica, aut practica, aut theoretico-practica, meram logomachiam esse, arbitratur, pro diverso respectu; sed alio sensu rem etiam magni momenti hanc quæstionem esse: num is Theologus sit, qui mere practicus, an is, qui mere theoreticus, an utrumque requiratur. Respondet Autor, praxin Theo- 298.
logiæ niti debere sana theoria. 17) Examinatur quæstio, utrum habitus Theologiæ, qui debet esse in ministro ecclesiæ, an, qui esse debet in Doctore Academico, plura requirat. Vulgo respondetur, plus ad doctorem in Academia, quam ad ministrum in ecclesia, requiri; sed rationes profert Autor, quibus contrarium prorsus probare an- 302.
nititur. 18) Dialogus *de concursu Dei cum creaturis*. 19) Dissertatio *de libertate hominis, ad imputationem actionis requisita*. Exponit Autor, omnium ejusmodi libertatem requiri ab homine, ut actio homini possit imputari, 314.
quod alias fieri non posset. 20) Theses *de primi hominis lapsu*, quibus monstrat, quomodo homo, a Deo integer 316.
creatus, labi potuerit. 21) Monitum Autoris ad quosdam, dubii de prædestinatione, in *Tomo I* propositi, solutionem tentantes. 22) Cogitata *de privata peccatorum confessione*. Vult calumniam Pontificiorum retundere, qui invidiam Ecclesiæ Reformatæ conflare student, quod nullam confessionem privatam admittat. His clauditur *Miscellaneorum Pars prima*. Omnia, quæ a *num. 14* memoravimus, in hac editione primum occurrunt; reliqua in priori alio in loco erant posita.

Pars altera horum *Miscellaneorum* continet
Pag. 329. 23) Lectiones hermeneuticas, sive de arte inter-
pretandi Scripturam S. Hæ Lectiones quondam a *We-
renfelsio* sunt habitæ, cum Professor V. T. esset, ab Edi-
tore, ejus permissu, nunc evulgatæ. Ita vero progreditur,
ut primo dispiciat, num Scripturæ sensus certo possit co-
365. gnosci, deinde, cujus generis sit hæc certitudo, denique,
quomodo & quibus mediis hæc certitudo obtineatur.
391. 24) Dissertatio *de Loquela*, ubi philosophice loquelam ho-
415. minum considerat. Hæc in priori editione legebatur
443. *p. 741 seq.* 25) *De Meteoris* Dissertatio, de qua alibi
455. dictum. 26) Vita *Jo. Jac. Buxtorfii*, funebri Oratio-
ne delineata. 27) Oratio *de Comœdiis*, quarum patro-
cinium quadam ex parte in se recepit. 28) Oratio *de
464. fide hæreticis servanda*, qua demonstratur, Ecclesiæ Ro-
473. manæ non fieri injuriam, cum dicatur, contrariam huic
481. doctrinam & praxin in ea sæpe obtinuisse. 29) *De vera
studiosorum Academicorum libertate.* 30) Oratio *de
studio veræ gloriæ non contemnendo.* Tres ultimæ Ora-
tiones in hac editione primum accesserunt. Omnia
claudit, uti etiam in priori editione, Fasciculus Epi-
grammatum, auctus tamen, & nova Præfatione ab Autore
ornatus. Et hunc, & priorem, *Tomum* Index rerum locu-
pletissimus ornat. Facile vero ex his, quæ diximus, ap-
paret, hanc editionem multis priorem vincere, variis in-
genii monumentis *Werenfelsii* huic adjectis; ut chartæ ele-
gantiam & editionis splendorem taceamus.

*HISTORIA JACOBITARUM, SEU COPTO-
rum, in Ægypto, Libya, Nubia, Æthiopia tota, & Cypri
insulæ parte, habitantium, opera JOSEPHI ABUDAC-
NI, seu BARBATI, cum annotationibus JOANNIS
NICOLAI, Antiq. olim in Academia Tubingensi Prof.
Cel. Vulgavit nunc primum ex Bibliotheca sua
SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.*

Lugdu-

Lugduni Batavorum, apud Joannem Hasebroek, 1740, 8.
Plag. 15 ½.

Abudacnianus libellus Oxonii A. 1675 formis publicis primum fuit descriptus. Recudendum curavit eum Vir Cel. *Jo. Henricus a Seelen* Lubecæ A. 1733, paucasque adjecit annotationes. Quam editionem succincte enarravimus *Supplementorum ad Acta Eruditorum T. X Sect. X p. 467 seq.* Utinam vero liber *Abudacnii* esset plenior! Autor certe de *Jacobo* Patriarcha nænias congessit, in cerimoniis describendis justo concisior. Arcanas sectæ technas & disciplinam internam, animique per eam emendandi rationem, Theologiam dogmaticam asceticamque, ne quidem attigit. Circumcisionem leviter *Cap. X* memorat, Coptis usitatam. Plura alia concise nimis exponit. Nævos hosce & lacunas supplevit & emendavit *Joannes Nicolai*. Operæ itaque pretium fecit *Haverkampus*, eruditi orbis ornamentum perenne, dum hujus viri olim diligentissimi notas uberiores ex Manuscripto protraxit in lucem. Inscripsit libellum Viro Clarissimo ac Pl. Rev. *Alberto Schultens*, tunc viventi, & insignis famæ suæ fructibus gaudenti, nunc autem a Superis ad cœlestes sedes translato. Dolendum sane est, Manuscriptum in fine fuisse mutilum, discerptis paucis ibidem foliis, atque deperditis. Juvat paucula ex annotationibus *Nicolai* huc transferre.
Marcum Alexandriæ Evangelium enuntiasse, existimat, Pag. 5.
anno Christi nati 49, *Eutychii* testimonio innixus. 8.
Alexandriæ Academiam exstitisse celeberrimam, docet. Stilum stringit in Theologos, qui Philologiam & Philosophiam flocci pendunt, quorum argumenta ficulna refellit,
desumta ex genere vitæ Apostolorum, eorumque de spuria 12.
Philosophia documentis. Ἄσκησιν non ad monachos so- 13.
los spectare, sed *exercitium pietatis* esse, omnibus communem, & pro diversa vitæ ratione excolendum, docet. Ascetas vocant Arabes *Alzuphin*, unde *Sophi* est, puræ religionis homo, ac in melius reformatus. Turci etiam Monachos vocant *Al-Sufi*. Annotator, *Scaligerum* errasse, 14.
monet, existimantem, originem Epactarum temporibus *Dio*-

cletiani antiquiorem haud eſſe, indicans ex *Eutychio Ale-*
xandrino, cyclum 19 annorum paſchalem, & Epactas, a *De-*
Pag. 16. *metrio*, Patriarcha Alexandrino, imperante *Severo*, eſſe illum
inventum, has adhibitas. Martyria Chriſtianorum, ab eo-
dem *Severo* & *Diocletiano* profecta, graphice delineat. Vo-
18. cem *Æra* deducit ex initialibus vocum *annus erat Auguſti*,
quæ tamen eſt Arabica, Coptis quippe frequens. Æram
Diocletiani recte ad annum 284 affigit, vocatam alias *Æ-*
ram Martyrum. Alii, eam A. 302 cœpiſſe, docent, quam
26. opinionem jam *Scaliger* evertit. De *Ario* annotator in-
texuit haud tralatitia. *Eutychios* Epiſcopos enumerat ſex,
27. & *Eutyches* duos. Archimandritam eſſe Abbatem *μάν-*
29. *δρας*, ſeu *monaſterii*, ſignificat. Alibi *mandra* eſt rece-
ptaculum ovium, boum, pecudisque alius, ſeu ſeptum. *Eu-*
tychis hæreſin eſſe dubiæ fidei, pronuntiat. Dioſcuros
Epiſcopos enumerat octo. Ille, ad quem *Eutyches* per-
fugit, extitit Epiſcopus Alexandrinus, a *Chryſaphio* ſuble-
vatus aulicisque nonnullis. Quare reſtitutus fuit *Euty-*
33. *ches*, *Theodoſio* imperante. Pauca habet annotator de *Ja-*
cobo Barradienſi Syro, ob tenuitatem ſuam *Zanzali* no-
men indepto. *Eutychianos* Chriſtum reputare & Deum
& hominem, non inficiantur *Photius*, *Joannes Clericus*, &
de Maillet in *Deſcription de l' Egypte Parte II p. 68*, vo-
cem vero *naturarum* horrere, ſiquidem *natura* & *perſona*
34. ipſis eſt res una. Sedem patriarchalem Alexandrinam per
annos 97 continuos tantum a Jacobitis occupatam fuiſſe,
annotator docet ex *Elmacini Hiſt. Arab. p. 84*, & Epiſco-
pos *Eutychianos* recenſet. Eutychianiſmo faviſſe, addit,
35. Imperatores, *Leonem Parvum*, *Zenonem Iſauricum*, &
Anaſtaſium. *Juſtinus* vero Thrax cum filio concilium
Chalcedonenſe confirmavit, abdicato Archiepiſcopo Ale-
38. xandrino Jacobita. Imperante *Juſtiniano*, orthodoxi
appellati fuerunt Melchitæ. Jacobitæ, a præfectis Im-
40. peratorum durius habiti, defecerunt tandem ad Sarace-
nos, *Heraclio* ſummam rerum tuente. Annotator te-
ſtamentum a *Muhammede* initum cum Chriſtianis cre-
dit,

dit, idque habet, licet refragante *Hugone Grotio*, pro genuino. *Jacobum*, *Severi* discipulum, autore *Patricide* Pag. 44.
credit dictum *Baradæum* a *Barada*, Arabica voce, quæ 52.
designat laciniam strati, jumentis imponi soliti, qua *Jacobus* traditur fuisse vestitus. *Severus* ille fuit Patriarcha Antiochenus, *Anastasio* imperante. Jacobitas damnare *Eutychen* tanquam hæresiarcham, monet. Videntur nævi typothetici passim exstare in hac editione nova. *Daradæus* certe legitur loco *Baradæus p. 52 lin. 5*, & *differre*
loco *dici Jacobitæ p. 54 lin. 10.* Omittimus alia, & ad 66.
Annotatorem revertimur, qui de martyrio *Marci* Evangelistæ, ad A. 63, 30 Apr. referendo, disserit, ac *Dorotheum*,
Trajani ævo id vindicaturum, confutat. *Aniani*, qui 69.
Marco successit, opificium sutorium ac genus conversionis,
a *Marco* instillatæ, recenset. In doctrina *Severi*, Archi- 71.
episcopi Antiocheni, exponenda est assiduus & longus. *Baronius* ipsi vapulat, qui ex *Herodoto* voluit dignitatem *Pa-*
triarcharum deducere. *Papam* Ægyptii vocarunt Patriar- 73.
cham Alexandrinum inde ab ætate *Heraclii*. Addit An- 75.
notator ea, quæ ad Archiepiscopi Alexandrini munia & 83.
dignitatem spectant, significans, primates eis in urbibus constitutos esse a Christianis, in quibus olim penes gentes archiflamines eminuerint. Coptitarum Patriarcha quandonam sedem suam Alexandria Alcaharam transtulerit, definire haud audet Annotator. Per τὰς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ πάντας, *omnes in provincia*, qui eligere debebant Episcopum
ac constituere, per Canonem 4 Synodi Nicænæ, designatos 93.
credit *Episcopos*. Liceat intelligere eos, qui ecclesiam particularem repræsentabant, clericos & laicos. Hi enim Episcopos olim elegerunt, siquidem in se *Cyprianus* electionem hujusmodi adscribit traditioni divinæ ac Apostolicæ *Ep. 6.* Mirum profecto, eos, qui continuo ad *traditiones* provo-
cant, hanc negligere. Egregia sunt Annotatoris hæc: *Ali-* 96.
ter res habet apud Jacobitas, ac apud nos, in personis ecclesiasticis eligendis. Illæ enim reluctabantur, quando sparta ecclesiastica ornari debebant. Nos autem non vi

cogi-

coginur, sed sponte currimus, sæpe etiam dolum adhibentes, nihil æstimantes periculum, quod huic muneri adjunctum. Credimus inter hæc, reluctationem eorum, qui a Jacobitis eliguntur Patriarchæ & Episcopi, fictam & patrio more traditam esse magis, quam veram. Partes ædium sacrarum Copticarum convenire cum partibus templi Judaici & Hierosolymitani & Heliopolitani, Annotator solicite

Pag.108. solideque ostendit. Imaginem in honorem Jesu ab Hæ-

111. morrhousa fuisse positam, credit, quam fuisse *Hadriani*, *Theodorus Hasæus* probabilissime demonstravit. Imperante *Diocletiano*, imagines privatim Christianos habuisse domi, ex Autore *de Persecutionibus Martyrum* innotescit. Ipsas vero in templa medio demum Seculo quarto fuisse locatas, comprobat testimoniis Annotator, ratus, *Pontium Paulinum*, Nolæ Episcopum, exstitisse primum, qui in templis historias sacras curaverit pingendas. Baptisteria fixa

113. jam Seculo IV cœpisse, docet. Diei Sabbati solennitatem, inter primos Christianos celebrati, nudipedalia, dormitionem in templis, storeas, vel tapetas, dormientium, completorium, chorum templi, convocationem per Clericum, cinctionem per cingulum, hymnos matutinos, eorumque usum priscum, horarum canonicarum antiquitatem, missæ celebrationem Copticam, prostrationem in humum, suffitiones, ac liturgias Coptorum, mira luce perfundit. Viros olim in templis, præcipue Constantinopolitano, & adhuc apud Coptos, a fœminis discretos sejunctosque esse, copiose docet.

124. Nullum thuris usum in publico Ecclesiæ cultu adhibitum

134. fuisse ante *Constantini M.* ætatem, contendit. Offerunt ad penetrale sacrum Copti panem, vinum, & aquam, docente Nostro. Jacobitas pro Sanctis defunctis preces re-

136. citare publicas, affirmat. A Coptis transsubstantiationem Pontificiorum approbari, negat, fassus tamen, eos vocibus *conversionis* & *immutationis*, scilicet in usum sacrum, uti.

137. Adoranda esse symbola eucharistica, negat. De indusio

146. sacro, colobio, & lebitonario, id est, tunica manicis carente,

148. fusius differit. De pallio succincte agit. Cucullum mona-

sticum

sticum describit, & æri incisum repræsentat. Morticina Pag. 151.
Judæis, Muhammedanis, & Coptis, edenda haud esse, tra-
dit. Recenset gentes, quæ ab esu suillæ abstinuerunt, Ara- 153.
bas, Phœnices, Ægyptios, Ebræos, Coptos Christianos, &
Abassinos. Ad septem Jacobitarum Sacramenta plenam
admetitur lancem. *Lombardus* inter Latinos primus hunc 157.
septenarium Sacramentorum invexisse eidem videtur. *Eu-* 159.
genius IV in Concilio Florentino eum tandem numerum
approbavit. Utramque eucharistiæ speciem Patres distri- 160.
buisse Christianis, vel inde patet, quod infantes Græcorum
ex illorum consuetudine utramque speciem accipiunt præ-
bitam. De susceptoribus baptismalibus doctissime com- 165.
mentatur Annotator. Eorum originem in Seculo jam pri-
mo quærit. *Tertullianus* certe jam eorum meminit in
libro *de Baptismo Cap. 18.* Exorcismum baptismalem 170.
approbat, ac autoritate *Ambrosii T. IV Lib. I de Sacramen-
tis Cap. 5 pag. 531* munit. De circumcisione, Jacobitis fa- 178.
miliari, ad fœmellas etiam transeunte, breviter dicit. Con-
firmationem infantum apud Græcos differre a Latina, osten-
dit. Illam fieri paulo post baptizationem oleo sacro, seu 181.
chrismate, curate tradit. Annotationum harum selectissi-
marum materies ad *Caput* usque *12* procedit. Reliquarum
fasciculus interiit maximo cum eruditiorum dolore. Si
tamen dicere licet, quod res ipsa flagitat, in annotationibus
ipsis passim aliquid desideratur tum ad rem ipsam enuclean-
dam, tam ad flumen orationis. Videtur enim ultima
scripto defuisse lima. Scriptores nonnulli, qui ad testi-
monium, vel lucem majorem conciliandam, citantur, sunt
vilioris metalli. Editionem vero hanc infestant nonnullæ
interpunctionum intermissiones, vel turbationes. Nævos
typotheticos annotavimus sequentes. Legitur *contradictio-
rem* pro *contractiorem* pag. 74 lin. 28, *nullos* pro *multos*
p. 72 lin. 1, *vix* pro *bis* p. 77 lin. 16 *superioritatis* pro *su-
perioris* p. 81 lin. 31, *nomina* pro *nomen* p. 83 lin. 2, *Sely-
nus* pro *Selimus* p. 84 lin. 21, *summa lucrari poterint* pro
summam lucrari poterunt p. 88 lin. 12, *frida* pro *feida*,

& *fre* pro *fe* p. 89 lin. 1, *insulæ* pro *insula* p. 102 lin. 16, *injectas* pro *contectos* p. 102 lin. 30, *accepestis* pro *accepistis* p. 103 lin. 34, *parentum, præceptorum* pro *parentum & præceptorum* p. 104 lin. 24, *aliosque* pro *aliique* p. 104 lin. 30, *vaìs* & *vaςθεξ* pro *vaòs* & *váςθηξ* p. 107, *usque* pro *sua* p. 111 lin. 26, *inquivendum* pro *inquirendum* p. 112 lin. 21, *Tuffstein* pro *Tauffstein* p. 113 lin. 27, *regidissime* pro *rigidissime* p. 119 lin. 16, inter *affirmatur* & *ubique* interponendum est *nam* p. 120 lin. 23, *conjungantur* pro *conjunguntur* p. 120 lin. 25, *debebat* pro *debebant* p. 122 lin. 31, *vobis* pro *nobis eam* p. 122 lin. ult. *Schmidl.* pro *Schindl.* p. 143 lin. 17, *inducerunt* pro *induerunt* p. 144 lin. 11, כהנה *chechonet* pro כתנת *Chethoneth* p. 145 lin. 13, *Pachonii* pro *Pachomii* p. 147 lin. 5, *caventis* pro *carentis* p. 149 lin. 27, *admiscit* pro *admiscet* p. 163 lin. 25, *alterum* pro *alteram* p. 166 lin. 22, *aliisque* pro *aliique* p. 174 lin. 17, *candibus* pro *candidus* ead. pag. lin. pen. *manibris* pro *manibus* p. 203 lin. 14, &c. Desideramus apodosin *p. 78 lin. 8 seq.* &c.

JOANNIS NICOLAI, ANTIQUITATUM quondam in Academia Tubingensi Professoris celeberrimi, Annotationes ad Libellum Dom. Fleury, præceptorem Domini De Vermandois &c. de Moribus Patriarcharum, ex Bibliotheca SIGEBERTI HAVERCAMPI.

Lugduni Batavorum, apud Joannem de Hasebroek, 1740, 8. Plag. 16.

Editor hunc fascem literarium Viro Nobilissimo & plurimum Reverendo, *Jo. Laur. Mosbemio*, Viro sine controversia summo, in amicitiæ tesseram dicavit ac inscripsit. Operæ pretium tulit idem, cum opusculum hoc in lucem protraxit. *Florentius (Fleury)* scripserat istum quidem libellum Gallice, addita disquisitione *de Moribus Israelitarum.* Cel. quondam Vir, *Joannes Nicolai,* Latine Opusculum prius vertit, notisque suis illustravit.

Eidem

Eidem conatui ad opusculum posterius interpretandum, & copiosius exornandum, sese addixit, eventu tamen infausto. Nam vel intercidit iste fœtus, vel, Autore operi immortuo, is ulterius haud processit. Invenit lætiori sidere Editor etiam libellum *Nicolai de Balteis veterum*, quem ipse olim in Italiam ad Editores *Supplementi Thesaurorum Romanorum & Græcorum*, ut illam augeret collectionem, transmisit; tunc vero, cum ederet hunc *Nicolai* librum, quam maxime versabatur in commentandis numis Imperatorum duodecim, qui primi in ordine habenas vasti illius imperii tenuerunt. Opus hoc, postea editum, constat *Voluminibus II*, ita ut *alterum* ipsas tabulas numismatum *Morellianorum*, alterum *Haverkampi* ad illas Commentarios, contineat. Jam vero nobis cum *Joanne Nicolai* res erit. Hujus epistola, qua Cel. *Christophoro Matthæo Pfaffio* annotationes & metaphrasin suam inscripserat, ex manuscripto hic simul prodiit. Ex ea perspicitur, Annotatori haud displicuisse *Godofredi Arnoldi Hæresiologiam:* ipsius in medullis fuisse *Joannem Henricum Majum*, ex *pag. 3* discimus. Discrimen illud, quod inter mores Patriarcharum & nostrorum hominum intercedit, tum *Florentius*, tum *Nicolai* largius, edisseruit. Posterior monuit, statuum discrimen omnino exstitisse inter Patriarchas *pag. 8*, licet omnes hi agriculturæ reique pecuariæ operam dederint. Inter ipsos opiliones exstitit differentia, siquidem *Doeg* princeps pastorum *Sauli* fuit, ac ipse *Saul* exstitit agricultor. Munditiem & immunditiem animalium *Nicolai* non a pecudum natura, sed ab institutione Dei, arcessit. Quod vero judicat, Patriarchas credidisse, peccatum lustratione amoveri posse, in eo nobis videtur hallucinatus. Indubie enim illi altius quiddam in eo ritu respexerunt. Sacrificia gentium prima fuisse minus cruenta, solide *Nicolai* evincit. Egregia sunt illa *Florentii: Ex his pastoribus & agricolis, quales in historiis Patriarcharum conspicimus, pecuniæ haud cupidis, nec honorum avidis,*

Pag. 5. seq.

12.

16.

 facil-

facillimo negotio plures Christianos quis formare potuisset, quam ex nostris aulicis, causidicis, & ejusmodi hominibus, qui maximam partem vitæ in otiosa & inquieta
Pag. 23. *paupertate consumunt.* Annotator lectorem remittit ad librum suum, cui inscriptio: *Princeps Christianus ex Sacra Scriptura.* Conditionem Patriarcharum a nobilitate & simplicitate victus, laborumque tolerantia, commendat.
34. In pronuntiato *Abrahami*, quo hic *Saram* pro sorore sua venditavit, geminum fuisse peccatum, unum fuci, alterum neglectæ uxoris, monet. *Augustinum*, putat, ut Manichæis acrius obsisteret, in *Abrahamo* a nævis liberando fuisse multum. Patriarchis haud placuisse nutrices præter uxo-
40. res, graphice monet, lac meretricum vitiis esse fœcundum,
46. opinatus. *Abrahamum*, credit, appellatum esse *Ebræum Gen. XIV*, 13, quia ab *Ebero* fuerit institutus ac informatus. At exempla desunt. Indicatur locus, vel gens, per עבר, ac inde factum est gentile עברי. Habitavit *Abramus* tunc in *citeriori regione* ad fluvium quendam. Jucunda sunt, quæ de modo, quo probabiliter erudierunt Patriarchæ suos posteros, proferuntur ab Annotatore, rato, Patriarchas
56. dixisse preces & stantes, & incurvantes corpus, & humi cubantes, & certa tempora plerumque servantes. Probabile existimat, artem scribendi ante diluvium fuisse inventam, *pag. 69*, immo *Adamum* literas habuisse. Distinguendum esse credimus inter notas, rem unam semper indicantes, & inter literas. Illas putamus esse originis antiquissimæ, ideoque in rebus sacris diu retentas; has vero divinitus *Mosi* demum traditas fuisse. Cur enim alias Deus diceretur priores decalogi tabulas scripsisse? Annotator vero credit,
67. literas quoque jam ante *Mosen* fuisse inventas, octo argumentis usus, quæ tamen non sunt ita comparata, ut Mar-
71. pesiæ cautis instar subsistant. Aram ab altari haud differre, credit, licet alii, altaria superis Deis sacra, aras inferis dicatas, sibi persuadeant. De constructione altarium antiquissima edisserit potiora. Ipsa e cespite & lapidibus im-
73. politis olim facta, fusius docet. Significatum scalæ, *Jacobo* appa-

apparentis, multiplicem e scriptoribus variis adducit, ratus tandem, notari emblema fœderis gratiæ in Christo, laudansque locum *Jo. I, 52.* Conferenda est *Diss. II & III Frid. Ad. Lampii Vol. I Dissertationum* ejus *philologico-theologicarum.* Ex lapide, opera *Jacobi* uncto, Pag. 88.
orta fuisse βαιτύλια gentium, suspicatur. *Consecrationem* ad rem animatam & inanimatam pertinere, *dedicationem* ad inanimatam, refert. Obiter notasse liceat, in vocibus Ebraicis passim typothetam nævos admisisse. Incidimus quoque in latinitatem minus tersam opinione nostra crebrius. *Florentii* vox *une maxime* retenta fuit a *Nicolai*, reddita per *Maximam.* Legimus *pag. 96 lin. 11*: *Non adhærere penitus a vero, crediderimus.* Res ipsa exigit, ut legatur *non abhorrere. Effari* passive positum *p. 99* 106.
lin. 15, limæ mansit expers. Sed redeundum ad solidiora. *Abrahamum* exstitisse Regem, Annotator docet ex *1 Par. XVI, 21, 22*, atque ex *Gen. XXIII, 6.* De fœderum pan- 116.
gendorum ritibus priscis docte commentatur. Ad statum Patriarcharum monarchicum, ad opes & occupationes eorum, ad frugalitatem ac parsimoniam eorundem, exquisitissimas ex omni antiquitatis penu dapes profert. Non est, quod signa mundorum animantium ex eo huc transferamus. Ruminationem & divisionem ungularum mysti- 137.
ce exponit de quotidiana & assidua verbi divini tractatione, firmoque secundum præscriptum Dei incessu. Suspicamur, Deum respexisse ad sanitatem edentium ex animantibus. Chilus enim ruminantium videtur melior & subactior. Suem in numero immundorum animantium fuisse, putamus, eo quod in Ægypto ac Palæstina lepræ erat subjectus ac insalubris. Pecuniam signatam *Abrahami* jam ætate in usu exstitisse, tum *Florentius*, tum *Nicolai*, existimavit. At 157.
loca *Gen. XXIII, 16*, & *XXIV, 22*, id ipsum haud ponunt extra controversiam, de argento rudi explicabilia. *Grave æs* Annotator de numerato ac signato interpretatur, statera 163.
librari solito. Peregrinationem inter משך, *mesech, Ps. CXX* commemoratam, exponit appellative per *extensionem*, &

 dila-

Pag.173. *dilatationem.* Idem voci רעה affigit notionem *errandi & divagandi*, adductus loco *Num. XIV*, 3, quo feruntur *filii Israelitarum* fuisse רועים *in deserto* במדבר *per* 40 *annos.* Verum quis inficiabitur, Judæos pavisse greges boum &
177. ovium locis Arabiæ incultioribus? Locum *Phil. III*, 20, Annotator pie & solide exponit. Procera Patriarchas exstitisse statura, *Florentius* existimavit. Annotator vero cal-
204. culum ei album adjicere recusat, licet Græci Poetæ antiquissimi sic finxerint. Plures ducere uxores Patriarchis li-
213. cuisse, *Florentius* contendit. Annotator vero id negat, largitus, dari jus divinum positivum universale, quod, quia deest promulgatio universalis, suffragiis eruditorum communibus merito exploditur. Omittimus jam cetera, nostro defuncti officio, gratiisque Manibus Editoris pro studio publicæ luci eruditorum inserviendi indefesso actis, hic subsistimus.

RITI, E COSTUMI DEGLI EBREI CONFUTATI, &c.

id est,

RITUS ET CONSUETUDINES EBRÆORUM confutatæ per Doctorem PAULUM MEDICI, Autorem Dialogorum de divina Scriptura, cum accessione Epistolæ ad universos de Judaismo, concinnatæ & locupletatæ cogitatis NICOLAI STRATTA, antea Rabbini, postea autem Catholici Romani.

Venetiis, apud Antonium Bartoli, 1740, 8.

Alph. 1.

Autori lubuit exhibere orbi Christiano monumentum ejus vicissitudinis, qua ipse, religione Judæorum missa, sacra Christi & Pontificis Romani amplexatus fuit. Ipse profecto nomen est in republica literaria haud ignotum. Edidit enim Paraphrasin in universa Biblia, *Tomis* propemodum 40 conclusam; expositionem rubricarum Breviarii & Missalis Romani; Exercitia spiritualia pro sacerdoti-

dotibus, Clericis, ac Presbyteris, variosque libros, ad linguam Ebraicam facile discendam accommodatos. Ut hunc librum conscriberet, sensit sese impulsum libro, quem *Leo Mutinensis*, Rabbinus Ebræus, Venetiis aliquot abhinc annis in lucem edidit sub titulo: *Riti degli Ebrei.* In hoc quippe libello, Autor existimat, magnam partem cerimoniarum Judaicarum maligne dissimulatam omissamque fuisse. Hæc Præfatione priori significantur. Posterior vero lectorem ad Hebræum spectat, docens, Autorem ea Judæis tribuere dogmata & cerimoniarum momenta, quæ ipsis ex vero sint tribuenda; Pontificem Romanum *Gregorium XIII*, ejusque successores, de Judæis ad frugem lucemque deducendis esse admodum solicitos, monens; tandemque Judæis multiplices variosque errores, hæreses, falsam Rabbinorum interpretationem sacrarum literarum, fabulas, mendacia, dolos, & depravationes expositionum, tribuens. Judæis publice Autor ostendit in luce orbis terrarum, Rabbinos infamem in modum de religione Christiana detraxisse, nominatim *Bechajum*, *Lipmannum*, ac R. *Abrahamum* in חיזוק אמונה, *munimento fidei.* Subjicit ultimo mentionem de amore suo in Israelitas, postquam eis attribuerat cæcitatem, & durissima multa in aures & oculos ingesserat. An hæc cum Judæis agendi ratio multum fructuum sit productura, magnopere dubitandum esse censemus. Libri summa hæc sunt *Capita*, eaque *tria* & *triginta.* *Primo* continetur procemium, intelligendo libro omni aptum. *Secundo* exponitur de origine Ebræorum. *Tertium* exhibet de circumcisione doctrinam. *Quarto* edisseritur primogenitorum principatus. *Quinto* agitur de educatione & studio filiorum penes Ebræos. *Sexto* traduntur partes Talmudis. *Septimo* ostenditur modus, quo creantur Rabbini, ac de eorum autoritate disputatur. *Octavo* de Synagogis, oratoriis privatis, ac domibus, Ebræorum exponitur. *Nonum* Sacerdotibus ac Levitis Ebræis illustrandis inservit. *Decimo* tractatur de vestibus, a Judæis tum domi suæ, tum in Synagoga, gestari solitis. *Undecimum* de precibus Ebræorum,

rum, ac modis præparandi ſeſe ad illas, inſcriptum fuit. *Duodecimo* de commerciis, negotiationibus, vitæque generibus, Ebræorum exponitur. *Decimo tertio* edifferitur eorum menſa & convictus. *Sequenti* agitur de Somniis Ebræorum ac ſuperſtitionibus, quibus in illis exponendis utuntur. *Capite 15* de jurejurando, votis, ac abſolutionibus, Ebræorum agitur. *Capite 16* de confeſſione Ebræorum inſtituitur tractatio. *Caput 17* proprium eſt Ebræorum jejuniis ac pœnitentiæ ſpeciebus. Tum oratio deflectit *Cap. 18* ad feſtum Sabbati diem; *Cap. 19* ad annum, menſes, ac feſtum Calendarum diem; *Cap. 20* ad ſolennitatem paſchalem, ac azymorum ritus; *Cap. 21* ad Pentecoſten; & *Cap. 22* ad feſtum anni ineuntis. Inde progreditur Autor ad doctrinam de jejunii maximi ac expiationis annuæ die *Cap. 23*. Porro autem exponit *Cap. 24* de tabernaculorum feſto; *Cap. 25* de encæniis, ſeu חנוכה; *Cap. 26* de feſto Purim; *Cap. 27* de ſponſaliis, matrimonio, & menſtruo Ebræorum; *Cap. 28* de repudiis ac divortiis; *Cap. 29* de diſcalceandi ritu ac jure Leviratus; *Cap. 30* de morbis, morte, ſepultura, & luctu; ac *Cap. 31* de Ebræorum opinionibus, quantum ad infernum, dæmonas, paradiſum, & angelos, attinet. Tandem adjecit Autor *Cap. 32* opiniones Ebræorum de Meſſia, ac, eum dudum veniſſe forma conſpicua indutum, oſtendit, ultimoque *Capite* de calamitatibus, quibuscum Judæi conflictantur, de eorum pertinacia, cæcitate, ac odio adverſus Chriſtianos, præcipue e Judæis neophytos, exponit. Hoc libri eſt argumentum, hæc eſt ſumma. Nil niſi tritum & commune in *Capitibus* hiſce repræſentatur. Quæ de famoſa *Lilith* a Judæis ſolent circumferri, attigit Autor, nec originem fabulæ evol-
Pag. 3. vit. Subeſſe illi mytho de *Lilith* credimus id, quod hominem cæcitate, nocte, ac ſui oblivione, implevit, id eſt, labem, a primo homine, ſuaſu cacodæmonis, contractam,
4. ac ad poſteros ejus diffuſam. Fabulam illam, crude & indigeſte intellectam, merito refellit Autor. At quis ſibi perſuadebit, conditorem mythi eam tam ſimpliciter & nude

nude intellexisse? Adpendere solent Judæi uxoribus gra- Pag. 6.
vidis amuletum, quo angelis bonis fœtus ac embryo demandatur, a famosa Lilith eum tuituris. At angelos illos tamen divino honore haud prosequuntur. Rejicit consuetudinem Judaicam Noster, passimque occasionem sibi datam arripit, qua *Leonem Mutinensem* possit convellere
ac refutare. In *Capite*, de circumcisione inscripto, alibi- 8.
que, haud deprehendimus nova, aliisque nondum visa. Cir-
cumcisionem fuisse signum discretionis, docet, ac inde col- 12.
ligit, eam, amissa Palæstina, & œconomia divinitus immutata, merito cessare. Persistet itaque illa in Judæis, quam-
diu sese discretos a gentibus, ac redituros in Cananæam, Ju- 14.
dæi existimabunt. Judæorum erat, animadvertere, promissum fuisse per *Jeremiam* fœdus novum, & œconomiam fœderis novi amplexari. Unde argumentatur Autor meri-
to, fœdus prius ad עולם quidem esse adstrictum, sed עולם 15.
illud desinere debuisse, qua ratione vox illa accipitur *Ex. XXI, 6*, & *Deut. XV, 17*. Conf. *Lev. XXV, 39 seq. 1 Sam. I, 22, Num. IV, 47, Ps. LX, 5, Eccl. I, 10.* Legem de redimendis primogenitis Autor cessasse ostendit,
corpore cerimoniarum Mosaico sublato. Dogmata Cab- 20.
balistica primaria ad atheismum tendere, credit. Talmudem abundare hæresibus ac erroribus, existimat æque ac
Sixtus Senensis, & Hieronymus de Sancta Fide. Profert 26.
ipse exempla commemorationum insulsarum e Talmude, alibi etiam producta. Hieroglyphicum earum sensum ad-
mittere recusat, eo quod Pontifices quidam Romani Tal- 28.
mudica volumina flammis addixerint, Philosophi gentium
rectius de rebus scripserint divinis, & sacer Codex V. T. 34.
traditionibus Talmudicis reclamet, nec *Moses* Judæos ad legem per manus traditam remiserit, *Jos. I, 8*. Parce Autor excitat testimonia & doctrinas Judæorum e fonti-
bus. De munere Rabbini solide exponit, licet satis suc- 36.
cincte. De libro *legis*, in Synagoga adhiberi solito, po-
tiora affert. Exprobrat Judæis irreverentiam ac indecen- 38.
tiam, qua hi in Synagogis utuntur. Deum putat imagi-

nibus eis tantum interdixisse, quibus cultus loco Dei offe-
Pag. 41. ratur, ob *Jes. XLIV, 15.* Cultum, quo Pontificii imagines excipiunt, monet ad prototypum referri, ac cum eo comparat venerationem, qua Judæi librum legis, in membrana descriptum, prosequi consueverunt. Addit mentionem de forma Cherubinorum, de serpente aheneo, ac ornamentis, a *Salomone* in sacra invectis, nec non de adoratione coram arca divina, *Jos. VII, 6,* atque hieroglyphicis gloriæ Dei *Jes. VI, 1, 2, Dan. VII, Amos. I.* Verba isthæc *Deut. VI, 6: Scribe ea super postes domus
44. tuæ*, exponit sensu translato. Rationem, cur animalia diversa Deus noluerit Judæis in cibum verti, determinare haud audet, ratus, impuris ab animalibus Deum suos
84. voluisse arcere. At recurrit identidem quæstio, cur animalium alia fuerint pura, alia impura, existimata. Haud sufficit dixisse, Ægyptios abhorruisse asinos bovesque ru-
85. fos, teste *Plutarcho de Iside p. 353,* variasque piscium species, teste *Herodoto*, eamque ob causam Deum similia promulgasse interdicta. Quod ipsum suboluit Autori, quamobrem, animalia, a Deo in cibum concessa, corpori edentium fuisse salubriora, tandem submonuit. Humani nihil ipse a sese alienum esse ostendit, dum ex ævo *Jesaiæ* ac *Ovidio* testimonia affert, illustraturus indolem gentium, quæ vixerunt ætate *Mosis*. Id autem laude di-
86. gnum, quod ex מדרש תהלין ad *Ps. CXLV* Autor monstrat, Judæos arbitrari, fore, ut Messias legem, qua cibi quidam sint vetiti, tollat. Interdictum sanguinis refert ad vitandam superstitionem, siquidem gentes exteræ, in honorem Deorum sanguine vesci, duxerint
99. decorum. Intelligunt Lectores ex hoc specimine, librum hunc, quem indicavimus, haud esse indolis quotidianæ, posse tamen passim pumice expoliri, & accessionibus ditari atque exornari.

PETRI FRIDERICI ARPII THEMIS

Cim-

Cimbrica, sive de Cimbrorum & vicinarum gentium antiquissimis institutis Commentarius.

Hamburgi, ex officina Kœnigiana, 1737, 4.

Alph. 1 pl. 15½.

Qui ex Feriis æstivalibus Celeberrimi *Arpii* cognoverunt, quale consilium Vir doctissimus de argumentis quibusdam varii generis præsertim ex antiquitate illustrandis jam pridem ceperit, & qua ratione in hac scriptorum suorum historia primas lineas operum, quæ pollicitus est, duxerit, illi jam hinc scire possunt, quid novi Cimbrica Themis afferat. In hoc enim, quem Ferias æstivales inscripsit, Commentario jam ante complures annos spem fecit, fore, ut & historia Juris Cimbrici & leges ipsæ opera sua novam lucem acciperent, eo quidem utiliorem futuram, quo pluribus gentibus hic terræ angulus olim habitatus est, ex quo veluti fonte jura populorum originis Germanicæ, tanta similitudine inter se conspicua, profluxerunt. Nos ante omnia necessarium ducimus, Lectores monere, Themidem Cimbricam nunc tantum dimidiam faciem suam exserere, partemque operis promissi hanc primam esse, quæ jurium origines & antiquissima, quoad harum rerum memoria superest, instituta, complectitur. Hanc vero Celeb. Autor scribendi rationem tenuit, ut textui brevi longiores commentationes, &, quas dicimus, notas, subjiciat, textus autem ipsius loco delineatione operis sui, quæ jamjam in Feriis æstivalibus publici juris facta est, utatur, paucis hinc & illinc additis, resectis, mutatis, ut facile curas posteriores agnoscas. Itaque *prima* hujus opusculi *Parte* de populorum originibus & migrationibus in universum differit, eamque historiarum partem ambigua veterum fide, nominum confusione, & recentiorum conjecturis, intricatam, dubiisque plenam, esse, facunde conqueritur; Scytharum & Hyperboreorum capacissimum nomen innumeras gentes, quas

Historici finium & institutorum ignorantia miscuerint, complecti; fuisse his populis aliquam ingenii laudem, leges paucas, sed dominatas, & animis magis, quam tabulis, inscriptas, aut ad summum memoriæ juvandæ causa carminibus comprehensas, sed justitiæ laude inter ipsos hostes celebratas; habuisse hos populos religiones superstitionibus infectas, Deos & res divinas nominibus ritibusque varias, heroas magni nominis, & inter ipsa numina consecratos, sacerdotes denique vates & Philosophos; quæ omnia *Arpius* noster, additis eorum, qui de Germaniæ borealiumque gentium sacris scripserunt, nominibus, recenset. *Parte II*, ad ipsam Chersonesum Cimbricam conversus, parum esse ostendit, quod ex Græcis Latinisque Scriptoribus ad harum regionum antiquitates investigandas repeti posset; ipsum *Adamum Bremensem* suis adhuc temporibus septentrionem censuisse *inpervestigabilem*; de origine incolarum, primisque eorum ducibus & rectoribus omnia incertis conjecturis fluitare, sive illos, qui fictum *Berosum* sequuntur, sive septentrionis antiquarios, consulas; habitasse hunc orbis angulum, & sibi invicem successisse, populos bene multos, quorum catalogum *Parte III* texit, &, quoad fieri potest, descriptionem ex antiquis monumentis affert. Ac primum ibi stetisse *Cimbros*, quorum nomen a Germanico *Kæmpfer* optime duceretur; inundationibus sede pulsos esse, immerito in dubium vocari, quando & regionis situs, & nunc quoque videnda vestigia, magnam vim aquarum has terras occupasse, fidem faciant; magnam genti gloriam ex terrore, quo Romanos etiam, de salute tunc decertantes, impleverint, natam esse; legum & religionis exiguam notitiam, sed in multis simplicitatis testem, superesse, rempublicam vero moresque omnes ita ordinatos fuisse, ut animus libertatis vindex ubivis emicaret. Hæc præcipua capita sunt, quæ Celeb. *Arpius* de Cimbris attulit, in notis vero & adjectis excursionibus docte & diserte illustrat.

ſtrat. Simili via incedit, quando *Part. III* §. 11 de Teutonis, §. 12 - 17 de Gothis, §. 18 & 19 de Danis, §. 21 & 22 de Friſiis, §. 23 de Suevis, §. 24 de Angilis & Varinis, §. 25 - 28 de Saxonibus, §. 29 de Vandalis, ac denique §. 30 & 31 de Vedis, docte & copioſe diſputat. Horum enim omnium nomina, origines, migrationes, reipublicæ forma, antiquiſſimi Principes, leges vero præſertim & earum latores, jurium ſcriptorum reliquiæ, mores & inſtituta, vitia denique ac virtutes, recenſentur & illuſtrantur, ita ut hoc exaſciatiſſimum opuſculum recte dixeris hiſtoriarum & jurium Germaniæ propylæum. Quod elogium *Pars IV* magis adhuc confirmat, quippe quæ ceteris originis Germanicæ populis, Cimbriæ vicinis, nempe Longobardis, Herulis, Burgundionibus, Francis, Alemannis, Bajoariis, & Normannis, eadem, quam quoad ſumma capita deſcripſimus, methodo perluſtrandis deſtinata eſt. Autores vero, qui vel in priſcas leges commentati ſunt, vel religiones, mores, & linguas, harum gentium illuſtrarunt, ſollicite recenſentur, ita tamen, ut neſcias, utrum magis diligentiam in allegandis aliorum, quæ ad hoc argumentum pertinent, ſcriptis, raro interdum obviis, & a multis, qui ſimile ſaxum volverunt, neglectis, laudare, an mirari, debeas, aliquoties eos prætermiſſos eſſe, quos, ſive rationem inſtituti *Arpiani*, ſive hos Autores ipſos, ſpectes, prætermitti non oportuit. Ceterum magna libri dos in dicendi genere cultiſſimo, & prope ad ſollicitudinem accurato, poſita eſt, quod gemmulis, ex veterum Autorum & præſertim Poetarum theſauro depromtis, Noſter crebro diſtinxit, & lectoribus, tanta pulcherrimarum dictionum copia captis, hoc forſan unum deſiderium reliquit, ut tam ſcita manus, quæ dicta veterum adeo perite colligere ac diſponere novit, in eis congerendis feciſſet modum, &, quam nimia lumina interdum efficere ſolent, evitaſſet obſcuritatem. Maxima vero Lectorum pars nobiſcum deſiderabit, ut Viro, tantis præſidiis

ad hoc Opus ornandum instructo, (si quidem, quod ignorare nos fatemur, adhuc in vivis est,) illud, quod superest de jure Cimbrico, & in Feriis æstivalibus delineatum conspicitur, exædificare luberet, quamvis parum absit, quin ex epilogi Themidos Cimbricæ verbis vereamur, ut spem nostram ratam, ipsiusque operis ad umbilicum perducti complementum, unquam videre queamus.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DE Sciences, &c.

hoc est,

HISTORIA REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ ad Annum MDCCXXXV, una cum Commentariis mathematicis & physicis ejusdem Anni.

Parisiis, ex typographia Regia, 1738, 4 maj.
Alph. 3 plag. 16, Tabb. 20.

In *Physica* generali commentatur *du Fay* de luce, quam adamantes, aliaque corpora, in tenebris reddunt, de quibus permulta experimenta instituit. *Grangerus* cum Academia observationem de nocivo opii usu communicavit. *De Mairan* varias ideas novas circa mensuram lucis proposuit. *Du Fay* ad observanda parhelia sese applicuit. *De Reaumur* modum docet, ova per longum tempus conservandi, quod fit adipe ea inducendo. Pro more exhibentur observationes meteorologicæ, variis in locis habitæ, ac inter se comparatæ.

In *Anatomicis* actionem infantium, qua lac maternum sugunt, examini subjecerunt *Maloet* & *Petit*, Chirurgus. De reunione duarum intestini extremitatum, parte intermedia destructa, agit *Morandus*. In descriptione modi, quo hæmorrhagiæ sistuntur, *Petit*, Chirurgus, pergit ad arterias, quæ tantum simpliciter aperiuntur, ut fit in sectione. Anatomiam oculi galli Indici tradit *Petit*, Medicus. Duas observationes anatomicas communicat *Winslovius*, alteram de capitis quadam contorsione involuntaria, alteram de rigore lateris

teris dextri colli, multo cum dolore, aliisque circumstantiis, conjuncto. Partes quasdam simiæ interiores sub examen revocat *Hunauld*.

In *Chymicis* disquisitio salis ammoniaci occupavit *du Hamelium*. *Lemery* naturam aluminis, ac vitrioli, & in specie compositionem naturalem, & adhuc ignoratam, vitrioli albi ordinarii, indagandam sibi sumsit. *Boulduc* examen chymicum aquarum Forgesiensium *(Eaux de Forges)*, inprimisque scaturiginis, quæ *regia* dicitur, instituit. Zinci analysin chymicam incepit *Hellotus*, qua præsertim solutionem ejus in variis menstruis, nec non compositionem cum metallis, & in specie cum auro, examinavit. Pergit in disquisitione circa Kermes minerale, quam *Anno superiori* orsus est, absolvenda *Geoffroy*.

In *Botanicis* singularem prunarum speciem, quæ nucleum nullo cortice duro inclusum gerunt, notavit *Marchantus*.

In *Geometricis* sola occurrit *Clairaltii* ad scriptum *Fontainii*, de quo in recensione *Anni Commentariorum superioris* diximus, responsio.

In *Astronomicis* novam methodum, æquinoctii momentum accuratius determinandi, in regione Peruviana ad praxin revocandam, proponit *Bouguerus*. De revolutione solis & planetarum circa axem agit *Cassinus*, & ostendere conatur, motus hujus velocitatem, in systemate vorticum, cum ea conciliari posse, qua æther, seu fluidum, corpora ista circumdans, secundum regulas *Kepleri* gaudere debeat. Circa figuram telluris laborarunt *de Maupertuis* & *Cassinus*; variasque dederunt methodos, eam ope observationum astronomicarum, vel mensuræ actualis, determinandi. Perpendicularem ad meridianum Parisiensem, ad distantiam 60000 hexapedarum Gallicorum ab observatorio meridiem versus ductam, describit *de Thury*. Selenographiam novam concinnavit *le Monnier*, filius, in qua positionem punctorum lucidorum summa cum cura definire conatus est. *De la Condamine* methodum tradit, differentiam longitudinis duorum locorum, parum a se invicem dissitorum, determinan-

nandi; ope nimirum ſigni lucidi, utroque in loco facile conſpiciendi.

In *Mechanicis* obſervationes circa diſtributionem & effluxum aquarum, ut & regulas, earum menſuram determinandi, dedit *Pitotus*. Idem theoriam novam, eamque elegantem, antliarum ſuctoriarum ſiſtit, in qua de vi ad movendam embolum, altitudine, ad quam aqua elevatur, aliisque, determinandis verſatur, omnibus ad formulas analyticas reductis. *De Mairan* experimenta circa longitudinem penduli, minuta ſecunda notantis, Pariſiis inſtituit, variasque hac de re obſervationes in genere attulit. Oſcillationes penduli, ſi illud non ex quiete libere delabatur, ſed impulſum quemvis recipiat, conſideravit *Clairaut*. De longitudinibus penduli, minuta ſecunda temporis medii pulſantis, tam Pariſiis, quam in Inſula S. Domingii, earumque inter ſe comparatione, commentantur *Godinus*, *Bouguerus*, & *de la Condamine*. Eodem anno *Bigot de Morogues* cum Academia communicavit opus, quod titulum gerit *Applicationis virium centralium ad effectum pulveris Pyrii, unde theoria ad perficiendos ignes artificiales propria deducitur*. Sequuntur Machinæ, hoc anno Academiæ oblatæ, inter quas inprimis variæ novæ hydraulicæ eminent.

Mortuus eſt hoc anno *Jo. Baptiſta de Reſſons*, Academiæ ſocius. A prima ſtatim juventute militiæ ſe dedit. Inprimis rei tormentariæ operam navavit, eaque de re varias obſervationes notatu dignas memoriæ mandavit. Sed non minus, a negotiis bellicis liber, horticulturæ ſtuduit, de qua etiam notata quædam in Operibus Academiæ apparent.

AN HISTORICAL ESSAY ON THE STATE OF Phyſik, &c.

hoc eſt,

OBSERVATIO HISTORICA DE STATU MEDICINÆ Veteris & Novi Teſtamenti, periodique Apocryphæ, cum

cum particulari omnium casuum, in Scriptura Sacra adductorum, recensione, eorundemque expositione; accedit Sermo, proponens dubium, num Medicum in morbis consulere expediat; Autore JONATHANE HARLE, M. D.

Londini, impensis Richardi Ford, 1729, 8. Plag. 13.

Jam alii ante Clariss. Autorem Medici in eodem argumento de morbis Biblicis versati sunt, *Franciscus Valesius*, *Thomas Bartholinus*, doctissimus *Freindius* in Historia Medicinæ, aliique; neminem tamen eorum omnium ante se esse passus fuit Noster, qui ex Philologia sacra æque ac privata ita commentatus est, ut melius quis elegantiusve haud possit. De statu Medicinæ antediluviano & illo, qui tempore Patriarcharum obtinuerit, nihil certi affirmari posse, arguit. Deus sibi curandæ salutis humanæ negotium soli servaverit; arbitratur tamen, penes Ægyptios Israelitas medicina haud leviter imbutos fuisse. Historiam morborum condendi rationem, dum eadem tabulis saxeis describeretur, *Jobus* indicare videtur *Cap. XIX v. 23.* Ad ægrorum in compitis expositionem, ut remedia a prætereuntibus reciscerent, allusisse potest Ecclesia Judaica *Thren. I, 12.* Gymnastica medicina a Deo ipso stabilita est, dum balneorum sacer usus, & Hierosolymas quotannis commeandi necessitas, saluti servandæ inservire potuit. De odoribus miscendis passim exstant divina oracula, sicut & morborum haud infrequens divinitus mentio facta fuit *Jes. I, 6.* Nominantur vulnera, tibices, ulcera. De fractis obligandis habetur *Ezech. LXXXIV, 4.* Plurium morborum, quibus Deus afflicturus erat rebellem Judæorum gentem, nomenclatura est *Deut. XXVIII, 21 seq. Levit. XXVI, 16.* De dolore circumcisorum, de lepra Judæorum, inter omnes constat. Postquam Messias in orbis salutem comparuit, ipse Medicus, lunaticos, dæmoniacos, furibundos, excæcatos, hæmorrhousas, &c. divino

artificio sublevavit. Melancholicorum exempla sunt *Achitophel* & *Judæ*. De morbis Messiæ ita sentitur: Morbis internis obnoxius haud fuit, utpote qui peccatorum insons fomitem morborum non habebat; ast externæ injuriæ aeris, cibi potusque inopia, hostium sævities, vulnerum crudelitas, eundem in nostram salutem misere divexarunt. Præterea morbi sanctorum, aliarumque personarum Biblicarum, qui exponuntur, sequentes sunt. Somnus *Adami*, quo durante *Evam* costa genuit, habetur ecstasis, & elegantissimum *Miltoni* Poema de hoc argumento recensetur. Nam הַרְדֵּמָה septuaginta viris redditur ἔκστασις, *Symmacho* κάρος, *Aquilæ* καταφορα. *Jacobi* claudicatio, cum ex rudi cum angelo lucta victor evaderet, non luxatio fuit capitis femoris, sed ejusdem sublaxatio, nec habet, cur de luxatione genu interpretetur *Goussetius* in *Comment. Lingu. Hebr.* in voce ירך. *Lothianæ* uxoris in columnam salis permutatio, *Augustino* inter morbos est, quam ille a salium in corpore abundantia deduxit. Nec tamen morbum, sed divinum miraculum, fuisse innuitur. *Moses* ceratophoros haud fuisse, ex male intellecto termino קרן, *radius*, evincitur. Leprosam tamen extraxit coram *Pharaone* manum. Serpentes, quorum morsu ingrata plebs Judæorum misere fuit mulctata, Hydrusne fuerint, an Chersydrus, an Ammodyles, in dubio relinquitur. Allegantur *Vitringa*, *Deylingius*, *Pfeiferus*, *Bochartus*. Hæmorrhoides Astotitarum eum in finem divinitus fuerunt inimicis cultus sui immissæ, ut, cum alium corporis situm per dolores servare, quam pronum, haud possent, adorantium & supplicum formam haberent omnes. Interpretes Judæi loco עפלים substituunt טחרים, modestius elocuturi. Symbolumne, an Talisman, & curationis adminiculum, fuerint imagines, morbi simulacrum habentes, Deoque dedicatæ, proponitur quæstio. *Asa* Rex 2 *Chron. XVI*, 12, pedum morbo conflictatus, podagram expertus est, habuitque, quos consuleret, Medicos. *Jehorami* morbus 2 *Chron. XXI*, quo intestina

ejus,

ejus, biennio inter diros cruciatus consumto, effusa sunt, a glandularum intestinalium intemperie deducitur cum *Bartholino de Morbis Biblicis*. *Hezekiæ* morbus admodum acutus, primus omnium, præscripto divinitus remedio in *forma pharmaceutica* 2. *Chron. XXVII, 24*, methodice emplastro ex ficubus imperato, fuit persanatus. *Saulus* furiosus *1 Sam. XVI, 14, 15, 16*, concentibus musicis fuit persanatus, quale quid ethnicis etiam in usu fuit. Sic de *Achille* refert *Homerus*, de *Alexandro M. Diodorus Siculus*. *Naamon* leprosus *1 Reg V* documento est, præter Palæstinæ incolas, alios etiam huic malo fuisse obnoxios. Frigidam in mali hujus cura usitatam fuisse orientalibus, exinde liquet, quod fluviis Abana & Parphar usus *Naamon*, ante accessum suum ad Prophetam convalescere haud potuerat. *Nebuchadnezar* maniacus *Dan. IV, 33*, lycanthropia num laboraverit, disquiritur a *Schenckio*; alii aliter sentiunt. *Hiob* ulcerosus exemplorum Biblicorum agmen claudit. Transitur ad morbos Novi Testamenti. Hæmorrhousa *Marci V, 25 - 30*, num secundum *Eusebium* in *Hist. Eccl.* in grati animi tesseram se cum Servatore lapide cædi jusserit, numque herbæ prope nascentes medica virtute fuerint imbutæ, quod ille, nimium credulus, perhibet, &, prope Cæsaream *Philippi* statuam suo tempore superfuisse, asseverat, disputatur. In puero dæmoniaco *Matth. XVII, 14*, epileptici insultus vera recensentur symptomata, nec dubitant Commentatores, epilepticum fuisse. Num servus paralyticus *Matth. IV* vera laboraverit paralysi, vel apoplexia, dolores, quos exquisitos una habuit, dubium reddunt. Paralytici enim stupore magis, quam dolore, artuum laborant. Morbus adeoque fuit articularis. Manus, atrophia laborans *Matth. XII, 10, 13*, qualis & *Jerobeami* fuit, aquarum Bethesdanarum salubritas, uni saltem per annum salutaris; vir a nativitate cæcus, *Marc. VIII, 22*, uberrimam dederunt ingenium exercendi commoditatem Autoribus. *Publii* patris febris dysenterica expedite admo-

dum exponitur *Act. XXVIII, 8.* Sic & *Herodis* phthiriasis, seu verminatio, *Act. XII, 23*, in propatulo est. Apepsia ventriculi *Timotheani*, cui medicinam vino parat amicissimus *Paulus*, hydropotarum systema haud leviter succutit. *Elymas* Magus cæcitate mulctatur *Act. XIII, 8, 9.* Claudus, a *Petro* restitutus *Act. III*, ἀδύνατος τοῖς ποσὶν, *impotens pedibus*, dictus, dubiam, quoniam decubuit, habet ægritudinem. Σφύρα καὶ βάσεις planta pedis & malleoli sedes morbi fuit. Sudes in carne *Pauli* morbus fuit, quo partes ejus solidæ male habebantur, qui repente invadere solebat, qui admodum esset dolorificus, qui *Paulum* obeundo muneri imparem reddidit, cujus eundem non puderet. An apoplexia fuerit, an epilepsia, in dubio relinquitur.

A TREATISE ON THE NON NATU-rals, &c.

hoc est,

TRACTATUS DE REBUS NON NATURALIBUS, quarum influxus in corpora humana methodo mechanica proponitur & declaratur; accedit brevis observatio de Tussi convulsiva puerorum, cum nova methodo, pertinacem hunc morbum sanandi; Autore JOANNE BURTONO, M. B. Cantab. M. D. Rhen.

Eboraci, typis A. Stapleri, 1738, 8.

Alph. 1.

Sex res naturales, antiquis tantopere declamatæ, omnium circumstantiarum, quæ nos externe affligunt, & morbos producere valent, seriem complectuntur. Sunt illæ aer, cibus & potus, somnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, animi pathemata. Doctissimus Autor uniuscujusque rei interna merita juvandi nocendique potentiam conceptibus, ex Mathesi depromtis, explicat. De aere

aere hæc habet: Aer est fluidum, quo globus ille, quem incolimus, terraqueus circumdatur, alius equidem & subtilior, sublimis ille, a corporum habitu remotus, alius, quem respiramus, non sibi per omnia similis, sed vario modo discrepans, pro corporum vegetabilium, mineralium, & animalium, suos in aerem vapores halantium, diversitate. Tractus, vel flumen aereum, quod a variis terræ plagis globum huncce circumruit, ventus dicitur, cujus temperies respondet plagæ, unde ad nos devenire videtur, hinc longitudini itineris, & regionum conditioni, quas pervadere solet, antequam ad nos accedit. Hinc, quales venti, prout mare, vel continentem, plus tetigerint, salubriores sint, magisve noceant, exponitur. Vindicantur *Hippocratis* Aphorismi, etsi ejus de aere observationes suis tantum, ubi observasset, locis commodæ videantur. Effectus adeoque aeris ille idem est in corporibus animatis, qualis est in Barometris & Thermometris. Obsequiosæ enim sunt corporum fibræ, & ab aere vel stringuntur, vel laxantur, humoribusque suis hoc ipso varios motus imprimunt. *Hallesius*, quid plantæ transpirando in aerem valeant, clare admodum docuit. Humanorum corporum effluvia aerem magnopere alterant, salibus halitibusque putrescentibus, prout docetur, plenas pestes a contagioso cadaverum demortuorum vapore ortas fuisse. Nec subterranea parcent aeri, quin suum virus eidem communicent effluvia, quæ minutissima sunt, & aerem corporibus inimicum reddere possunt. Non enim tantum pulmonibus aerem trahimus, qui se particulasque, aliunde acceptas, hac via sanguini insinuat, sed & in ambitu corporis sunt, quæ aerem sugunt, vasa absorbentia. Morborum epidemicorum effectus in corpora ab aeris conditione pendet. Hic Doctissimus Autor, partim ex *Sydenhamii* & *Wintringhamii* Operibus, partim proprio studio, collegit, quales morbi, diversis annis ab A. 1675 ad præsentia tempora, secundum hanc, vel illam, aeris qualitatem, per Angliam grassati fuerint. Diæta, & legitima cibo potuque uten-

utendi methodus, ex omni antiquitate illustratur, & afferuntur antiquæ frugalitatis exempla, hinc recentiorum temporum luxuries damnatur. Cibi potusque, quo nos nutriri decet, ea debet esse conditio, qua similes nostris humoribus, nec anomali, aut rebelles, succi vasis ingerantur. Singularis est Autoris industria, varias sanguinis qualitates exponendi, dum ex *Hallesii* Hæmastatica adducuntur experimenta, liquoribus diversis facta, additurque, qua temporis mora singulus liquor, capillaribus organorum vasis iterum effluat, unde potus spirituosior, maxime spirituum abstractiorum abusus, majorem in modum improbatur. Motus & quies in suo versari debent æquilibrio, si salvus esse cupias. Perinde gymnasticæ antiquorum medicinæ suus servatur honos. Motuum corporeorum necessitas ex ipsa arteriarum corporis humani fabrica docetur. Conica est earundem protensio; quapropter juxta apices non possunt non quiescere humores, quicquid etiam cordis & arteriarum elater in contrarium urgeat, nisi artuum succussiones tarditatem motus in humore quocunque demum superare nitantur. Quod ad somnum & vigilias attinet, opus est, ut exercitiis, diurnis viriumque jacturæ æqualis sit musculorum, voluntario motui inservientium, solutio illa & naturalis quasi paralysis, quam somnum dicimus. Somnus enim cordis & arteriarum liberiorem motum infert, dum nullæ causæ ambientes eundem cohibent; hinc transpiratio lege *Sanctoriana* dormientibus auctior, & nutritionis major effectus. Excretionum modulus ingestis per omnia æqualis esto. Saliva, bilis, liquor intestinalis, lympha glandularum, transpiratio, sudor, sanguis sincerus, per consueta, aut inconsueta, loca effusus, urina, lac, sperma, omnes suis tenentur legibus, ultra quas nequit consistere valetudo. Animi denique pathemata aucta, ira, metus, gaudium, humoribus nexuique corporis & animæ noxam inferunt. Epidemica tussis convulsiva puerorum, cum grassaretur, aeris determinatæ qualitati, illo, quo invadebat, tempore, respondit. Saluti fuit, venam secare,

re,

re, purgare, millepedibus, cantharidum infuso, vel camphora, uti.

Gründlicher Unterricht zum nützlichen Gebrauch aller Himmels- und Erd-Kugeln, zc.
hoc est,
SOLIDA INSTITUTIO AD GLOBORUM COElestium ac terraqueorum commodum usum, speciatim illorum, qui A. MDCCXL Elbingæ a JOANNE FRIDERICO ENDERSCH confecti ac editi fuerunt, ex desiderio amatorum quorundam consignata a M. JACOBO WOIT, Prof. Ord. Math. in Gymn. Elbing. cum Præfatione MARTINI KNUTZENI, Prof. Publ. Ord. Philos. in Academia Regiomontana, de origine Globorum generatim, ac memorabilibus eorum emendationibus, quæ Globis his primis Borussicis accommodatæ fuerunt.

Elbingæ, reperitur una cum Globis apud Autorem, 1740, 8. Plag. 8, & Tab. æn 1.

Ex quo Vir honestissimus, *Jo. Frid. Endersch*, ingenium manumque ad Globos novos cœli terræque fabicandos admovit, Mathematum cultores nonnulli subsidio ipsi ac adjumento fuerunt, ut Globi illi Borussici emendatiores, ac ad usum aptiores, prodirent. Direxit itaque *Endersch* ille non solum istos Globos ad annum 1740, ac observationibus recentissimis usus fuit; sed etiam suasu Celeb. Prof. *Knutzenii* eos mobili planetica orbita, declinationis circulo, & Meridiano primo mobili, aliisque emendationibus, instruxit. In Globo terraqueo *Homannianarum* recentissimarum Tabularum ratio fuit habita. Globus cœlestis conformatus est ad asteriscos, in Tabulis *Doppelmayeri* descriptos. Delineata sunt in eo itinera cometarum, quorum reditio probabiliter hoc Seculo videtur exspectanda. Globus terraqueus repræsentat itinera diversa, punctis indicata. Globus cœlestis colore cœruleo est illuminatus, stellæ vero aureum fulgorem præferunt.

Orbis

Orbis lacteus nova prorsus ratione est depictus. De usu Meridiani primi mobilis disseruit Cl. *Woit*; plura exponet Cel. *Knutzenius*, quamprimum edet tractationem destinatam de declinatione magnetis. Ex usu globi cœlestis est, solem, ei applicatum, esse mobilem; ne, creta contaminare Globum cœlestem, sit necessum. Idem Vir Cel. promittit editionem *Astronomiæ mechanicæ*, artem exhibituræ determinandi eclipses solis ac lunæ per mechanica instrumenta sine calculo astronomico. Id vero Globi Borussici inprimis habent singulare & eximium, quod in eis *ecliptica mobilis*,
Pag. 19. atque *circulus planetarum inclinationis mobilis*, conspicitur. De reliquo Cl. *Woit* Problemata singula, quibus Globi utriusque docetur usus, perspicuitate ac ordinis ratione, suffragiis communibus digna, exposuit, & eo pacto illis; qui, Globis Borussicis uti, suarum ducent partium, consuluit.

Astronomische und geographische Abhandlung von Sonn- und Mond-Finsternissen, &c.

hoc est,

ASTRONOMICA ET GEOGRAPHICA TRACTATIO DE deliquiis Solis ac Lunæ, occasione Eclipsios solaris A. MDCCXXXIX, 4 Aug. & Eclipsios lunaris plenæ A. MDCCXL, 13 & 14 Jun. spectatæ, adornata, & ad horizontem Thoruniensem accommodata, a SAM. THEODORO SCHOENWALD, Gymn. Thor. Prof.

Thorunii, typis Jo. Nicolai, Typographi senatorii, sine anni indicio, 4. Plag. 13 Tab. æn. 1.

Prædicamus merito Cl. Viri industriam, qui methodo perspicua & facillima de deliquiis utriusque luminis disseruit, ac inde ad propositas duas Eclipses, tunc instantes adhuc, studium suum transtulit illustrandas. atque determinandas. Quæ ad calculum astronomicum spectant, ea omisit, reliqua vero ita digessit, ut eum quoque convincat, qui elementis Astronomiæ haud est innutritus. Rubrum lunæ, deliquium pati incipientis, colorem derivat a radiis solaribus, ex atmosphæra terræ versus lunam reflexis, ideoque ab Astronomo præsciri haud solitis.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio VII.

BIBLIOTHECA BELGICA, SIVE VIRORUM in Belgio vita scriptisque illustrium Catalogus, librorumque nomenclatura, continens Scriptores, a Clarissimis Viris, VALERIO ANDREA, AUBERTO MIRÆO, FRANCISCO SWEERTIO, aliisque, recensitos, usque ad annum MDCLXXX; cura & studio JO. FRANCISCI FOPPENS, Bruxellensis, S. T. L. Metrop. ac Primat. Eccles. Mechliniensis Canonic. Graduat. ac Pænitentiarii.

Tomi II.

Bruxellis, per Petrum Foppens, typographum ac bibliopolam, 1739, 4 maj.

Tom. I Alph. 3 plag. 8, Tom. II Alph. 3 plag. 11.

Si quæ olim terra fuit, quæ præstantissimis, & in omni literarum genere exercitatissimis, viris abundavit, indeque in orbe erudito præ multis aliis nationibus gentibusque eminuit; ea certe laus est populo Belgico tribuenda, utpote quæ, primæ magnitudinis sidera erudita jactando, inprimis quæ ex artibus, ab humanitate nomen ducentibus,

late radios undique emittunt suos, illustriorem se splendidioremque fecit. Ipsa hinc eruditio Belgica peculiari nomine insignienda veniat, cum nostra eam omnino tot per annos ætas conspexerit, ut magnitudine pæne sua laborare, sicut multitudine olim respublica Romana, videatur. Magna adeoque Historiæ literariæ pars est, Belgicam hanc, eamque admodum insignem, doctrinam nosse, ut expeditiore & breviore via ad eruditionem perveniamus, ut, quæ in studiis sequenda, vel fugienda, sunt, vel Belgicorum exemplo cognoscamus, & ut vitas horum ingenio doctrinaque illustrium virorum mente & oculis bene versitantes, ad emendationem inde incitemur. Quapropter multam sane laudem, bonorumque omnium plausus, commeruit admodum Reverendus Vir, *Jo. Franciscus Foppens*, quod, magnum opus aggressurus, nulli labori pepercerit, ut *Bibliothecam Belgicam* habitu nitidissimo & elegantissimo hujus eruditionis amantium oculis subjiceret. Non defuere quidem & olim in ipso Belgio summæ eruditionis viri, qui populares olim suos, fama nunquam intermoritura clarissimos, debitis laudibus ac præconiis celebrarunt, & grati cives in merita vindicum statorumque reipublicæ literariæ exstiterunt. Laudantur in ipso indice hujus Bibliothecæ ab Autore Clarissimo Viri longe doctissimi, *Aubertus Miræus*, *Valerius Andreæ*, *Franc. Sweertius*, qui in concinnandis ejusmodi Belgicis Athenis multum industriæ, laboris, ac diligentiæ, collocarunt. *Antonius Sanderus* etiam, multo cum successu in hoc scripturæ genere versatus, non contemnendam Scriptorum hujus terræ seriem sitientibus propinavit. Et nos ipsi manibus tenemus integri plane alphabeti libellum Anonymi, Lugduni Batav. apud *Andr. Cloucquium*, civem & bibliopolam Leydensem, A. 1613 editum, cujus hic index est: *Illustris Academia Lugduno-Batava, id est, Virorum Clarissimorum Icones, elogia, ac vitæ, qui eam scriptis suis illustrarunt*, quem ab hujus tamen Bibliothecæ Autore, quanquam ex eodem variæ

desum-

desumtæ nobis esse imagines & verba videntur, adductum non videmus. At tantæ molis opus, tantisque difficultatibus involutum, tantum certe abest, ut, post hosce laudatissimorum hominum labores, spicilegium sui modo reliquerit, ut integra messis eruditissimo *Foppens* remanserit, ad quam in horrea condendam subducere humeros nemo suos feliciuspotuit eo, qui magnis eruditionis copiis, farragine librorum, literatissimorumque virorum opibus, instructus, justo inde atque religioso de libris,eorumque Autoribus, judicio ferendo maxime sufficere videbatur. Hisce tamen, aliisque f . :, difficultatibus Bibliothecæ hujus editor non perterritus, sed unice utilitati intentus publicæ, solus vere arduum aggressus opus est, ut Scriptorum Belgicorum memoriam,merita, res gestas, librosque editos, ab oblivione vindicaret. Hinc ea inprimis omnia, quæ apud modo laudatos Scriptores, *Miræum*, *Val. Andream*, *Sanderum*, ac *Sweertium*, ejusdem argumenti habebantur, in unam *Bibliothecam Scriptorum Belgicorum* collegit; epitaphia, quæ a *Val. Andrea* prætermissa fuerant, suis Autoribus subjecit; alia, quæ reperire plura potuit, adjecit; libros, postmodum editos, vel recusos, reensuit; eos, qui aut a Congregatione Romæ prohibiti, aut alia censura quavis notati sunt, cum cura indicavit, multisque verbis devitandos monuit; exaratos manu quorundam Autorum Codices adjunxit, &, ubinam lateant, indicavit; Anonymos, Pseudonymosve, libros veris eorum Autoribus restituit; Scriptoresque exinde Belgicos ultra tertium millenarium produxit; cum tamen vix ultra annum 1680 progressus fuerit, sed posteriores, seu contemporaneos, curis aliorum reliquerit. Porro, cum in hanc novam Bibliothecam transferendi etiam multi ex illorum hominum classe essent, qui ad *Lutheri & Calvini* castra transierant, indeque, ex sua opinione, ab antiqua Patrum fide turpiter desciverant, hoc odio religioso inductus, lectores incautos ab ejusmodi Scriptorum libris abstinere jussit, &, quos pro sua autoritate Re-

mano-Catholica Ecclesia damnaverat, ab his cavendos sibi esse censuit, observato insuper (ut habet Censoris Bibliothecæ hujus approbatio,) *Clementis VIII* decreto, quo mandatur librorum scriptoribus, ut a laudibus hæreticorum abstineant, nec has libris suis inserant. Ipsa Scriptorum nomina eo ordine in hoc catalogo inveniuntur, ut rationem literarum alphabeti in prænominibus habuerit Autor, in eorum tamen usum, qui cognominibus saltem contenti, nomen præfixum memoriæ non ita mandare solent, indicem cognominum adjecit, &, ut facilius inde quivis Scriptor inveniri possit, hoc ipso effecit. Alius, calci additus, index Scriptores Belgicos sistit, prouti ad provincias singulas & natalem cujusque locum, quantum id fieri potuit, referuntur, & tandem ultimus ex religiosis in Belgio ordinibus confectus est. Multa cum diligentia hi omnes & accuratione confecti sunt, & paginarum numeris, ut nos edocuit hujus rei tentatio, exacte respondent. Imagines etiam, numero centum, tres & sexaginta, Scriptorum illustriorum, incisæ æri, appositæ sunt, quarum aliquæ novissime hic & primum exhibentur, ceteræ autem, cum alias operosum id nimis sumtuosumque fuisset, jam inservierunt olim *Elogiis illustrium Belgarum*, ab *Auberto Miræo* editis, & *Academiæ Scientiarum*, ab *Isaaco Bullarto* evulgatæ, de quarum arte ac elegantia quamvis haud adeo magnifice sentiendum sit, ex probæ tamen fidei monumentis archetypisque desumtæ, horum virorum similitudinem oris vultusque exprimere satis videntur. Ita constitutus, ita mire adornatus, est hic liber, in quo componendo cum ex probatissimis pleraque Autoribus desumta sint, optaremus tamen, ut, quam citavimus supra *Academiam Lugduno-Batavam*, ab *Andr. Cloucquio* editam, Reverendus Autor citasset, utpote in qua varia adhuc cummaxime specialia atque propria occurrunt, quæ frustra apud nostrum *Foppens* quæsiveris. Ita, quæ de *Dominico Baudio pag. 247 Part. I* dicuntur, ea, quod

ad

ad munera publica gesta attinet, multo copiosius apud hunc *Anonymum* deducta vides, quam hoc loco factum est, quamvis ejus scripta & minutiora opuscula curiose satis omnia enarrata sint. Neque tamen inficias ire penitus nobis liceat, quod eundem contulerit, etsi non adduxerit, sicut id in *Francisco Raphelengio pag. 305 Part. II* demonstrari posse nobis videtur, quandoquidem ipsa imago ab hoc exemplo desumta est, & verborum adeo ordo ac habitus inde mutuo sumtus. Idem dicere in *Justo Lipsio*, *Joanne Merula*, *Meursio*, *Heinsio*, *Scriverio*, *Petro Bertio*, aliisque, possumus, cum in hujus *Anonymi* libro eadem legantur, & annus natalis, fata, & munera publica præcipua, exacte in utroque libro conveniant, nisi quod in hacce Bibliotheca scripta secundum annos, quibus emissa sunt, disposita, &, quantum id fieri potuit, fere omnia, reperiuntur, quod in brevitate istius fieri non ita potuit. Jam vero, ut summam dicendorum faciamus, si a calumniarum plaustris, quibus invehitur Clarissimus Autor in eruditos, alii religioni addictos, discesseris, quamvis hæc multa loca fœdissime conspurcent, elegantissimus tamen hic liber est, & merito pro thesauro Belgicæ eruditionis habendus, & necessarius, qui ab omnibus historiæ literariæ peritis sedulo conferatur, cum animorum pabulum hic invenire, & multa insuper, possint, quæ, hoc si libro destituti fuissent, penitus ipsos latuissent. Neque decedit quidquam huic libro, quod tantum historice omnia, rudeque, nulla addita ἐπικρίσει, recensentur, & quod fabulæ interdum & narrationes vulgi inseruntur. Condiunt hæc atque similia Catalogum istum, ut habeat Lector interdum, quo gaudeat, quove delectetur, &, quamvis excellentiori asterisco signandus fit, si, quid in quovis scriptore laudandum culpandumque esset, succincte simul fuisset indicatum, Catalogus tamen hic, tantum certe abest, ut macilentus sit, solisque ossibus constet, ut carne etiam spirituque animetur. Optamus vehementer, & consentientes multos in hæc vota habebimus, ut

aut ipse Reverendus *Foppens*, aut Vir alius quisquam, eodem doctrinæ atque industriæ apparatu instructus, telam hanc bene cœptam pertexere, & eruditos Belgicos, qui per sexaginta annos sequentes vixerunt, isthoc orationis filo construere, velit. Non enim dubium est, quin per proxime transactum dimidiatum Seculum Bibliotheca hæc Belgica magnum incrementum, & non contemnendas accessiones, nactura sit.

THE GRECIAN HISTORY FROM THE Original of Greece, to the End of the Peloponnesian War, &c.

hoc est,

HISTORIA GRÆCA INDE AB ORIGINE Græciæ, usque ad finem belli Peloponnesiaci, continens spatium temporis annorum circiter 1684, atque inde a fine Peloponnesiaci belli, usque ad mortem Philippi Macedonici, quod est spatium octo & sexaginta annorum; Autore TEMPLE STANYAN, Equite.

Tomi II.

Londini, apud J. & R. Jonson, 1739, 8 maj.
Vol. I Alph. 1 plag. 10, Vol. II Alph. 1.

Adjecta est etiam Geographica Græciæ antiquæ Tabula.

Græciæ veteris historia, etiamsi non minus dignitate & præstantia, quam jucunditate suavitateque insigni, sese commendat, a paucis tamen adhuc tractata fuit, a nemine satis explicata. Quisquis *Emmii, Laurentii*, ceterorumque, qui hoc negotium aggressi sunt, scriptorum, tentamina evolvit, vix primas deprehendit elegantissimi instituti lineas, nec ita ductas, ut filum istud, rem inceptam amplificaturi, tuto sequi & adhibere queant. Quæ cum ita sint, summa nos perfusos lætitia confitemur, ubi ex Anglia, instructissima magnorum ingeniorum officina, præsens

Tem-

Temple Stanyani opus nuntiaretur advehi. Non heri nudiusve tertius examinandis rebus Græcorum gestis operam dare cœpit Vir Clariss., sed jam ante aliquot annos animum ad scribendum appulit, *primum*que doctissimæ lucubrationis *Volumen* publici juris fecit. Amor etiam venustissimæ disciplinæ tantas apud ipsum egerat radices, ut, quamvis publica ipsum negotia a scribendo per tempus aliquod avocarent, exiguum tamen, quod vacuum supererat ipsi, otium tam in expoliendo *Volumine primo*, quam in colligendis ad *alterum* concinnandum adversariis, optime collocaret. Inde a cura reipublicæ liberatus, quæ inter negotia collegerat, digessit, commodoque ordine & eleganti genere dicendi ornata, cum orbe erudito communicavit. Non potuit non variis difficultatibus cruciari *Stanyanus*, cum, quo fundamento, & quorum autoritate, primam Græciæ ætatem traderet, ignoraret. Veteres sane Scriptores ipsos tanta incertitudine laborantes deprehendit, ut pauci ab eadem epocha historiam suam ordiantur, aliique a *Phorone*, *Inachi* filio, alii a diluvio *Ogygis*, alii, *Plutarcho* duce, a *Thesei* imperio, alii cum *Dionysio Halicarnassensi* a bello Trojano, alii, *Ephorum* Cumeum, *Callisthenem*, & *Theopompum*, secuti, a reditu *Heraclidarum*, alii cum *Varrone* ab exordio Olympiadum, alii cum *Plinio* a regno *Cyri*, quod in *Olymp. LV* incidit, alii ab irruptionibus gentis Persicæ, incipiant. Quamvis enim existimandum non sit, Græcos, per tantum temporis tractum historiæ suæ prorsus incuriosos, nulla ejus ad posteros vestigia propagasse; manet tamen incertum, quo tempore esse cœperint sic comparata, ut tuto satis & sine erroris periculo iis insisti queat. Gloriæ studium Græcos etiam rexit, ut ante adinventas adhuc literas imagines fortium virorum hæreditatis jure ad liberos transmitterent, atque præclara facta in parietibus picta, & hieroglyphicis designata figuris, immo & cantilenis comprehensa, relinquerent; post scripturam vero inventam lapides titulis inscriptos ponerent. Interim pleraque traditio servavit, quæ ideo tanta certitudi-

ne

ne haud nituntur, quantam Ægyptiorum, Persarum, & Romanorum, historiis sacerdotum, magorum, ac Pontificum, industria conciliavit. Inde *Stanyanus* portentosas istas narrationes repetit, quæ Poetarum fabulis ansam dederunt, magnamque ipsi molestiam crearunt, cum, quæ fabula admiscuerat, priscis detrahere heroibus studeret. Inter Autores, quorum fidem secutus est, celebrat primo loco *Herodotum*, patrem Historiæ dici solitum, vel quia primus in formam ordinemque historiam redegit, vel quia antiquissimus est Autorum, qui ad nostra usque tempora pervenerunt: quamvis non dissimulet *Stanyanus*, eum nonnunquam Poetas nimium imitari, &, quod placere magis, quam docere, studeat, varias antiquitates amplasque digressiones, bellorum gestorum loco, immiscere. *Herodotum Thucydides*, scriptor gravis, & cum ἐνεργείᾳ concisus sequitur, qui, resectis fabulis, posteritatem sibimet maxime obstrinxit, & a nemine præter *Josephum* dubiæ fidei accusatus est.* *Thucydidem Xenophon*, propter flumen orationis & suavitatem dicendi apis Attica nuncupatus, continuavit. *Diodorus Siculus*, qui laboriosam nobis sub Βιβλιοθήκης titulo collectionem reliquit, usu non caret, licet decessorum fabulas de charta in papyrum sedulo transscripserit. *Plutarchus* meretur consuli, quando in Vitis magnorum virorum parallelis res eorum temporum memorandas, data occasione, tradidit. *Cornelii Nepotis* rara habemus, sed digna fide, testimonia. *Justini* labores non tam ad historiam antiquam supplendam, quam ad deplorandam *Trogi Pompeji* jacturam, conferunt. Præter hos testes, recentiorum quoque volumina volutavit *Stanyanus*, & in illis potissimum *Gualteri Raleigh*, *Howelii*; *Jo. Marshami*, & *Tourreillii*, qui in Præfatione, Orationibus quibusdam *Demosthenis*, separatim excusis, præmissa, historiam Græciæ, velut in tabula, depinxit. Methodum selegit, qua Autor Anglicæ collectionis Historiæ Romanæ usus est, sed eam rebus Græcorum, quæ a Romanis toto cœlo differunt, attemperavit.

In

In ordine temporum constituendo a partibus *Jac. Usserii* plerumque stetit, in nova tamen editione, in qua etiam characteres magnorum virorum accuratiores pleniores-que repræsentare, omissis imaginibus editionis primæ æri incisis, laboravit, *Is. Newtoni*, Viri incomparabilis, conjecturas consuluit, ita utplurimum comparatas, ut, quamvis inter otia & remissiones a studiis severioribus fuerint natæ, obscurissimis temporibus clarissimam accendant lucem. De primo Olympiadum usu *Stanyanus* dubitat, seriorem eundem arbitratus, cum, Historicos veteres secundum Archontes Atheniensium, Reges & Ephoros Spartanorum, Argivorumque sacerdotissas, numerare, immo ne tum quidem, quando Olympicorum certaminum mentionem faciunt, Olympiades tanquam temporis divisionem allegare, deprehenderet. Quapropter eorum fere partibus accedit, qui, *Polybium* per Olympiades primum tempus distribuisse, perhibent, eamque, quæ *Xenophonti* inserta est, Olympiadum memoriam interpolationem sapere, contendit. Quas hactenus tradidimus, antiquiores & fabulosæ Græcæ periodi difficultates, sequiori ætate imminutæ quidem, nec tamen penitus sublatæ, sunt. Quando tot diversæ respublicæ, cum diversis earum commodis, moribus, imperandique formis, in considerationem veniunt, & cum corpore historiarum sunt connectendæ, quis credat, hæc tenebris & perplexitatibus carere? quibus, verisimile est, quamplurimos a tela hac perficienda abstractos. Male autem eam tractarunt disciplinam, qui vel nullo ordine in pugillares retulerunt omnia, vel universalis Historiæ Compendiis quædam, chronologico quidem ordine observato, sed rerum gestarum serie neglecta, inseruerunt. Id in *Rollini* libris vituperandum, cum tritis nimis & juvenilibus judiciis, *Stanyanus* putat, nihil ceterum operis dignitati detrahens, sed copiosum rerum apparatum, idoneum Autorum selectum, narrationis facilitatem, & raram, præcipue inter Gallos, ingenuitatem, miratus: qua quidem ex parte operam *Rollini* pariter ac Græcas Archipræsulis Cantuariensis, *Potteri*, anti-

antiquitates, profuiſſe ſibi in opere retexendo, profitetur, prætereaque Hiſtoriam *Epaminondæ*, ab Abbate *de la Tour* conſcriptam, & ab Abbate *Gedoyn* in Recitationibus Academiæ Pariſienſis denuo repetitam, laudat. Sed age, ipſum Clariſſ. *Stanyani* opus paulo propius intueamur. Præmiſſa eſt *de etymologia Græciæ, & primis regionis incolis, introductio.* Et agnoſcit quidem Autor, communem hanc Græcis fuiſſe cum gentibus aliis, Ægyptiis, Scythis, &c. vanitatem, ut originem ſuam ab exordio mundi derivarent, ſeque in eadem, quam habitabant, terra genitos gloriarentur: qua in re præſumtionem Atticam potiſſimum eluxiſſe, ait. Licet autem Græcos inter antiquiſſimas gentes réferat; nullam tamen ipſis proedriam concedit, quandoquidem Scriptores etiam domeſtici largiuntur, Græcos a Phœnicum Ægyptiorumque coloniis natos non ſolum, ſed manſuefactos etiam, & ab illis quidem commercia, literas, & navigationem, ab his leges, artes, atque ſcientias, accepiſſe. Græcorum nomen vel ab exili municipio, vel ab obſcuro quodam regulo, tractum eſt. Id genti ab antiquo inter ipſos etiam Romanos adhæſit, quamvis *Virgilius* per totam *Æneida* non adhibuerit. Ipſimet Græciæ cives diverſas ſibi ſumſerunt, pro diverſo nomine Regum, appellationes. Nomen Ionum & Æolum a *Javano*, *Japheti* filio, *Noachi* nepote, & *Elisba*, filio *Javani*, repetunt, & a terrarum portione, quæ ipſi ceſſit, & *Homero* Aliſium dicitur, nomen Hellenum. Ante regiam dignitatem introductam memorabile nihil a Græcis, barbara gente, vitamque beſtiarum ritu agente, agricultura quippe, legibus, atque tectis, deſtituta, geſtum eſt. Perpetuæ migrationes, Regumque cum annis commutationes, miſeram & inquietam vitam fecerunt. Sola regio Attica ob ſoli ſterilitatem priſcis poſſeſſoribus fuit relicta, & ſic, quod ſolo deerat, imperio & ingeniis ſupplevit. *Volumen primum* duobus *Libris* abſolvitur. *Prior* ſpatium annorum 1579 comprehendit, & diverſorum regnorum conditionem a primordiis regni Sicyonici ad ultima usque dignitatis regiæ

giæ vestigia in urbe Athenarum illustrat. Tractat autem
Cap. I de regno Sicyonis, quod per mille annos duravit;
Cap. II de regno Argolidis & *Mycenarum*, quod annos 800
constitit; *Cap. III de regno & republica Lacedæmoniorum,
ejusque ad bella Messeniaca*, intra annorum 800 decursum,
*fatis; Cap. IV de regno & aristocratia Corinthiorum,
usque ad interitum regiæ dignitatis*, qui post A.
900 supervenit; *Cap. V de regno Thessalorum*, quod per
annos 322 floruit: *Cap. VI de regno & republica Atheniensium,
usque ad subversionem regiæ autoritatis*, quæ
post florem annorum 1046, *Hippia* ejecto, contigit. Liceat
nobis priora hujus *Libri Capita* paulo plenius attingere.
Sicyon, Peloponnesi urbs, prope Isthmum in fini- Pag. 13.
bus Achajæ sita, brevi post diluvium *Deucalionis* condita
perhibetur. Ibi, post *Ægialeum* & *Apim*, *Sicyon* Rex 14.
sceptra tenuit, quo defuncto, potestas regia ad sacerdotes 17.
Apollinis transiit, donec post 33 annos omnis provincia
Argus regno subjiceretur. Reges quamplurimos, quot ad 15.
annos 1000 implendos sufficere videbantur, nominant Chronologi,
quos tanquam spurios & fictitios optimo jure
resecuit *Newtonus*. Argolidis regnum, quamvis tempo- 18.
ris spatio Sicyonico cesserit, id tamen potentia, divitiis, rerumque
gestarum gloria, longe superavit. Conditum est
ab *Inacho*, quem, ex Ægypto per mare in Græciam venientem,
Oceani filium credidit antiquitas, A. M. 2148,
1080 ante Olymp. 1, 232 post regnum *Sicyonis*, exstinctum.
Inachum Phoroneus excepit, quem hominem primum multi
tradiderunt, & ara *Junoni* posita, nec non leges, & subditi,
Phoronico exstructo, in civitatis formam redacti, celebrem 21.
fecerunt. *Phoroneo* post Caryatas Parrhasianosque, populos
Arcadiæ, devictos mortuo, *Apis* successit, *Api Argus*, qui
urbi peninsulæque nomen dedit, *Argo Criasus*, quem *Peirasum
Pausanias*, alii *Peranthum*, vocant, *Criaso Phorbas*, *Phor-* 22.
bæ Triopas; Triopæ utrum *Jasus*, an *Crotopus*, successerit,
incertum est. Postea *Sthenelaus* regnavit, dein *Gelanor*, tum
Danaus, *Ægypti* frater, qui cum pentecontori Argon venit,

Pag.25. & ex populi decreto imperavit, *Lynceum* generum post se re-
linquens, qui e fabulosa *Danaidum* strage solus effugisse per-
hibetur. Successor *Abas* fuit, ab alio ejusdem nominis
26. caute secernendus, cujus filii *Prætus* & *Acrisius* de dia-
demate certarunt, & post variam belli fortunam pacti
sunt, ut Argon retineret *Acrisius*, Tyrinthum vero, alia-
que loca maritima, regeret *Prætus*. *Acrisium* disci jactu
31. fortuito inter publicos ludos interemit *Perseus* nepos, *Jo-
vis* e *Danae*, *Acrisii* nata, filius, qui, Argon ideo aversatus,
32. A. M. 2692 sedem regni Mycenas transtulit. Sunt, qui,
Perseum Megapentho, filio *Præti*, Argon tradidisse pro
aliis possessionibus, asserunt, sed solido sententiæ fundamento
33. destituuntur. Num *Mastor* & *Electryon Perseo* successe-
rint, dubio non caret. De *Sthenelo* & *Eurystheo*, in cujus
ætatem *Herculei* labores incidunt, certa res est. Is, *Hera-
clidis* infensissimus, patre rebus humanis erepto, eos Pe-
loponneso exire jussit, & in Atticam profugos armata in-
vasit manu, sed ipse in ea expeditione interemtus est, &
38. *Atreus*, *Pelopis* filius, cui gubernationem Mycenarum
commiserat, regnum occupavit, atque cum *Thyeste* fratre,
ob cœnam fabulosam notabili, divisit. Successit jure ad-
optionis *Plisthenes*, *Plistheni Agamemnon*, qui non plu-
rimas solum civitates suis ditionibus adjecit, sed & in Tro-
jano excidio, de quo hanc disserendi occasionem arripit
39 seq. *Stanyanus*, imperatoris spartam gloriose obiit. Redux ab
56. *Ægistho*, uxoris *Clytemnestræ* mœcho, interemtus est,
quem *Orestes*, patris manibus justa persolvens, avitis ejecit
57. regnis, & occidit. Celebrari *Orestes* propter amplificatas
ditiones meretur, quandoquidem Argolidis non solum
regnum, quod inde ab *Acrisio* peculiares regulos habue-
rat, & in varias portiones fuerat scissum, revocavit, sed
Spartæ etiam imperium, defuncto *Menelao*, occupavit.
Oresti Tisamenum successisse, non *Penthilum*, propter le-
gitimos natales verisimile est, qui mox potestati Heracli-
60. darum cessit, & *Temenum* successorem habuit. *Temeni*,
a filiis jugulati, regnum *Cisus*, filius natu minor, occupavit,
quo

quo fatis functo, Argivi se in libertatem vindicarunt, & posteris *Cisi* nil nisi regale nomen, potestate ademta, reliquerunt. Ultimus ex his *Meltas*, *Lacidai* filius, commemoratur, quem, imperiosius se gerentem, ultimo supplicio cives affecerunt, & democratiam imperio praetulerunt. Pag. 61.
Quando igitur post ea tempora unum alterumve Regem nominat *Herodotus*, illo accipi sensu debet, quo inter Athenienses, Romanos, & Carthaginienses, nomen hoc certis magistratibus competiit. 62.
Ceterum ad hanc Argolidis Regum seriem applicanda est *Is. Newtoni* observatio, pauciores nobis innotuisse Reges, quam fuerunt, & male vulgo dimidium seculum unius imperio tribui, quippe quod ipsimet naturae repugnare arbitratur. 23 seq.
Liber II res Graecorum, ab abolitione regiae potestatis in urbe Athenarum, usque ad finem belli Peloponnesiaci, id est, intra annos CV. gestas, comprehendit, & quidem Cap. 1 *proximos XX annos post Hippiam ejectum ad pugnam Marathoniam*, Cap. 2 *annos X a pugna Marathonia ad discessum Xerxis e Gracia*, Cap. 3 *annos X a discessu Xerxis ad victoriam Cimonis, prope Eurymedontem fluvium*, Cap. 4 *annos XXXVIII a pace, post victoriam Cimonis conclusa, ad exordium belli Peloponnesiaci;* Cap. 5 *annos X a principio hujus belli, ad inducias in annos L Athenienses inter ac Lacedaemonios pactas;* Cap. 6 *annos XVII a pace jam memorata, usque ad finem belli Peloponnesiaci.* In exordio *Libri* occurrunt dissidia *Clisthenis* & *Isagorae*, quorum ille τετρακοσίων numero centum viris aucto, & instituto Ostracismi, claruit, hic, *Cleomenis*, Spartanorum Regis, auxilio adjutus, Athenas occupavit, & democraticam reipublicae formam, qualem *Solon* instituerat, instauravit. 201 seq.
Exitum *Libri* ornant eorum nomina, qui inter medias belli flammas ingenii & literarum gloria floruerunt. Inter Tragicos *Aeschylus*, *Sophocles*, & *Euripides*, eminent. Comoediam *Phrynichus*, *Aristarchus*, *Cratinus*, &, qui primo loco nominandus erat, *Aristophanes*, excoluerunt. Inter Philosophos *Socrates* excelluit; in 444 seq.

 scriben-

ſcribendis rebus geſtis *Herodotus* & *Thucydides*, hiſtoriarum ille pater, hic ſummus magiſter.

Alterum Volumen res memorabiles LXVIII annorum, adeoque vix partem viceſimam temporis, *primo Volumine* deſcripti, complectitur, ſed, quod tempori deeſt, varietate eventuum, & rerum copia, ſupplet: ſiquidem ille annorum tractus, connumeratis XXVII annis, per quos in Peloponneſo pugnatum eſt, turbulentiſſimus Græcis exſtitit, & plenam libertatis jacturam conciliavit. Civitatum, quod tum maxime expetebatur, æquilibrium inter tot disjunctas reipublicæ formas frequentes civium conciones exigebat, ex quibus diſcordiæ naſcebantur, demagogis lites non tam expedientibus, quam intricantibus. Amphyctiones, qui muneris ſui virtute non in genere ſolum ſaluti Græciæ proſpicere, ſed lites quoque civitatum inter ſe componere, debebant, etſi quotannis bis convenirent, ſerium quidquam rariſſime ſuſcipiebant. Publicæ orationes nil niſi libertatem ſpirabant, a qua nemo non abhorrebat. Rupto itaque amicitiæ vinculo, quod contra Perſas ſociaverat animos, virtus in luxum, factiones, fraudes, & violentiam, degenerabat, adeo ut civitates majores devorare minores ſtuderent, & ad unam omnes Græciæ dominatum peterent. Inter hæc multæ Perſarum auxilia requirebant, quorum intererat, Græcorum diſcordias indies augeri. Eodem tramite cum incederet *Philippus*, Macedonum Rex, Græca libertas penitus fuit ſublata. Mors igitur *Philippi* hoc quaſi filum hiſtoriarum abrumpit, quandoquidem res ſub *Alexandri M.* imperio geſtæ ad Macedonicam Perſicamque magis hiſtoriam, quam ad Græcam, ſpectare videntur. Quamvis enim, abſente ac impedito Rege, in libertatem ſe nonnullæ civitates vindicarent; redux tamen, occupatis Thebis, & victoria per *Antipatrum* de incolis Peloponneſi reportata, tanto omnes metu percuſſit, ut poſt id tempus nunquam caput tollere auderent. Nemo exiſtimet, per has agitationes ſuffocata fuiſſe

fuiſſe literarum ſtudia, quippe quæ mirum in modum creviſſe, & ad ſummum perducta apicem, reperimus, ut etiam ea ætate ſummi literatores magnam hiſtoriæ partem occupent. Autoritatem & hic ſecutus eſt *Stanyanus* ſcriptorum fide digniſſimorum, *Thucydidis*, *Xenophontis*, & *Demoſthenis*, e quibus ſimul, quicquid de virtutibus æque ac vitiis Græcorum dicendum erat, eruit, perinde nimiam regiæ dignitatis inter Spartanos deminutionem, ac nocivum plebis inter Athenienſes imperium, vituperans. Totum *Volumen duobus* conſtat *Libris*, quorum prior *res*, *a fine Peloponneſiaci belli ad pugnam prope Mantineam intra annos XLII geſtas*, poſterior *reliqua ad mortem Philippi*, id eſt, *annorum XXVI periodum*, perſequitur. Repræſentat autem Lib. I Cap. 1 *annos V ab exitu memorati belli Peloponneſiaci, uſque ad mortem Socratis*, Cap. 2 *annos XII a Socratis obitu ad pacem Antalcidæ*, Cap. 3 *annos XVII a pace Antalcidæ ad pugnam Leuctricam*, Cap. 4 *annos VIII a pugna Leuctrica ad Mantineenſem*; Lib. II Cap. 1 *annos VII a pugna Mantineenſi ad finem belli ſocialis*, Cap. 2 *annos X a fine belli ſocialis ad finem belli Phocici*, Cap. 3 *annos VIII ab exitu belli Phocici ad pugnam ad Chæroneam*, Cap. 4 *annum unicum a pugna ad Chæroneam, uſque ad mortem Philippi Macedonis*. Etenim a temporibus ducum *Alexandri* uſque ad ea tempora, quibus a Romanis victi & ſubjugati ſunt Græci, pauci admodum armis & conſilio, nec plures artibus & ſcientiis, eminuerunt, immo. ſi famoſum excipias Achæorum fœdus, ſub *Arato* & *Philopœmene* ictum, aut *Agidis* & *Cleomenes* pro Sparta ab uſurpationibus Ephororum liberanda conatus, nihil dignum commemoratione per Græciam univerſam geſtum eſt. Ut diſcant, qui librorum eruditorum notitiam ſibi comparare ſtudent, parem induſtriam a principio ad finem uſque operis adhibuiſſe *Stanyanum*, ea, quæ inter Olynthios atque *Philippum* Olympiade

CVIII

Pag. 249 seq. CVIII acta sunt, speciminis loco delibabimus. Tempore belli Phocici, cum observasset *Philippus*, ab Atheniensibus se proxime Graecia ejectum iri, armis petere municipia & colonias Atheniensium constituebat, prae ceteris invadens Olynthios, quorum incrementa limis diu oculis adspexerat. Olynthii in tanto periculo oratores mittebant Athenas, & auxilium Metropoleos implorabant. Precibus eloquentia sua *Demosthenes* plurimum favebat, &, ut *Philippum* populo odiosum redderet, dabat operam:
252. contradictores nactus *Demadem*, quem digniorem *Demosthene* urbis civem *Theophrastus* pronuntiavit, & promtitudo dicendi celeberrimum fecit, itemque *Hyperidem*, ex principibus X Oratoribus Graeciae unum, qui, medias partes inter bonum civem & proditorem patriae praeclare agens, tandem crudelitati *Antipatri* cecidit victima. Vicisset *Demosthenes*, ni pecunia, in bellicos eroganda sumtus, inde a tempore *Periclis* populo distribui fuisset solita, ut spectaculis atque theatris gratis interesse posset. Extraordinariis ergo collationibus erat opus, ad quas ditiorum aures erant occlusae, siquidem iis solis oneri cedebant. Neque tamen penitus successu caruit studium *Demosthenis*. Altera enim Oratione Olynthiaca 30 naviculas, & 2000 milites mercenarios, conciliavit, tertia autem perfecit, ut *Chares* cum triremibus 17, peditibus 2000, & 300 equitibus, civibus Atticis, Olynthum mitteretur; quamvis astutia *Philippi*, proditione *Euthycratis* & *Lasthenis* usa, occupaverit urbem, priusquam auxiliares copiae in subsidium venirent. Sed manum de tabula, in qua commendationem adscriberemus, ni optimus operis sui laudator ipse *Stanyanus* foret. Quid enim elogio opus est, ubi nihil est, quod reprehendas, nisi reprehensione dignum quis judicet, omissas, quae paginis solent subjici, rerum allegatarum ex Autoribus idoneis probationes.

F. THO-

F. THOMÆ VINCENTII MONELIÆ, Florentini, Ord. Prædic. in Colleg. S. Marci S. Theol. Prim. Professoris, de Annis Jesu Christi Servatoris, & de religione utriusque Philippi Augusti, Dissertationes duæ.

Romæ, ex novo typographio Paleariniano, 1741, 4.

Alph. 1 plag. 3½, Tabb. 6 æri incisæ.

Cum res admodum multæ in temporum descriptione nequaquam satis adhuc explicatæ sunt; tum perdifficilis, ut inter omnes constat, & perobscura quæstio de anno, mense, & die natali, Sospitatoris nostri est: quæ, etiamsi causam, & rationem nostræ religionis non contineat, tamen & ad interiorem cognitionem rerum ecclesiasticarum, & ad temporum est dijudicationem necessaria. Hinc nemini obscurum erit, gravissimam rem, & plenam dissensionis inter doctissimos, institutam esse a Clariss. Autore. Testatur hoc cum ipsius rei, tum discrepantium sententiarum, ratio, quæ tam variæ sunt, tamque repugnantes, ut multis id magno argumento fuerit, natalem Sospitatoris annum inter Chronologiæ ἀδύνατα referendum esse. Interim hæ vel disputationes susceptæ, vel sententiæ dictæ, Clariss. *Moneliam* non deterruerunt, quo minus, quid vires ingenii valeant, quid ferre recusent, in hoc argumento periclitaretur. Librum ipsum jussit in nomine *Francisci III*, Lotharingiæ & Barris Ducis, atque Etruriæ Magni Ducis apparere, cui non minorem tribuit pietatem, quam amorem literarum. Dedicationem sequitur tabula chronologica, facem præferens Dissertationi de annis Christi; quæ tabula, singulari studio elaborata, ad præscriptum *Varronis*, fixo primum conditæ urbis Romæ anno, Olympiade VI, 3, desinente, decurrit inde ab A. U. C. 690 per singulos annos usque ad A. U. C. 754, quo Sospitator ex vulgari sententia se in humanam induit naturam, sistitque gradum in anno 70 æræ vulgaris.

Apparet autem ex hac tabula, rejectum esse a Clariss. Autore natalem annum Christi, cum *Dekenio*, *Petavio*, *Usserio*, *Lancelloto*, *Norisio*, *Natali Alexandro*, *Tillemontio*, *Gravesono*, multisque aliis, in A. U. C. 749, atque in ejusdem anni mensem Decembrem; periodi vero Julianæ 4709, Olymp. 193, 4, ut adeo natum Sospitatorem credat anno quinto cadente ante æram *Dionysianam*: quam sententiam quoque adumbrat in Præfatione. Interim non immerito ipsi visum est, tempus nati Sospitatoris ex cæde infantium Bethlehemiticorum colligendum, hanc vero ex morte *Herodis*, quem temporis illius adulatio magnum usurpavit. Idcirco primum omnium sedulo dat operam, ut, quoad ejus fieri possit, mensem hujus *Herodis* supremum constituat. Qua in re secutus est ducem *Fl. Josephum*, diligentissimum rerum Judaicarum scriptorem, cui, de *Herode* exponenti, ad manus erant commentarii *Nicolai Damasceni*, quos intercidisse injuria temporis, vehementer orbis literatus dolet. Eundem autorem hac in re constituenda habuerunt, solumque secuti sunt, *Petavius*, *Norisius*, *Pagius*, *Lamius*, *Natalis Alexander*, aliique bene multi, quos diligenter in consilium adhibuit. Sed age, sententiam Clariss. Autoris brevi oratione persequamur. Duobus locis *Fl. Josephus*,
Pag. 2. *Lib. XVII Cap. 8 Antiq.* & *Lib. I Cap. ult. Belli Jud.* de morte *Herodis* egit, duplicique eam ratione fixit, & anno XXXVII regni a Romanis collati, & XXXIV a captis Hierosolymis, & *Antigoni* nece. Noster, exploratum esse, dicit, anno U. C. 714 labente, mense Octobri, vel Novembri, regnum illi collatum esse, quod pluribus comprobare elaboravit, in eaque causa adornanda autoritates, a *Lamio* adductas, sequitur. Colligit hinc, cadente tantum anno
3. 750, supremum incipere *Herodis* annum, ac excurrere ad calcem A. U. C. 751. Parem esse & unam rationem, si ab *Antigono* obtruncato, & captis Hierosolymis, epocha regni *Herodiani* ducatur. Incidere hac ratione eam in A. U. C. 717, atque adeo tribus annis post priorem.

Interim

Interim hanc epocham figendam non eſſe ante menſem Septembrem & autumnum. Sententiæ ſuæ præſidium Pag. 4.
in eo quærit, quod *Joſephus* nusquam dicit, *Herodem* anno regni, quo Romæ auctus eſt, trigeſimo ſeptimo, & inde ab *Antigoni* nece trigeſimo quarto, obiiſſe: ſed imperaſſe annos a priore epocha triginta ſeptem, a poſteriore triginta quatuor; cujus rei hæc vis ſit, ut *Herodes* integros triginta ſeptem annos inde a regni auſpicio regnaſſe cenſendus ſit, quod tamen conſentaneum non eſſet, ſi Novembri menſe A. U. 750 fato exſtinctus fuiſſet. *Herodes*, ex ejus ſententia, cadentibus annis 714 & 717, regnum auſpicatus eſt, eorumque altero, fortaſſe etiam utroque menſe Novembri: hinc, eum mortuum eſſe, non A. U. 750, ſed ſequenti 751, concludit, adeo ut *Herodis* mors intra autumnum A. U. 750, & autumnum 751, figenda ſit. Rationibus ponderatis, effici poſſe, putat, initio, vel nonis, Martii, pridie, aut poſtridie, *Herodem* mortuum, & 5.
circa idus Apriles *Archelaum*, exactis jam paſchalibus diebus, iter Romam ingreſſum eſſe. Qua occaſione ſimul ſcrupulum evellere ſtudet, quem forſitan aliquibus diuturnum & funebris pompæ, & itineris, tempus injicere poſſit. Diſputat deinde cum Cardinale *Baronio*, qui *He-* 7.
rodis mortem A. U. C. 759 illigaverat; dubitationem quoque, a lunæ eclipſi, Hieroſolymis ſpectata A. U. C. 750, ductam, confutare laborat. Chronologiam vero 8.
Joſephi Herodianam, quam *Harduinus*, nimis acer & putidus rerum antiquarum exiſtimator, convellere ingreſſus eſt, ab hujus accuſationibus defendit, recteque, noſtro judicio, loco quindecim annorum, quos natus *Herodes* *Lib. XIV Antiq. Cap.* 17 præfectus eſſe dicitur Galilææ, 9, 10.
ponit viginti quinque; ita, ut A. U. C. 706 ad præfecturam Galilææ acceſſiſſe putandus ſit viginti quinque annorum; mortuus vero ſeptuaginta. Rurſus cum *Jac. Uſſerio* in arenam deſcendit, qui contrariæ ſententiæ librum objicit Hebræorum מגלת תענית, *volumen je-* 11.
junii. *Archelai* vero res geſtas, quæ prima fronte pu-

gnare videntur cum temporum ratione, sedulo comparat, atque putat, eum A. U. C. 760 deturbatum ethnarchia: qua in re tamen dissentientem habet gravem Autorem, *Dionem Cassium*, qui hoc exilium ad A. U. C. 759 refert. Celebris est *Herodis Antipæ*, cujus tempore Sospitator cruci affixus est, numus, isque cusus anno *Antipæ* XLIII, (non vero XLII, ut typi in *Moneliano* hoc opere errarunt,) sub *Cajo* Imp. Antica numi pars habet hæc, laureæ inclusa, verba: ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑ ΓΕΡΜ CΕΒ, id est, *Cajo Cæsa. Germ. Aug.* In postica ramus palmæ est, cum inscriptione: ΗΡΩΔΗC ΤΕΤΡΑΡΧΗC L ΜΓ, id est, *Herodes Tetrarcha anno XLIII*, quemadmodum liquido ostendit doctissimus *Lamius*. Hunc nu-
Pag. 12-14. mum Clariss. *Monelia* cum sua Chronotaxi conciliat, cujus numi annus propterea ægre componitur cum morte *Herodis M.*, quod anno æræ vulgaris 39 exutus tetrar-
15. chia Galilææ dicitur *Antipas*. *Cap. II*, præter *Cyrini* descriptionem, Syriæ præsides exhibet, & conatur vincere, Christum potius A. U. C. 749, quam 748, natum esse. Et, quod ad Syriæ præsides attinet, inprimis duorum tempus eruendum est, *C. Sentii Saturnini*, & *P. Quinctili*
16. *lii Vari*. Id putat numorum beneficio tam liquido ostensum esse, ut nemo, in temporum doctrina vel leviter versatus, jam amplius dubitet, *Varum* ante autumnum A. U. C. 748 in Syriam venisse; nec minus certum esse, eum Syriæ præsidem fuisse tum, cum *Archelaus*, *Herode* exstincto, illinc, Romam profecturus, contendisset post Paschatos A. U. 751 festos dies. Videre hoc sibi visus est
17. ex anno æræ Antiochenæ XXV, in numo quodam obvio, cujus epocha est Actiaca pugna, quæ, uti constat, mense Septembri A. U. 723 contigit. Hinc consequens
18. esse putat, ut *Varus* A. U. 748 Syriæ præses fuerit. Num vero illuc se contulerit eodem, an superiore proximo, anno, quæstionem dicit haud facile dirimendam. Nullos quoque dari characteres temporum ad figendam *Saturnini*, decessoris *Vari*, administrationem Syriacam: ipse

ipse tamen ejus initium ponit, haud levi ductus conjectura, A. U. 758. *Varum*, pergit, Syriæ præsidem, cum Christus nasceretur, fuisse; *Quirinum* autem, seu *Cyrinum*, Pag. 19.
statim post *Archelaum ab Augusto* deturbatum regno, in exiliumque missum, datum esse Syriæ rectorem. Idcirco verba *Lucæ II:* Ἀυτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ita interpretatur: *Facta est descriptio hæc prima ab Cyrino, Syriæ deinceps præside*, quod propter Syriacam præfecturam, quam postea 20.
consecutus est, inprimis notus esset. Neque tamen rejicit aliorum interpretationem, qua πρώτη per προτέρα reddunt hunc in modum: *Ipsa descriptio hæc prior fuit Quirini præfectura, vel prior Quirino, Syriæ præside.* Cum tempore eo, quo in humanam se induit naturam optimus Servator, totus dicatur orbis terrarum pace compositus fuisse; multa ad ejus rei comprobationem affert, atque contendit, *Jani* templum tertio clausum esse ab *Au-* 21-24.
gusto A. U. C. 748, vel ob Armeniæ turbas A. 749, quo 749 cadente anno *Quirinus* Judæam descripsisset. Sunt tamen duo, quæ vehementer pugnare videntur cum *Cyrini*, a *Luca* commemorata, descriptione; primum, quod ex manifesto & indubio temporum contextu describendi populi partes potius *Saturnino*, aut *Varo*, tribuendæ sunt; alterum, quod Judæi, *Herode M.* vivente, suis legibus utebantur, nec tributis pendendis tenebantur. Uti- 25, 26.
que huic dubitationi ad præscriptum *Lamii*, quem hoc loco potissimum sequitur, occurrere nisus est. *Cap. 3* 29, 30.
tempus cædis Bethlehemiticæ sub Martii initium paulo ante *Herodis* mortem A. U. C. 751 figendum dicit, idque se non obscuris, sed clarissimis, putat, indiciis assecutum ex *Augusti* verbis, & *Macrobii* testimonio, quod *Lib. II Saturn. Cap. 4* exstat. Filium enim illum, quem *Augustus* ab *Herode* una cum Syriæ pueris intra bimatum occisum dicat, quinto ante mortem die sublatum esse. Hanc cædem deinde cum Magorum adventu contendit, 31 seq.
bienniοque circiter perpetratam existimat post primam

phasin stellæ a Magis visæ, quæ ex ejus sententia primum
Magis die 25 Martii A. U. 749 apparuit. Qua occa-
sione data, simul in Magorum patriam inquirit; tempus
Pag. 35. vero visæ primum a Magis stellæ cum ex ipsa rerum con-
40, 41. secutione, tum ex Ecclesiæ Patribus eruere studet. Porro
iis respondet, qui, sidus hoc natali Sospitatoris die primum
fulsisse, putant, atque, vel Persas, vel Arabes sapientes, uno,
aut altero, post nativitatem anno Christo jam bimulo mu-
44, 45. nera obtulisse, autores sunt. Quin tam firmiter sibi per-
suasum habet, Servatorem mense Decembri natum, mense
Martio vero conceptum esse, ut nec in *Scaligeri*, nec in
Calvisii, nec in *Basnagii*, nec in aliorum, qui de ejus sen-
tentia fœnum in cornu habent, unquam sit sententiam di-
scessionem facturus; a partibusque suis stare putat anti-
quam & Græcam, & Latinam, Ecclesiam omnem. Sed ve-
remur, ut hanc sententiam iis sit probaturus, qui, gravis-
simis inducti causis, negarunt, apud antiquos diem Serva-
46. toris natalem unanimi voce celebrari. Causam, cur cæ-
des Bethlehemitica sit silentio apud profanos, ipsumque
Fl. Josephum, involuta, quærit in exiguitate pagi Bethle-
47-49. hemitici: ubi pluribus de loco *Macrobii*, supra a nobis
tacto, agit, atque addit *Chalcidii* de Magis testimonium,
quem Christo nomen dedisse, negat contra *Fabricium*.
50, 51. *Cap. 4*, propius a vero abesse, autor est, Christum, æræ
vulg. anno XXVIII ineunte, sacro lavacro initiatum esse,
neque dicendi rationem ὡσεὶ ab hac sententia abhorrere.
52. Paschata vero modo tria in rationem inducit. Sequitur
investigatio anni illius, quo *Pontius Pilatus* Judææ præ-
esse cœpit. Hunc annum comparat cum anno XXVII
æræ vulgaris propterea, quod *Fl. Josephus*, *Pilatum* an-
53. nos decem in Judæa, dicit, degisse. Primum Servatoris
Pascha innectit anno vulgari 28, idque constare putat ex
annis 46, elapsis post templum strui ab *Herode* regni
18 anno cœptum: qui imperii *Herodiani* annus, *Pagio*
comprobante, anno U. C. 735 labebatur. Nam ea, quæ
apud *Ioan. II* de templo, ab *Herode* instaurato, narran-
tur,

tur, ad primum Pascha refert. Habet quidem in anno 28 constituendo *Clementem* & *Tertullianum* consentientes: sed hi, uti constat, modo unum tribuunt ministerio Servatoris annum, & altero eum cruci affixum perhibent. Ut annum *Tiberii* 15 apud *Luc. III* eruat, inquirit Pag. 56.
in collatam *Tiberio* proconsularem dignitatem, cujus vi æqualem fere cum *Augusto* potestatem exercuit, conciliatque *Vellejum* & *Suetonium*, pugnantes de lata hac de re lege. Omnino parum, aut nihil, ut recte monet Clariss. 60.
Autor, dubitationis superfuturum esset de ultimo Sospitatoris anno, si Consules Romani, quibus, clavum reipublicæ tenentibus, Christus mortuus est, indubii essent. *Cap.* 5 61 seq.
confirmare & illustrare annisus est ea, quæ *Capite* superiore dixerat. Rejecta *Natalis Alexandri*, *Tillemontii*, & *Lamii*, sententia, qua Sospitatori tribuit XXXVI, vel XXXVII, annos ætatis, disputat cum *Schelstratio* de voce ἀρχόμενος *Luc. III*, atque negat, adhibitam hoc in loco dicendi rationem significare annum trigesimum Christi inchoatum, vel trigesimum primum ineuntem. Sed hanc disputationem malumus apud eum legi. Affert deinde *Fl. Josephi* testimonium de sanctitate *Joannis* baptistæ, 68-76.
de *Herodiade*, de *Pilato*; item testimonia *Orosii*, *Eusebii*, *Justini Martyris*, *Tertulliani*, *Epiphanii*, de Actis *Pilati* ad *Tiberium* missis; porro *Plinii*, de Christianorum innocentia, aliaque, quæ locum in Diatriba hac chronologica invenisse, miramur. Cum a rite constituto anno 15 *Tiberii* Imp. sacer temporum ordo singulare lumen accipiat; sedulo operam dedit, ut illum annum sine proconsulari epocha figeret. Juvabit igitur, sententiam hanc Clariss. Autoris verbis exhibuisse. *Augustus*, inquit, 92 seq.
e vita excessit anno Christi XIV, die 19 Augusti. Compertum est 1), ab eo die usque ad 19 Augusti sequentis anni Christi XV labi primum Tiberii Imperatoris annum; & a 19 Augusti anni Christi XXVIII, usque ad 19 Augusti anni Christi XXIX, fluere quintum decimum ejusdem Tiberii; 2) more ab illustribus Scriptoribus usurpato,

pato, dici etiam posse, annum primum hujus Imperatoris complecti tantum reliquos Augusti dies, & sequentes menses Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem, anni Christi XIV, & Calendis Januarii anni Christi XV incboari annum secundum hujusmodi imperii: quia, licet annus primus absolutus, atque completus, non fuerit, spectato Principatus exordio, tamen exactus est annus ille popularis, atque civilis, & Calendis hisce Januariis incboatur novus annus popularis, atque civilis: atque hac supputandi ratione, annus XV Tiberii erit idem prorsus a capite ad calcem, atque annus Christi XXVIII. Compertum pariter est 3), spectato usu Syrorum aliorumque Orientalium auspicandi annum, non a Calendis Januarii, sed ab autumno, circa Octobris initium, enumeratoque pro anno primo (minime completo) tempore interjecto inter primordia regni, & initium Octobris annique civilis, & popularis illarum regionum, primum annum Tiberii non excurrere, nisi usque ad Calendas Octobris anni Christi XIV, labi vero secundum a Calendis fere Octobris anni Christi XIV, lati vero secundum a Calendis fere Octobris anni Christi XIV usque ad Cal. Octobr. anni Christi XV, atque annum quintum decimum Tiberii fluere hac methodo ab Octobri anni Christi XXVII ad Octobrem anni Christi XXVIII. Hæc & alia quædam omnino, nostro judicio, docte disputantur in hoc libello; interim tamen vehementer dolemus, Clariss. Autorem non ante, quam ad dijudicandam de annis Servatoris quæstionem accessit, consuluisse doctissimas de eodem argumento Commentationes trium Virorum, qui nostra ætate eandem rem singulari diligentia pertractarunt, *Petrum Allix, Salomonem van Till, & Leonardum Offerhaus;* quandoquidem hi doctissimi Viri bene multa, in quibus nititur Clariss. Autoris sententia, vel everterunt, vel ita labefecerunt, ut tuto iis nemo circumspectus rerum antiquarum existimator fidem adhibere possit. Nos vero ea consulto prætermisimus, quod nostram facere hanc litem noluimus. Majori, si non laude, at orbis literati fructu, versatus est Autor

in

in altera Dissertatione, qua de religione utriusque *Philippi Augusti* exposuit. Ad tria possunt genera revocari, quas eruditi de horum *Philipporum* pietate adversus Servatorem tulerunt, præcipuæ sententiæ. Prima est, & quæ inprimis autorem habet magni nominis inter suos, Cardinalem *Baronium*, utrumque *Philippum* anno seculari Christo nomen dedisse. Altera, *Philippum* seniorem ad Christianorum sacra jam sub imperii auspicium accessisse, quam sententiam variis argumentis tuitus est *Petrus Daniel Huetius*, magnum Galliæ quondam ornamentum. Tertia, eaque *Tillemontii*, ponit ejus accessum ad sacra Christianorum multo ante initium imperii. Harum nullam admittit Clariss. Autor. Miratur, illustres viros, *Huetium & Tillemontium*, quibus tribuit subactum rebus historicis ingenium, non animadvertisse, nullam rem tam, quam sacra secularia, abhorrere a pietate adversus Sospitatorem. Ipse vero in *Francisci Blanchinii* sententiam discessionem facit, qui, tempore sacrorum seculorum, negat, *Philippos* nomen Christo dedisse. Sed age, ipsam adumbremus Dissertationem. Post brevem Præfationem, qua instituti rationem sistit, Chronologiam dat imperii *Philippei*. Sequuntur dein tabulæ duæ ludorum secularium ad mentem *Petri Taffini*, quarum una ad *Varronis* normam composita est, altera ad *Fabii Pictoris*. *Cap. I* exponit, quæ veterum sit & recentiorum sententia de utriusque *Philippi* religione. Recentiorum opiniones tres adducit. Alii, Christo nomen dedisse palam, dicunt, jam ante sacra secularia, ut *Baronius*, *Taffinus*, *Huetius*, *Tillemontius*. Alii vero contendunt, id clam, remotis arbitris, post sacra secularia eum fecisse; quam sententiam ornare studuerunt *Blanchinius*, *Pagius*, & ipse noster Clariss. Autor. Rursus vero alii non tantum non in Christianis eum numerant, sed nebulonem dicunt fuisse, punica fraude deteriorem, ut *Lætus*, *Egnatius*, *Scaliger*, alii. Miramur, *Larroquani* sententiam, quæ multis haud immerito propius a veritate abesse visa est, non additam

 esse,

esse; quam in *Advers. sacris Lib. I Cap. 76 seq.* exposuit: nimirum, medium locum tenuisse *Philippos* inter profanorum & Christianorum rationem colendi Deum: quod religionis genus pluribus inter nostrates Summe Venerabilis Abbas *Jo. Laurentius Moshemius*, in Tractatu *de Turbata per recentiores Platonicos ecclesia*, ex *Ammiano, Marcellino, Chalcidio, Symmacho, & Themistio*, compro-
Pag. 2. bavit. Clariss. Autor veterum testimonia suis examinat ponderibus: quorum ipsi princeps est *Eusebius Caesariensis*, in cujus sententiam sequentes Scriptores pedibus concesserint. Hunc, cum dubitantem de hac ipsa re offenderet, concludit, parum autoritatis ejus sententiam habere. Chronicon quidem ejus in Christianis numerare *Philip-*
3, 4. *pum*, sed locum esse haud dubie interpolatum. *Origenis*
5. literas ad *Philippum* nihil comprobare. *Lactantium*, gravem Autorem, quinquaginta annis post *Philippum* diserte *Constantinum M.* primum, qui, repudiatis erroribus, ma-
6. jestatem Dei veri agnoverit, dicere: atque eidem senten-
8. tiae suam adscribere *Ambrosium*. *Cap.* 2 ponderat Martyrum acta, item *Eusebii Caesariensis*, & *Joannis Chry-*
11. *sostomi*, testimonia. Deinde urget, se nullo modo divinare posse, quomodo ex *Eusebii, Jo: Chrysostomi*, & vulgatis *Babylae* actis, eorum sit orta sententia, qui, sub imperii initium, anno Christi 244, *Philippum*, dicant, Antiochiae in pervigilio Paschatis preces ad Deum fudisse in solenni Ecclesiae conventu ob patrata scelera, maxime ob *Gordianum* crudeliter a se obtruncatum. Incidere enim illud Pascha in annum Christi 244, diemque 14 Aprilis; at *Gordianum* ante 25 diem ejusdem mensis non necatum fuisse.
15. *Cap. 3* ostendit, quam vehementer ludi seculares cum Christiana religione pugnent. Erat vero in more positum, in ejusmodi ludis victimas mactare, trinoctia agere, produ-
16 seq. cere gladiatores, quorum ad millia paria *Philippi* jussu
23. populo fuerunt spectaculo. Haec omnia idoneis comprobat autoritatibus, recteque monet, Christianos Imperatores semper abhorruisse ab ejusmodi immanibus sacris, inpri-
misque

misque a pugnis gladiatorum. *Cap.* 4 infert, *Philippos* Imperatores, nulla compulſos neceſſitate, annum ſecularem celebraſſe. Namque hæc ſacra lege antiquitus conſtituta non erant, neque certo temporum intervallo reddita, quod pluribus docet. Seculum vero nunc centum annos, nunc Pag. 26.
centum & decem, comprehendebat. Ut hæc omnia in 30.
majori poneret lumine, annorum ludorumque omnium ſecularium tabulam ſuppeditat chronologicam, multis partibus *Taſſiniana* meliorem; ex qua apparet, duos tantum ſeculares annos ex novem, qui peracti ſunt, cecidiſſe in centenarios urbis. Præſertim *Cap.* 5 contra *Taſſinum* ar- 36-41.
cte tenet, accurateque comprobat, *Antoninum* ante *Philippum*, neque *Honorium* poſt eum, hos edidiſſe ludos, neque *Gallienum*. Sed, cum & alia militent contra *Philippum*, ea *Cap.* 6 urget pluribus, præſertim perſecutionem Alexandrinam, in qua nulla ratione labaſcenti Eccleſiæ Alexandrinæ opem tuliſſet. Eodem pertinere, quod *Gor-* 46.
diani, a ſe obtruncati, & a ſenatu relati in numerum Deorum, imagines non ſuſtuliſſet, & ſtatuas non depoſuiſſet, ſed ipſe illum appellaſſet divum. Apotheoſis denique *Philippi* ex Clariſſ. Autoris ſententia totam dirimit contro- 47 ſeq.
verſiam: quæ nunquam Chriſtianis Imp. tributa ſit. Idcirco numum *Iſaaci Voſſii*, in quo *Conſtitino M.* CONS. id eſt, conſecratio, adſcribitur, explicat *Cap.* 7. Egregios quosdam *Philipporum* Impp. numos, perverſe a multis in teſtimonium contrariæ ſententiæ raptos, vindicat. Hic multus eſt in numo Apamenſium illuſtrando, de quo *Octavius Falconerius* peculiarem conſcripſit Diſſertationem. Exhibet hic numus *Philippi* caput laureatum, cum inſcriptione: ΑΥΤ. Κ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ΑΥΓ. *Imp. Caſ. Jul. Philippus Aug.* In averſa: ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. id eſt, *ſub M. Aur. Alexandro II, Pontif. Apamenſium.* Navigio vero, cui columba inſidet, aliaque cum ramuſculo advolat, & duo homines inſunt, literæ leguntur inſcriptæ: ΝΩΕ. Quam turpiter vero ii ſe dare ſoleant, qui elicere ex hoc

numo *Philippi* Christianismum cupiunt, inter omnes constat. Remansit tamen quæstio dijudicanda, quid sibi literæ ΝΩΕ velint. Clariss. Autor de Patriarcha *Noah* interpretatur. Nos malumus referri ad ΑΠΑΜΕΩΝ, quemadmodum in simili *Severi* Imp. numo verba ΝΗΤΩΝ, inscripta navigio, manifesto respiciunt extrema inscriptionis verba ΜΑΓ, id est, ΜΑΓΝΗΤΩΝ, legimusque *Apamensium Neocorum*, ita ut errore sculptoris aliqua literarum facta sit permutatio. Exstat de his Apamensibus alius numus in *Harduini* Numis populorum & urbium. Sed hæc in præsentia agere nostrum non est.

PETRI ZORNII, IN GYMNAS. THORUN. Rectoris, Professoris Primarii, & Bibliothecæ publicæ Præfecti, Historia Bibliorum, ex Ebræorum diebus festis & jejuniis illustrata, selectissimisque observationibus adornata.

Lipsiæ, ex officina Langenhemiana, 1741, 4.

Plag. 20.

Ediderat Clariss. Autor, jam ante aliquot annos ad Superorum vitam evocatus, A. 1738 *Historiam Bibliorum manualium*, cujus hæc ipsa Commentatio auctarium aliquod haberi potest. Præsens opusculum, cujus rationem Autor in Præfatione exponit, *undecim* absolvitur *Capitibus*. *Primo* Autor differit de mense Tisri, in quem *lætitia*, sic dicta, *legis* incidebat. Illum totum fere festum fuisse, observat: cujus rei rationem non cum *Spencero* a moribus profanarum gentium repetit, sed cum *Leusdenio* demonstrat, Deum hoc ipso commodis Israelitarum voluisse consulere, quoniam tum temporis fruges terræ collectæ erant. *Cap. II* quædam habet de festo tabernaculorum, quod in
Pag. 4. mense Tisri agitabatur. Inquirit in rationes appellationis חג האביכחג הסכות, item cur simpliciter חג appelletur. Illud typice felicitatem Ecclesiæ ultimi temporis, gravissimis certaminibus feliciter superatis, designare, cum *Snabelio* ac *Vitringa* existimat, quibus Rev.

Dach-

Dachsium, qui id ex instituto demonstratum dedit, addere possumus. Judæi, dum Christum eadem festivitate, quæ in illo solennis erat, receperunt *Matth. XXI, 13*, eique acclamarunt *Hosanna filio David*, ipsum susceperunt tanquam Messiam, a Deo suscitatum, instrumentum nempe magnæ illius salutis, quam exspectabant. Per τὴν ἐσχά- Pag. 8.
την ἡμέραν, *Jo. VII, 37*, ultimum σκηνοπηγίας diem intelligendum esse, statuit, qui num septimus, an octavus, illius dies fuerit, diversas virorum eruditorum sententias profert. *Cap. III* commentatur de die festo, *lætitiæ legis* sacro, qui pro diversa Judæorum consuetudine modo 13.
octavo, modo *nono*, die tabernaculorum festivo celebrabatur, quo ipso multa cum lætitia lectioni legis annuæ & finem imponebant, & simul illius initium faciebant: qua occasione quædam adjunxit de sectionibus legalibus, ritus hodiernos ex *Buxtorfio* & *Schultzio* enarrans, maxime cum legem scrinio sacro expromunt, in altum tollunt, ac in suggestum sacrum deferunt. Judæi summa Codicem sacrum 27.
prosequebantur religione, nec id solum faciebant Pharisæi, sed & Sadducæi, & Karæi; primas tamen detulerunt libris *Mosis*. Ex *Marc. XII, 26*, probari posse, libros sacros illa 32.
jamdum tempestate in sectiones divisos fuisse, contra *Jo. Frid. Miegium* demonstrat. Cum librorum sacrorum lectio- 33.
nem diligenter suadeant priscæ Ecclesiæ doctores; illam prohibent Pontificii, convicia in libros illos congerunt, eosdemque comburunt, quod exemplis allatis evincit, prudentioribus ex illis melius sentientibus. Locum *Ps. XL, 8*, item *Ebr.* 34-40.
X, 7, illustrat. ספר a מגלה ita differt, ut hoc sit *generalius*, מגלה contra *specialius*, tantum libros volubiles, inque rotulum convolutos, designans. Κεφαλὶς βιβλίȣ non nisi *volumen* designat. Σῶμα τȣ̃ Μώσεως *Jud. V, 9*, ipsi est systema legum *Mosaicarum*, quo sensu vox σῶμα apud Græcos, גוף apud Ebræos, venit. Vox φελόνη 47.
2 Tim. IV, 13, non est convertenda in φαιλόνη, ut sic *capsula libraria* significetur; *penulam* potius hic innui, Autor pertendit. Ubi *2 Cor. III, 3*, credentes dicuntur *epistola* 49.

ſcripta, locutio petitur a Judæis, qui, obſervantibus *Schœtt-genio* & *Quandtio*, diſcipulos comparant cum membrana & papyro, legem grandioribus literis ſcribentibus, quam
Pag. 52. in Synagoga depromebant ac oſtendebant. *Cap. IV* diſſerit de effuſione aquæ vino mixtæ per totum ſeptiduum, quovis mane facta, non repetenda ex *Jer. XII, 3*, qua ipſa delineata fuerit uberior copia donorum Spiritus S., cum eccleſia, Meſſia in cœlum ſubvecto, communicandorum.
59. *Cap. V* agit de feſto die, in memoriam legis datæ inſtituto, quæ num quinquageſimo ab exitu ex Ægypto die perlata fuerit, certo Scripturæ S. teſtimonio adſtrui poſſe, negat. Spiritum ſanctum non in templo, ſed in domo privata, Chriſti internuntiis impertitum fuiſſe, contra *Schœtt-*
63. *genium* diſputat. Ex Judæis ſunt, qui Chriſtianis & gentilibus, legem Moſaicam legentibus, mortem, manu Dei inferendam, interminantur, illosque ex ſuis omnibus diris devovent, qui Chriſtianos linguam Ebræam doceant, aliis in mitiores partes inclinantibus. Nec parabolæ, in Evangeliis occurrentes, ac oratio dominica, quibus ſimile quid in Talmude invenitur, ex illo ſunt deſumtæ, Judæi potius illas ex N. T. deſumſerunt, ſuoque Talmudi intulerunt.
73. Laudat inſtitutum *Chriſtiani Mulleri*, V. D. M. Francofurtani, qui N. T. in gratiam Judæorum ex verſione *Lutheri* literis Judæo-Germanicis imprimi curaverit: qui labor quidem multis Judæis ſaluti fuit, quoniam tamen illi non æque puro ſermone Germanico delectantur, rem felicius ſucceſſuram eſſe arbitratur, ſi quis dictionem ad Judæorum loquendi rationem convertat, brevibus ſubjectis annotationibus, ex Talmude a Rabbinis deſumtis, quod ipſe ſe facturum recipit, modo bibliopola ſumtus erogare
74. velit. *Cap. VI* oſtendit, LXXviralem interpretationem maximo in pretio fuiſſe apud Judæos helleniſtas, tanquam ex ipſo Spiritus ſancti afflatu profectam, Ebraizantibus contra illam prorſus improbantibus. Num vero hi ob illius confectionem anniverſarium jejunium, illi feſtivitatem annuam, quod *Philo* perhibet, obſervaverint, pro certo

certo affirmari non posse, censet. *Cap. VII.* de prælectione legis, quovis septennio revoluto, die festo tabernaculorum exacto, a rege facta, qui sibi ipse legem describere debuerit, & quidem ex codice, qui in atrio templi fuerit asservatus, saltem ex illo emendare, aliqua in medium adducit. Lex, a pontifice *Hilkia*, stupente rege *Josia*, inventa, fuit, ex mente *Abarbanelis*, suffragante *Leusdenio*, ipsum exemplar *Mosis*, quæ cum demonstratio dicatur
התורה, & de qua *2 Paral. XXXIV. 14*, pronuntietur, Pag. 88.
per manum Mosis exaratam fuisse. *Cap. VIII* in eo est, ut jejunia, a Judæis ob exustos codices sacros indicta, recenseat. Postquam igitur de Judæorum jejuniis aliqua generatim præmonuit, docet, d. 28 Cisleu jejunium fuisse agitatum ob codicem sacrum a rege *Jojakim* combustum, *Jer. XXXV, 2, 23, 29.* Inter doctores primæ Ec-
clesiæ fuerunt, qui, omnem Scripturam in captivitate Baby- 90.
lonica intercidisse, affirmarunt. *Eusebius*, illam tantum corruptam fuisse, existimavit. *Antiochum Epiphanem* non omnes codices sacros incendio delevisse, Autor contra *Marcum*
Meibomium dat probatum. Ubi *Cap. IX* in rationes in- 102.
quirit, cur Judæi ab *Augustino* Christianorum *scriniarii* appellentur; observat, illos a *Mohamede* comparari cum asinis, libros sacros portantibus, quos tamen non intelligant, *Augustinum* ipsos nominare capsarios, ob summam curam, quam in illis asservandis impenderint, quos minus (quod crimen in ipsos conjiciunt Sociniani ac Pontificii,) corruperint, a quo tamen crimine ipsos ex horum societate immunes pronuntiat *Maraccius*. In Codice sacro descri-
bendo summam adhibuerunt curam. Codex descriptus cum 110.
exemplari suo diligentissime componebatur, in quo si quid erratum esset, abscondebatur, id est, usui non destinabatur. Porro nefas habebatur, describi ab homine hæretico; legitima intentio requirebatur; justum atramentum adhiberi debebat. *Cap. X* de studio legis apud Judæos tractat.
Illud sibi commendatum habebant quam maxime, quinto 113.
ætatis anno filios suos ad Scripturam legendam adducebant,

ac

ac assuefaciebant, cujus periti appellabantur בעלי הפסוק, תלמידי תורה, item תלמידי חכמים, quorum fastus eo adscendebat, ut reliquos instar vilis plebeculæ nomine
Pag. 118. עם הארץ contemnerent. Hodierno die apud Judæos friget fere hoc studium, quorum multi Scripturam nesciunt, imo ne quidem *δευτερώσεων* Talmudicarum sunt gnari, eaque de causa in summa versantur ignorantia, quos in pudorem dare possunt illi, qui inter Muhamedanos nominantur *Capmessaby*, id est, discipuli Messiæ, qui Christum pro vero Deo, ac mundi sospitatore, habent, vitæ morumque elegantia exsplendescentes, qui pro hac sententia sæpius
120. mortem sunt perpessi. Divisione codicis sacri in *legem, prophetas*, & *hagiographa*, neque ita antiquam, uti Judæi sibi persuadent, neque satis concinnam, esse, monstrat. Ad
122. locum *Actor. XIII, 42*, observat, *Schættgenium* secutus, Judæos extra ordinem convenire fuisse solitos, diebus lunæ & Jovis, qui ipsis dicti fuerint ימים שבינ תיים, *dies intermedii*; hic minus legendum esse *ἐις τὸ μεταξὺ σαββάτων*, cum lectio hæc Codicum autoritate non fir-
124. metur. Lectio Sabbathica non semper a sacerdote, vel Levita, peragebatur, æque commode a quovis gregario Judæo fieri poterat, modo in lectione legis רגיל & בקיא probe expertus fuerit, quod verbis *Braunii de V. S. Lib. II Cap. XXV §. 3 p. 844* (in recentiori editione
126. Amstelod. legitur *Cap. XXVI §. 711 p. 672*,) declarat. *Cap. XI* complectitur additamenta quædam de divisione Scripturæ sacræ ex Judæorum mente, librorum sacrorum ordine, tum apud priscos Judæos, tum ratione temporis, item consuetudine Judæorum, lectionem semper finientium, verbis promissionem, non comminationem, compre-
128. hendentibus. Sequuntur alia de lætitia mulierum, quam testantur illo die, qui *lætitia legis* nuncupatur de attentione ac silentio veterum Christianorum, dum oracula divina prælegerentur, de Karæis, Prophetas non rejicientibus, de divisione legis in tot partes, quot sunt in anno dies festivi.
132. Tanquam in transitu illustrat locum *Act. XV, 21.* Coronidem

dem imponunt Indices *Capitum*, *locorum* sacræ Scripturæ expositorum, & *rerum*. Figura, quam titulus exhibet, repræsentat effigiem *tunicæ molestæ pag. 102*, & emblema studii ac concordiæ sacræ Scripturæ *pag. 115*. Hæc sunt præcipua lucubrationis hujus eruditæ momenta, in qua pauciora quidem spectant argumentum, quod illustrandum sumserat eruditissimus Autor, quæ autem illius occasione attingit, & copiosam ejus eruditionem novo documento comprobant, & varietate sua Lectores delectare, iisdemque usui esse, possunt.

JOANNIS AUGUSTINI DITELMAIERI, Norimb. Historia dogmatis de descensu Christi ad inferos literaria, cum Prologo D. JO. BALTHASARIS BERNHOLDI, Prof. Theol. in Acad. Altdorf. Ecclesiæ Past. & Ordinis sacri h. t. sextum Decani.

Norimbergæ, impensis Seitz & Zell, 1741, 8.
Plag. 16.

Historiæ non solum ecclesiasticæ, sed etiam Theologiæ dogmaticæ, insignem præstant operam, qui in historia singularis dogmatis suum ponunt studium, fata, originem, & progressus, ejusdem accurate enarrantes. Dici enim vix potest, quantum lucis inde doctrinæ Evangelicæ accedat, si cognoverimus, quomodo per longum seculorum cursum aliquod dogma incrementa ceperit, a quibus hostibus impugnatum fuerit, & qua ratione tandem veritas cœlestis victoriam reportaverit. Testes hujus rei esse possunt in lucem emissæ Commentationes Celeb. *Walchii*, qui varias nostræ Ecclesiæ doctrinas per historicam enarrationem illustravit, & pluribus, in hoc negotio suam collocaturis industriam, laudabili exemplo præluxit. Laudem igitur meretur Clariss. *Ditelmaierus* non vulgarem, qui historiam dogmatis de *descensu Christi ad inferos* nobis proponit, quæ ipsa doctrina sæpe impugnata, & ab aliis negata, ab aliis defensa, fuit. Ita suas partes explevit Clariss. Autor, ut pri-

mo exponat, quid veteres de hac doctrina docuerint, id quod testimoniis confirmavit, deinde, hoc dogma in antiquissima jam ecclesia Christiana propositum fuisse, invictis argumentis demonstret adversus eos, qui, successu temporis illud in ecclesiam irrepsisse, sibi persuadent, denique contra eos pugnet, qui de sepultura hunc articulum explicant. Omnia *Capitibus XIV* inclusit, quæ ipsa paucis jam considerabimus.

Pag. 10. *Cap. I* de significatione vocis ᾅδης, & *infernus*, deque statu animarum post mortem, agit. Inquiritur inprimis, quo sensu hæc vox apud Patres ecclesiæ occurrat. Locum ea damnatorum cum in Scriptura, tum apud Scriptores ecclesiasticos, denotat, qui hac notione sæpissime hanc vocem ponunt. Cum vero, ᾅδης apud Patres sepulcrum notare, multi contendant; negat id ipsum Clariss. Autor, &, non nisi per metonymiam adjuncti illam

24. significationem admitti posse, credit. *Cap. II* vocis ᾅδης veram significationem explicat, qua communem statum animarum separatarum denotat. Luculentissimis Patrum & Græcorum & Latinorum testimoniis monstrat, illos statum animarum separatarum per *infernum* & ᾅδην intellexisse. Distinxerunt tamen iidem Patres conditionem animarum in inferno, duos quasi locos constituentes, alterum piorum Manium, alterum impiorum, illum superiorem, hunc inferiorem, facientes. Superior infernus apud Patres sæpe paradisus, & sinus *Abrahæ*, vocatur. Patres priorum Seculorum a II usque ad IV, nihil mali in inferno pati piorum animas, sed esse felices, in bono confirmatas & beatas, impiorum contra animas torqueri in inferno, docent, & in miserrimo esse statu. Quæ testimoniis idoneis confirmantur. Recte observat Clariss. Autor, hanc sententiam longe abesse a purgatorio Pontificiorum, & limbo patrum. Interim tamen hanc phrasin Patrum non retinendam, & defendendam, putat, quamvis aliquo modo

44. excusari possit. *Cap. III* exponit, quid a Seculo inde IV in doctrina de statu animarum separatarum, & de inferno, mutatum fuerit. Ab hoc tempore nonnulli a ve-

terum

terum doctrina discesserunt, statumque piorum apud inferos ita descripserunt, ut non multum differre videatur ab eorum statu, quos in purgatorio igne pœnas dare, hodie asseverant Pontificii. Fuerunt quoque Seculo IV nonnulli, qui statuerent, ex inferno quosdam ad cœlestia gaudia translatos esse, si intercesserit ecclesia. Inde preces pro mortuis, oblationes, & sacrificia, originem trahunt. Quæ singula Papatui præluserunt. Propius ad rem accedit Clariss. Autor *Cap. IV*, quo exponit, quid de Christi ad Pag. 57.
inferos descensu docuerit ecclesia a Seculo I ad III. Ex hoc *Capite* ii maxime refutari possunt, qui in ea sunt sententia, novioribus Seculis opinionem de descensu Christi ad inferos, & ad loca damnatorum itinere, esse ortam. Dilucide enim monstrat Autor, primis jam Seculis in omni ecclesia Christiana hoc dogma creditum, nec unquam sepulturam Christi explicatam & intellectam fuisse. Ex Seculo I non supersunt alii testes, quam clarissima Scripturæ S. loca, *1 Petr. III, 29, Eph. IV, 9;* provocat tamen Autor præter hæc ad testamenta Patriarcharum, Seculo I sine dubio conscripta. Ex Seculo II plura adsunt testimonia, & adducitur *Tertullianus, Irenæus, Justinus M.;* monet tamen simul Autor, hoc Seculo jam nonnullos a doctrina Apostolorum in eo discessisse, quod per ᾅδην ex *Platonica* opinione intellexerint statum omnium animarum post mortem. Interim tamen hæc sententia, Christum apud inferos prædicasse Evangelium, id est, salutem jam partam sanctorum Manibus annuntiasse, semper a Seculo II usque ad XVI ita in ecclesia obtinuit, ut nec unus eam in dubium vocaverit. Ex Seculo tertio proferuntur *Hippolytus, Origenes*, & alii. *Cap. V* memorantur fabulæ, quibus hoc 70.
dogma his temporibus maculatum fuit, & errores hæreticorum. Ex Evangelio *Nicodemi* initio Autor recenset fabulam, quod *Simeonis* quidam filii, *Charinus* & *Lenthius*, ex inferis Christi beneficio reduces, ab *Anna* & *Caipha* jurejurando compulsi, ea narraverint, quæ cum Jesu apud inferos gesta fuerint. Quid? quod apud *Clementem Alexandri-*

num & *Hippolytum*, Seculi III scriptorem, aliosque Patres, varia inveniuntur, unde patet, hoc dogma novis historiis, ex ingenio & conjectura desumtis, eos augere studuisse. Multo vero magis Gnostici, Valentiniani. Marcionitæ, Voetiani, Manichæi, aliique, hanc doctrinam depravarunt, plerumque liberationem impiorum
Pag. 79. ex inferno somniantes. *Cap. VI* ad Seculum IV pergit, &, quid in eo docuerit ecclesia de descensu Christi ad inferos, exponit. Hoc Seculo per infernum intellexerunt statum, vel locum, quem communem habent animæ separatæ omnes, Christum vero apud inferos fuisse quoad solam animam, & quosdam ex inferno Christi beneficio liberatos esse, docent, quamvis non consentiant, qui illi fuerint, illosque in hæreticorum numerum retulerint, qui, omnes liberatos esse ex inferno, docuerunt. Omnia hæc idoneis
96. Patrum testimoniis confirmantur. *Cap. VII* de Symbolis, inprimis Apostolico, & de hæresi *Apollinaris*, differit. Quamvis hunc descensum Christi ad inferos dilucide satis docuerint Patres quatuor priorum Seculorum; tamen in paucis Symbolis ejus facta est mentio, in Apostolico autem nunquam. Nec est probabile, hunc articulum ab hominibus male feriatis ex Symbolo Apostolico ejectum fuisse. Additus vero est hic articulus Seculo IV, quod ex *Ruffino* probat Clariss. Autor, ostendens simul, Romanum, Aquilejense, & Orientale, Symbolum non esse diversa, sed ipsum Apostolicum. Nondum tamen hoc tempore ab omni ecclesia hæc doctrina de descensu Christi ad inferos in Symbolum Apostolicum recepta fuit, quod etiam de sequentibus Seculis valet. Conjicitur itaque, contra Apollinaristas positum hoc dogma esse in Symbolo, qui, Christum animam rationalem habuisse, negarunt & pernegarunt. Inde factum probabile est, hunc articulum huic Symbolo esse additum in aliis Symbolis, licet etiam Symbola deprehendantur, quæ non habent descensum Christi ad inferos, quorum catalogum sistit Clariss. Autor *§. 90*, respondens tandem ad dubia, eorumque argumentationem non valere monens,
qui

qui putant, veteres negasse descensum Christi ad inferos, quia non in Symbolo fuit memoratus, aut, ubi memoratus, nihil aliud significasse, quam sepulturam. *Cap. VIII*, Pag. 113.
quæ fuerit Seculo V, VI, & VII, de hoc dogmate ecclesiæ sententia, exponit. In his Seculis doctores ecclesiæ infernum de statu animarum separatarum communi explicant, &, Christum ad inferos descendisse quoad solam animam, docent. Multi hoc tempore infernum describunt ut locum tormentorum, in quo fidelium animæ variis doloribus & cruciatibus divexatæ fuerint, ab iis tandem salutari descensu Christi ad inferos liberatæ. Controversia, Seculo IV exorta, utrum Christus omnes & singulos ex inferno liberaverit, an nonnullos tantum, his etiam Seculis continuata fuit, ita tamen, ut pauci universalem animarum liberationem defenderent, aliis ab hac quæstione plane abstinentibus. *Cap. IX* Græcorum sententiam circa hunc 129.
articulum a Seculo VIII ad recentiora usque tempora sistit. Omnia eò redeunt, ut monstret Clariss. Autor, eandem sententiam, quæ in *Cap. præced.* explicata est, retinuisse Græcam Ecclesiam, & nunc retinere. Per ᾅδην intelligebant locum, vel statum, animabus separatis omnibus communem. Non tamen crediderunt, nisi quoad animam, descensum Christi ad inferos, quod hujus ætatis loquuntur testimonia. Statuunt quoque horum temporum Patres liberationem animarum ex inferno, huncque describunt purgatorio Romanorum non dissimilem, nec in eo consentiunt, qui inferno liberati fuerint per descensum Christi; unde etiam *Leo Allatius* refutatur, qui omnem & totam Ecclesiam Græcam accusat, quod crediderit, omnes ex inferno per Christum fuisse liberatos. *Cap. X* Latinæ Ec- 151.
clesiæ a Seculo VIII usque ad XVI memorat placita. In hac paulatim a veterum Patrum doctrina discesserunt, invento quippe purgatorio & limbo patrum. Defenderunt enim, Christum quoad solam animam descendisse ad inferos a mortis articulo, usque ad reditum in vitam, & pias animas liberasse, non quidem omnes, ut Græci docebant.

bant. Asserebant præterea, Christum descendisse in limbum patrum, quamvis paulo aliter hunc limbum acciperent, ac deinde Pontificii, & in purgatorium. Fuere etiam nonnulli hac ætate, qui, dogma de descensu Christi ad inferos ex Scriptura probari posse, negarunt, &, id sola traditione niti, existimarunt. Seculo XV nonnulli, Christum ad inferos descendisse, negabant, sed, virtute tantum & efficacia ibi fuisse eum, docebant. Quid? quod *Jac. Faber* Stapulensis eorum prælusit sententiæ, qui, Christum in inferno
Pag.165. cruciatus sustinuisse, putarunt. *Cap. XI* fabulas memorat, quibus contaminarunt hoc dogma & Græci & Latini a Seculo IV usque ad XVI. Huc revocat Autor, quod ab hominibus hujus ætatis narratur, *Joannem* Baptistam fuisse Christi in inferno præconem & prodromum, *Simeonem* ejusdem significasse adventum, *Mariam* simul cum Christo apud inferos apparuisse, inde etiam in inferno festo assumtionis Mariæ pœnarum esse ferias, *Judam* proditorem a Christo apud inferos veniam esse consecutum, &
179. quæ sunt alia. *Cap. XII*, quid in hoc dogmate a *Luthero* fuerit præstitum, & quid hodie de eo statu aut nostrates, aut Pontificii, doceant, refert. B. *Lutherus* pristinæ luci hunc articulum restituit. Initio quidem de limbo patrum cogitavit, & deinde hunc descensum Christi negavit, tandem vero, re accuratius examinata, docuit, Christum vere & realiter ad inferos descendisse, & in loco damnatorum fuisse, hocque fide tenendum, nec curiose de hac re quærendum esse, &, Christum, quod ad animam & corpus, in inferno fuisse, affirmavit. Hanc sententiam plerique Theologorum nostratium adoptarunt, & eodem modo hoc dogma explicarunt, quamvis hunc articulum, & ejus explicationem, nemini obtrudere conati sunt, quemadmodum & *Lutherus*, & Formula Concordiæ, omnibus curiosis de hac re quæstionibus abstinere nos jubent. In eo itaque Theologi antiquiores circa hoc dogma conveniunt, quod Christus vere & realiter ad inferos descenderit, quod pro fidelibus destruxerit infernum, & diaboli caput calcaverit, quod descensus ad inferos ad statum exaltationis referen-

ferendus sit. In eo discedunt a Patribus primæ Ecclesiæ, quod, Christum non tantum quoad animam, sed & quoad corpus, ad inferos abiisse, docent. Pontificii tamen plane aliter veteris Ecclesiæ dogma accipiunt atque exponunt. *Caput XIII* Pag. 188.
sententias continet Reformatorum, Socinianorum, aliorumque. Reformati maxime a veteris Ecclesiæ sententia discedunt. Explicant enim hunc articulum de sepultura, & de mora Christi in sepulcro, vel de cruciatibus, quos anima Christi aut in horto, aut in cruce, sustinuit. Utriusque sententiæ autores & defensores a Clariss. Autore cum cura nominantur. Sunt tamen in hac ecclesia nonnulli, qui veterum vestigia presse sequuntur. Anglicana ecclesia eodem fere modo de sepultura hoc dogma explicat. Sociniani veterum sententiam sequuntur, non tamen ubique inter se conveniunt. Peculiaris est sententia cujusdam, nonnullos ex iis, quos aqua diluvii suffocavit, seram pœnitentiam egisse, quibus Christus Evangelium annuntiaverit, quosque liberaverit. Sed hæc ἄτεϱ γϱαφῆς dicuntur. *Jo. Robinsonus*, Anglus, per descensum ad inferos intelligit reditum animæ Christi ad corpus, in sepulcro exanime. *Cap. XIV* controversias potiores, post reformationem sacrorum hujus dogmatis causa ortas, enarrat. Inter nostrates & Pontificios 198.
parcius est disputatum de hac re, quia potissimum ad doctrinam de purgatorio, de limbo patrum, de statu animæ separatæ, tota controversia est revocata. Reformati cum Pontificiis disputarunt circa medium superioris Seculi, & controversia agitata est inter *Jo. Hundtium* & *Walenburchios*, qui descensum Christi in purgatorium affirmabant. Nostra ecclesia controversiis de hoc dogmate maxime turbata fuit. Singulas Autor cum cura nominat, lites *Jo. Æpini*, *Jo. Matspergeri*, ministri Ecclesiæ Augustanæ, *Christ. Dreieri*, *Abr. Calovii*, *Jo. Rusii*, *Weberi*, *Balth. Bebelii*, percensens, tandemque catalogum satis plenum adjungit eorum, qui tum ex nostratibus, tum ex Reformatis, hunc articulum de descensu Christi ad inferos, peculiaribus scriptis pertractarunt. Laude omni digna est Clariss. *Ditelmaieri* in con-

conscribendo hoc libello posita industria, qui omnia, quæ protulit, solidissimis & firmissimis veterum & recentiorum testimoniis confirmavit, nihilque prætermisit, quod ad historiam hujus dogmatis ornandam aliqua ex parte videbatur pertinere.

SYLLOGE ALTERA SCRIPTORUM, QUI de Linguæ Græcæ vera & recta pronuntiatione Commentarios reliquerunt, videlicet DESIDERII ERASMI, STEPHANI, Vintonensis Episcopi, Cantabrigiensis Academiæ, JOANNIS CHECI, THOMÆ SMITH, GREGORII MARTINI, & ERASMI SCHMIDT. Quibus accedit libellus rarissimus GUILIELMI POSTELLI de Phœnicum literis, seu de prisco Latinæ & Græcæ linguæ charactere, ejusque origine & usu. Edidit SIGEBERTUS HAVERKAMPUS.

Lugduni Batavorum, apud Gerardum Potuliet, 1740, 8 maj. Alph. 2 plag. 3.

Quam olim, cum similem ederet Syllogen, dederat Clariss. Autor, eandem hac collectione liberat fidem, reliquis jam de Linguæ Græcæ vera & recta pronuntiatione Commentariis in lucem editis. Prior collectio *Adolphi Mekerchii* libellum *de veteri & recta pronuntiatione linguæ Græcæ* potissimum continebat, cum nonnullis aliis ejusdem argumenti opusculis, & *Havercampi* Dissertatione *de Literarum Græcarum varia in antiquis præsertim nummis & marmoribus scriptura & forma*, cujus pleniorem notitiam dedimus in *Novis Actis A. 1738 Mens. Septembr. P. I pag. 490 seq.* Locum hic inprimis habent promissi in illa Collectione *Jo. Checi & Th. Smithii* libelli, postquam eos inquisitione diligenti per amicos obtinuerat. Sunt tamen his nonnulli alii ejusdem argumenti additi. Primo nempe loco in hac Collectione apparet *Desid.* Pag. 7 sq. *Erasmi Roterodami de recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione Dialogus*, cum præmissa ejusdem Dedicatione ad *Maximilianum de Burgundia*. Primus enim hic fuit, qui corru-

corruptam per posterioris aevi Graeculos pronuntiationem restituere & emendare conatus est, rationesque ejus in hoc lepidissimo Dialogo dedit. Emendare quidem non poterat inveteratam consuetudinem malam, semitam tamen aliis monstrasse censendus est, viamque aperuisse, qui veram pronuntiationem introducere, & publice defendere, instituerunt. Hunc excipiunt *Joannis Checi*, Angli, *de* Pag.181.
pronuntiatione Graecae potissimum linguae disputationes cum Stephano, Wintonensi Episcopo, septem contrariis Epistolis comprehensae. Joannes Checus & Thomas Smith, uterque Anglus, & Professor in Academia Cantabrigiensi, pronuntiationem vulgo receptam emendare studuerunt. Qua de causa *Checo* gravissimae lites intercesserunt cum *Stephano*, Vintoniensi Episcopo, & Cancellario Cantabrigiensis Academiae. Hic enim, antiquae consuetudinis tenax, *Checum* initio per literas amice monuit, ut desisteret ab hac emendatione intempestiva, & edictum publica autoritate promulgavit, quo illa recentior pronun- 205.
tiatio *Jo. Checi* proscribitur. Ea vero sancivit Episcopus, ne quis auderet privato judicio sonos literis vel Graecis, vel Latinis, addere, ab usu praesentis seculi alienos; quod hac in re major autoritas edixerit & jusserit, id omnes amplectuntor & observanto; Diphthongos Graecas, nedum Latinas, nisi id diaeresis exigat, sonis ne deducito, neque divellito; quaesitam usu alteri vocalium praerogativam ne adimito, sed ut marem foeminae dominari finito; quae vero earum in communionem soni usu convenerunt, iis tu negotium ne facessito; αι ab ε, οι & ει ab ι, sono ne distinguito; tantum in orthographia discrimen servato; η ι υ uno eodem sono exprimito, cujusque tamen propriam in orthographia sedem diligenter notato. Ejusmodi plus quam dictatoria potestate totum perscriptum est edictum Episcopi, & sub finem, si quis secus fecerit, poena gravissima constituitur. Scilicet, si quis sciens & prudens huic mandato sese opposuerit, hunc hominem ineptum

omnes habento, & a senatu, nisi resipuerit, expellito; inter candidatos si sit, ab omni gradu honoris arceto; puerilem temeritatem apud suos castigari curato. Bellum inde ortum est gravissimum, non ferro & gladio, sed literis & scriptis, propulsatum. *Checus* enim suam causam in his literis, ad Episcopum datis, peroravit, multasque suæ sententiæ rationes attulit. *Stephanus*, vi & imperio maxime usus, in literis, ad *Checum* datis, id egit, ut illum ab suo instituto reduceret & deterreret. Quamvis vero *Checus* Episcopum rogaret, ut permitteret sibi, perversæ renunciare consuetudini, & rationi locum dare; perstitit tamen in sua sententia Episcopus, & mansit edictum Cancellarii, quo exulare cogebatur *Checi* pronuntiatio. Has vero Epistolas mutuas extra Angliam apud Germanos in publicum prodire passus est *Checus*. Dignæ sunt utique, quæ cum cura legantur; quare operæ pretium fecisse censendus est Clariss. Editor, quod eas hoc in loco recudendas curavit. *Thomas Smithus*, dum hæc cum *Checo* gererentur, in Galliam abierat, redux autem factus, *Checi* & afflictæ pronuntiationis partes strenue suscepit tuendas, editoque libello contra Præsulem *Stephanum* hanc pro-
Pag. 469. nuntiationem mascule defendit. Ad Vintoniensem Episcopum hac de causa scripsit Epistolam *de recta & emendata linguæ Græcæ pronuntiatione*, quæ in hac Clariss. Editoris Collectione locum jam occupat, communicata in hunc usum a Clariss. *d' Orville*. Id agit in ea *Smithus*, ut cum *Checo* Græcam pronuntiationem contra placita Cancellarii, ejusque edictum, variis argumentis defendat, eamque ad veterum pronuntiandi modum proxime accedere evincat. Non defuerunt tamen alii, qui, veterum pronuntiationem oppugnantes, magno ardore, nec semper argumentis spernendis, pro hodierna pronuntiatione steterunt. Ex his nonnulli huic *Havercampianæ* Syllogæ sunt additi. *Mekerchi* opusculum, quod in priore Collectione nobis datum est, singulari ratione impugnavit *Gregorius Martinus* libello *pro vete-*

ri

ri & vera Græcarum literarum pronuntiatione ad *Adolphum Mekerchum*, qui ex Bibliotheca Clarissimi Viri, *Joannis Seldeni*, editus est Oxoniæ A. 1712 ex theatro *Sheldoniano*, una cum *Mœride* Atticista. Dignum & hunc judicavit Clariss. Editor, qui hic exhiberetur, quo utriusque partis argumenta eo melius perspici & examinari possent. Eodem consilio hic locum dedit *Erasmi Schmidii*, in Academia Vitembergensi Græcæ Linguæ & Mathematum Professoris, libro *de pronuntiatione Græca antiqua contra* Νεόφυτον, in quibus *Smithum*, *Checum*, *Erasmum*, & alios, maxime notavit, perstrinxit, & confutare laboravit. Subjecerat hanc Commentationem *Schmidius Cyrilli*, vel, ut alii volunt, *Jo. Philoponi*, *opusculo de differentiis vocum Græcarum quoad tonum*, *spiritum*, *genus*, &c. unde hic repetiit Clariss. Editor, præmissis *Jo. Mich. Langii* Addendis ex Exercitatione ejus *de Differentia linguæ Græcorum veteris & novæ*, *sive Barbaro-Græcæ*. Injecerat in priori Sylloga Clariss. *Havercampus* mentionem M. *Samuelis Gelbudi*, & *Jo. Rudolphi Wetstenii*; eorum tamen in altera hac Collectione non habuit rationem, quia prioris libellus nimis extra oleas vagari videbatur, posterioris labor nimis amplus est, & facile comparari potest, quales ejusmodi collectionibus jure suo exulare debent. Addidit his tamen rarissimum, & paucis visum, vel cognitum, libellum *Guil. Postelli de Phœnicum literis*, *seu de prisco Latinæ & Græcæ Linguæ charactere*, *ejusque antiquissima origine & usu*, ad *Carolum* Cardinalem, & Principem Lotharingium, primarium Galliæ Antistitem. In eo potissimum laborat *Postellus*, ut demonstret, initio unicam tantum fuisse linguam, sicut unicum fuerit genus hominum & unus Deus, hancque Phœnicum fuisse, quam Ebræam deinde appellarunt. Judæos & Samaritanos non alio charactere, quam hoc, fuisse usos, hunc characterem & Ebræo hodierno, Latino, & Græco, originem dedisse, Arabicum & Syriacum ab eodem defluxisse, idque duabus

Margin: Pag. 575. — 623. — 675. — 705. — 711 seq.

tabulis monstrare annititur. Quæ quidem singula *Postelliano* ingenio sunt maxime digna. Ceterum gratiam habebunt Græcarum literarum cultores Clariss. *Havercampo* de edita hac Collectione, quæ rariores, & non ubivis obvios, libellos in communem usum exhibet, unde quilibet, argumentis utrinque collectis, a qua parte stare videatur veritas, facile judicare poterit.

Joh. Jacob Bodmers Critische Abhandlung von dem Wunderbaren in der Poesie, und dessen Verbindung mit dem Wahrscheinlichen, &c.

hoc est,

JO. JACOBI BODMERI TRACTATIO critica de eo, quod in Poesi est mirabile, ejusdemque cum verisimili conjunctione, constans defensione Poematis Jo. Miltoni de Paradiso amisso. Adjecta legitur JOSEPHI ADDISONI Commentatio de eo, quod in hoc Poemate pulchrum est.

Tiguri, impensis Conradi Orellii ac sociorum, 1740, 8. Alph. 1 plag. 6½.

Illustre, Lector, specimen insignis, quæ Celeberrimum Autorem ornat, eruditionis habes. Argumenta libri pro instituto nostro dabimus brevissimis. Quo magis opus aliquod supra hominum captum evectum est, hoc de isto cautius est judicandum. Poematis *Miltoniani* spiritus quasi divinus atque mira est sublimitas. Hinc multi, quod consequi & attingere non potuere, frustra taxarunt. Hinc & *Voltairii* objectio nata est, quod bellum cœleste humanam superet naturam, quodque homo pronus sit ad id, quod sensibus non est subjectum, rejiciendum. At enim homini natura & proprietates spirituum non penitus sunt obscuræ. Accedit, quod & ipsa de personis fictis narratio mentem occupat; quanto igitur magis de spiritibus, re ipsa existentibus. Neque adeo operam lusit *Miltonus*, cum eorum nobis

nobis finxit sermones, quos lector Christianus amicos reputat, & quorum adeo res quodammodo suas arbitratur. Neque est, cur dicamus, *Miltonum* hac in re *Homerum* magis, quam naturam, fuisse æmulatum. Cum vero *Miltoni* major, atque ex professo quasi, adversarius fuerit *Constantinus Magnus*, hujus etiam ex instituto objectiones refutantur. Pertinet huc, quod mala spirituum ejusmodi naturæ corporibus quasi involvantur. Ubi quidem responderi potest, fingere posse ac condere Poesin, hoc est, res, quæ fieri saltem possunt, quasi actu existentes proponere; immo vero esse inter Philosophos, qui, re vera corpore quodam circumdatos esse istiusmodi spiritus, sibi persuadeant. Neque exempla desunt aliorum Poetarum, corpora quædam geniis tribuentium. Et habet omnino species humana prærogativas suas, neque alio fuit ejusmodi translatio rerum, quibuscum occupantur. Adversarius quidem omnes ejusmodi fictiones rejicit, nisi allegoriam ac hieroglyphicum quidquam contineant. Sed notandum, heroi carminis personas quasi poetico-historicas esse, atque ejusmodi, quos Poeta cupit, præstare posse effectus. Queritur porro *Magnus*, quasi rationis frænum excusserit *Miltonus*. Neque vero & hoc quisquam dixerit, qui Poesin inter ac Metaphysicam accuratius distinguere norit. Convenit utique accurationi ac rationi Poema, si veritatem saltem respexeris poeticam. Itidem frustra Noster accusatur pietatem argumento sacro debitam neglexisse. Quin laudanda potius est, qua polluit, facultas sublimem ejusmodi spirituum characterem retinendi. Neque enim facile, ut quidam voluit, tale quid in genios cadere permisit, quod cœlestes tam perfectorum spirituum virtutes læderet. Quippe vulnera eorum ideam, quæ corrumpi nequit, naturæ haudquaquam evertunt. Non nisi velamentum ejusdem vulnera tangunt; quod ipsi Poeta tribuit. Immortalitas vero ex divina pendet voluntate,

quam istiusmodi vulneratio nequaquam tollit. Ipsum Christum carne indutum inter plagas ac vulnera videmus. Potuit itaque, dum hæc angelis tribuit *Miltonus*, non tam *Homerum*, quam historiam sacram Poetasque Christianos, æmulari. Sane insignes genii *Miltoniani* præ Diis *Homericis* prærogativas habent, quippe qui propius ad spiritus Nostri infernos accedunt: in quo quidem *Homerus* excusationem meretur. Sed multo majorem postulat Anglus, quanquam satis ipsi acriter objicitur, quod cum subtilitate illorum ac celeritate pugnet vulneratio, quod sat minutos perversorum spirituum tormenta habuerint effectus, quod eorundem in pulvere pyrio faciendo labor potius sit hominibus dignus, quod temere verbis ludat Belial, quod bellum cum felicitate cœli pugnet, quod locos infernos non infaustos satis proposuerit *Miltonus*, quod male a fato solatium petat spiritus perversus, quod nova pœna, nova culpa minime promerita, cumuletur, quod omnino beatitatis quoddam genus in orco ipsi tribuatur, quod temere gaudio, concentui, quieti, locus ibidem concedatur, quod ita divina vindicta spiritum infernum non nisi tetigerit, quod orcum inter ac cœlum nonnihil similitudinis tribuat, quoniam utriusque palatia sint auro confecta, quod Mammon divitiarum famem in ipso statu integritatis senserit, quod pandæmonion sine causa nimium artis, minimum spatii, complectatur, & id genus alia. Hæ utique omnes objectiones idem habent roboris, quod festinata *Magni* argumentatio, debiles dari genios, ac pigros, cum reperiantur celeres, atque fortes. Quem etiam ad modum calumnia est, quod geniis Poeta cognitionem filii non ab eo tempore concesserit, quo conditi fuerint, quodque in commemorando consilio divino de mortalium redemtione tertiam divinitatis personam silentio prorsus involverit. Quid de pugna dicemus sententiarum, quam in isto se Carmine observasse dicit inimicus ille Censor? Invenit

venit nimirum, quod pueri in faba, si quando stuporem sensus cum ipsius contrario confundi a *Miltono* arbitratur; item diversa instrumenta musica eundem ad sonum musicum male accommodari, item in obscurato Satanæ splendore nimium ac parum eodem in puncto confundi, porro patrem precibus fatigari, voluntatem ut seponat, quam nunquam fovit, quamque, si fovisset, nunquam mutasset, optari vocem, ab insidiis malis mortales dehortantem, cum tamen ante jam audiisset angelus, optans, fore, ut homo certo laberetur. Temere a spiritu inferno insomnium inspirari primæ fœminæ, quo ipsa contra inspirantem uti potuisset. Male a lapso spiritu indicari, quod hinc a die, quo factus sit, criminis se læsæ majestatis reum fecerit, quoniam nunquam Deum unum cœli dominum agnorit, male mandatum dari divinitus *Michaeli*, ut de cœlo spiritus immundos pelleret, cum tamen defuerit effectus, male concludi Deum novos sibi comparando cultores gloriationem corrupisse adversarii, quasi ipsius cultores seduxerit. Male pugnam reperiri in conjectura spiritus immundi, quasi Deus non ante lapsum ipsius de mundo condendo cogitarit, atque ejusdem sermone de rumore quodam per cœlum sparso, fore, ut mundus conderetur. Ipse quidem *Jos. Addisonus* rejicit personas mortis, peccati, spirituum in chao, uno eodemque actu conjunctas, cum ejusmodi quidquam fide non sit dignum, neque fieri omnino queat; at enim ars, a *Miltono* alias in minimis etiam fictionum generibus adhibita, si quando testimonium sensuum atque imaginationis requiritur, majorem utique huic etiam Critico cautionem instillare debuisset. Fide omnino dignum est, in mundo non visibili plura esse spirituum genera, quam quæ nobis sunt cognita; quid? quod sufficit Poetæ, esse eadem posse, quanquam ipso actu non existant. Præterea peccatum ac mors a Poetis ejusdem esse, cujus spiritus inferni, naturæ finguntur, quo &, in ipsis

sanctif-

ſanctiſſimis literis quæ occurrunt, imagines quædam pertinent. Concedit *Addiſonus*, Belialem & Beelzebubum ſpiritibus poſſe infernis annumerari, cum tamen non niſi terræ Chananeæ idola fuerint; unde ſane par eſt ratio, ſi mortem & peccatum conſideremus. Ejusmodi ſi nomina eſſentiæ eſſe fingantur re ipſa exiſtentes, non majoris id etiam eſt, quam ſi ſpiritus corporibus induuntur. Objicit quidem *Voltairius*, tales intolerabiles eſſe perſonas, niſi ſint allegoricæ. Sed notandum eſt, illas non amplius eſſe allegoricas debere, quam imitationes characterum atque morum. Neque adeo deſtituitur fundamento de Satanæ cum peccato conſuetudine fictio. Maximam pariter vero ſimilitudinem præ ſe ferunt, quæ de charactere, deque actionibus, hominum primorum dicuntur. Quanquam ibi ſimiliter accuſat *Miltonum Magnus*, quaſi homini idea, de præſentia divini Numinis infinita, non tributa fuerit; cujus quidem rei temere fundamentum allegat operationem *Michaelis*, qua oculos *Adami* aperuerit. Sane opus illud nihil continere videtur abſurdi, neque archangelo indigni. Multo infirmior eſt objectio, quod *Raphael Adamo* bellum, in cœlo geſtum, talibus ſub imaginibus propoſuerit, quæ penitus ipſi fuerint ignotæ: cum tamen inſignem imaginum copiam in ipſo paradiſo de rebus, earundemque proprietatibus, ut & de multis operibus artis, habere potuerit. Confirmare tale quid poſſunt tot animalium nomina, uniuscujusque ad proprietates accommodata. Quid tandem de Mythologia dicemus, quam in opere ſuo adhibuit *Miltonus*? Licet omnino tale pariter quidquam miſcere Poetæ Chriſtiano, præſertim ad illuſtrationem, ac ſine temeraria ad res ſacras accommodatione; apud plurimos alios Poetas talia quoque reperiuntur exempla. Admiramur ubique *Bodmerianæ* doctrinæ copiam, Manibus *Miltonianis* vindicem hunc nobilem ac ſtrenuum gratulantes.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio VIII.

MEDITATIONES SINICÆ STEPHANI FOURMONT, in Regio Francorum Collegio Arabicæ linguæ Professoris Regii, Regiæ Inscriptionum atque humaniorum literarum Academiæ Pensionarii, Regiæ Bibliothecæ interpretis ac Sub-Bibliothecarii, &c.

Lutetiæ Parisiorum, ex typographia Josephi Bullot, 1737, fol.

Alph. 2.

Quamvis linguarum studium arduum sit satis, multisque impeditum difficultatibus; id ipsum tamen non solum cum jucunditate, verum etiam utilitate multa, est conjunctum. Usus inde redundat & ad communem hominum societatem, & ad rempublicam literariam, plane eximius. Communis hominum societas hunc ex illo fructum percipit, ut linguarum beneficio commercium, quod per sonorum ac signorum diversitatem interruptum erat, cum peregrinis populis resarciatur. Linguarum notitia hunc usum affert rei literariæ, ut ad exterarum gentium res, instituta, inventa, propius noscenda, aditus

pandatur. Cumprimis id præstant illarum gentium linguæ, quæ ingenii, sapientiæ, ac doctrinæ, laude florent; quales cum ab omni ævo habiti fuerint Sinenses, eruditos nonnullos a tempore aliquo cupido incessit, horum sermonem propius aliquanto inspiciendi. Ex omnibus vero, qui curam atque cogitationem eo converterunt, non facile aliquis exstitit, qui majori apparatu instructus accesserit, quique plus studii ac laboris contulerit, quam quidem *Fourmontius* noster, Vir ingenio, judicio, doctrina, sagacitate, illustris, cujus cum in *Meditationibus* suis, quas in præsenti versamus, egregium admodum documentum exstare voluerit; non, si illæ indicio nostro notiores fiant, eruditis ingratum id fore, confidimus. Opus nuncupatum est Viro illustri, *Jo. Paulo Bignonio*. Bibliothecæ Gallicanæ præfecto, complectens Præfationem & tractationem ipsam. Ubi in Præfatione generalia quædam de imperii Sinici amplitudine, antiquitate. inconcussa duratione, ac adminstratione, sapientiæ omnis inter Sinenses cultu, præmiserat, ac, duplicem Sinarum linguam esse, præmonuerat, *oris* alteram, alteram *oculorum*, in *quatuor* hanc ipsam Præfationem di-
Pag. 1-4. spescit partes. *Prima* notitiam illorum tradit, qui de imperio Sinico aliquid in literas miserunt. Sinas eosdem esse, qui *Plinio Hist. Nat. IV*, 17, *Seres* dicuntur, contra *Theoph. Sigfr. Bayerum* asseverat, Sinarum auten nomen apud *Ptolemæum VII*, 3, occurrere. Imperante *Justiniano Cosmam Indopleusten* Sinas adiisse, sed ab illo tempore, Europam barbarie inundante, illorum nomen oblivioni fere esse datum. Seculo XII, jussu *Innocentii IV*, eo ablegatum fuisse *Joannem de Plano Carpini*, & septem annis post *Wilhelmum de Rubruguis*, *Ludovici IX*, Galliarum Regis, oratorem, eo missum; A. 1275 *Marcum Polum*, Venetum, ad illos penetrasse. Recentioribus temporibus Hispanorum ac Lusitanorum auspiciis plures, ut doctrina salutari terram illustrarent, in imperium Sinicum se immisisse. *Xaverium* primum Indiæ Apostolum appellari jure posse, licet ad Sinas ipsos non accesserit,

hac

hac vero fortuna usos esse *Martinum Herradam*, Pampelonensem, *Martinum* Mexicanum, *Petrum Alvarum*, *Martinum Egnatium*, *Jo. Gonzalesem de Mendoza*, alios. *Altera Parte* de Scriptoribus Sinicis agit. Missionarios, qui Pag. 5-7. eo fuerint annisi, ut fidem in Christum Sinis ingenerarent, contentos fuisse lingua *vulgari* ac *populari*, *Mandarinicam* vero, sive *hieroglyphicam*, ne quidem attigisse, relationes tamen illorum eo facere, ut quis desiderio inflammetur, in interiora linguæ ac sapientiæ Sinarum se immittendi. Inde nominat libros Sinicos manu exaratos, in Bibliotheca Regis Christianissimi asservatos, historicos, geographicos, philosophicos, medicos, astronomicos, poeticos, alios. In Sina ultra milliones decem, duodecim, quatuordecim, voluminum inveniri, ex ore *Fouqueti*, Episcopi Eleutheropolitani, se accepisse, commemorat; nec mirum id cuiquam videri debere; cum ad aliquem honorum gradum admittatur nemo, qui non aliquod eruditionis suæ specimen ediderit. *Tertia Parte* noti- 7-11. tiam illorum exhibet, qui vel de Sinarum rebus, vel lingua, aliquid sunt commentati. *Vebbii*, Angli, Dissertationem *de Linguæ Sinicæ antiquitate* non contemnendam esse, judicat; citat *Leibnitii* Epistolas, & *Renaudoti* opera, qui vero, quæ perhibet, non ex Sinensium libris, nec Missionariorum relationibus, hauserit, sed ex duobus viatoribus Arabibus acceperit, atque illa quidem ita perscripserit, ut Sinensium linguæ ac ingenio detraheret; *Wolfii* denique *Specimen doctrinæ veterum Sinarum mo-* 11-13. *ralis ac politicæ* nominat. His præferendos esse judicat *Golium*, qui primus in Europa, absque contorsione ac luxatione, accuratiori scriptione characteres Sinicos expresserit, *Hydium*, qui a *Coupletio* characteres aliquos Sinicos didicerit, eosdemque in libro *de Ludis orientalium*, Epistola ad *Bernardum de ponderibus ac mensuris*, item libro de *religione veterum Persarum*, protulerit, *Pfeifferum*, sed illius operam esse tenuem, *Mullerum*, qui, λείψανα linguæ veteris Ebraicæ apud Sinenses invenire sibi sit

vifus, illius vero etymologias longius esse petitas, *Athanasium Kircherum*, qui tamen generalem tantum linguæ Sinicæ notitiam sibi compararit, *Relandum* non nisi de *Martinio* ac *Golio* quædam annotare, ac *Mulleri*, itemque *Magalhanis*, de linguæ Sinensis facilitate opiniones exagi-
Pag. 13 - 16. tare, enarrantem simul scripta, Sinico charactere consignata, quæ ex *Golii* supellectile libraria possederit. Sinensium linguam aggressos esse *Mullerum*, *Mentzelium*, *Bayerum*; *Mullerum*, cum multorum invidiam sibi conflavisset, schedas suas paulo ante mortem igne absumsis-
16 - 18. se; *Mentzelii* annotationes de *Lingua Sinica* sanas & pulcherrimas esse. Ex Gallis linguæ Sinicæ colendæ suppetias tulisse Abbatem *Bignonium*, qui apud *Ludovicum XIV* rem eo deduxerit, ut *Hoamgio*, adolescenti Sinensi, stipendium annuum addiceretur, *Fremetum* suam linguæ Sinicæ peritiam in Dissertationibus, *Memoriis Academicis* insertis, satis prodidisse. Inde recenset *Theoph. Sigfridi Bayeri Museum Sinicum*, cujus operis præstantiam ubi laudaverat, sequentes notat defectus: 1) in Grammatica altissimum esse de characterum legendorum arte silentium; 2) voces Sinicas literis tantum Latinis exhibere, nec ullum in se continere accentum; 3) characteres, in Grammatica & Dictionario obvios, misere esse incisos; 4) Dictionarium male esse consarcinatum, sine ulla clavium
18 - 21. consecutione, ac linearum numeratione, ut hinc truncum illud sit & mancum per omnes suas partes. *Premari*, S. J. *Grammaticam* commendabiliorem longe esse, pronuntiat; quem librum auro contra carum appellat, sed, aliquando impressum iri, ob ingentes sumtus non ita facile sperari posse. Inde significat, labores suos Sinicos
21 - 24. mirifice probatos fuisse *Montignio*, missionum externarum procuratori, itemque *Rosaliensi* Episcopo *de Lione*. *Quarta Parte* exponit breviter ea, quæ in præsenti Commentatione præstitit, qua viam facillimam ad linguæ Sinicæ notitiam se ostendisse sperat; jubet tamen exspectari *Grammaticam* & *Dictionarium*, quibus laboribus ubi quis usus fue-

fuerit, non facile librum aliquem Sinensem fore, quem non legere ac intelligere possit, sibi persuadet. Pag. 24-26.

Tractationis *Capite I* Autor declarat, qua via in linguæ Sinicæ notitiam pervenerit, lectione scilicet librorum, qui de rebus Sinicis sive Latine, sive Gallice, sive Hispanice, sint scripti, in consilium adhibitis libris Sinicis, quos magno numero complectatur Bibliotheca regia; qua in re illustrem *Bignonium* multo sibi adjumento fuisse, ingenue fatetur. 1-3. *Cap. II*, voces, quæ in quacunque lingua vulgari sint obviæ, non numerum 1200, vel 1500, superare, docet, infinitas autem esse, si quis artium doctores, Poetas, Historicos, consulat, ad quos interpretandos major linguæ notitia requiratur. *Cap. III* 3-4. docere pergit, linguam aliam esse *oris*, eamque faciliorem, aliam *oculorum*, *repræsentativam* ipsarum rerum, & hanc quidem esse difficillimam, quæ ex consensione Missionariorum omnium apud Sinenses absolvatur figuris 60000, aut 80000. Linguam *oris* apud Sinas constare monosyllabis paucis, iisque ambiguis, 400 fere numero, oculorum 70000, inde ex compositione monosyllaborum & characterum hieroglyphicorum emergere difficultatem summam. *Cap. IV* notat, linguam Sinicam locum linguæ alicujus universalis philosophicæ tueri posse, ab illis autem, 4-8. qui de lingua rebusque Sinicis adhuc sint commentati, parum collatum esse, ut Europæis innotuerit. Inde in medium profert testimonia *Martinii* & *Magalhanis*, plane contraria, quorum ille literarum Sinensium difficultatem summam arguit, *ut earum cognitio humanas vires & ætatem superare videatur*, hic vero illarum notitiam adeo facilem constituit, ut *anno uno, si quis assidue studeat, linguam intelligere & loqui possit*. Ubi de *Mulleri*, *Mentzelii*, *Massoni*, *Bayeri*, conatibus judicium expromserat, ita lectorem compellat: *Hinc vero Sinicorum hieroglyphorum lectionem adhuc plane ignotam vides. Age ergo, nunc eam, quæ tam diu quæsita est, characterum Sinicorum legendorum intelligendo-*

 rum-

tam Bibliothecæ regiæ. De illa perhibet, quod, cum Grammatica *Premariana* allata esset, *quoad res ac rerum fundum omnino ei similis fuerit reperta,* quod ipsum *Bi-*
Pag. 122-132. *gnonius*, collatione facta, deprehenderit. Postremo instituit recensionem librorum Sinicorum, a *Montignio*, apud Sinas aliquando Missionario, confectorum. Ejus memorat *Grammaticam Sinicam*, e Sinis ipsis collectam, quæ, quod ad materiam, *Premarianam*, adeoque etiam suam, *Fourmontii* scilicet, plane referat, nisi quod brevior sit, nec characterum lectionem tradat, *Dictionarium linguæ Mandarinicæ*, e lingua Sinica in Hispanicam a R. P. *Francisco Dias* translatum, auctum & continuatum ab *Antonio Dias*, *Dictionarium* Anonymi cujusdam, ad ordinem, quem *Kircherus* sequitur, compositum, aliud denique *Dictionarium*, ad Dictionarium *Kircherianum* secundum literarum consecutionem adornatum, *volumina duo* in forma quadripertita, in quibus characteres, eorundemque pronunciatio & toni, ubique conspiciuntur, *volumen magnum* in forma maxima, *Dictionario Gallico-Sinico* conficiendo destinatum, *libellos phrasium*, *Confucii Lib. IV* classium *su xù* dictos, longe copiosiores & perfectiores, quam in impressis libris visuntur, *Matth. Ricci*, S. J. apud Sinas Missionarii, librum *de Divinitate*, dictum *ticū chù xe i*, *Grammaticam linguæ oris Sinicæ*, a R. P. *Varo Hispanice compositam*, *Vocabularium linguæ oris Sinicæ*, *Ora-*
132-134. *tiones, ad populum Sinensem habitas.* Ex testimoniis virorum doctorum, de laboribus eruditissimi *Fourmontii* nostri latis, itemque Epistolis, *Meditationibus* his subjectis, sequentia enotamus. In lingua Sinica addiscenda ac colenda hortatu *Philippi*, Ducis Aurelianensis, ductu *Hoamgii*, ab A. 1711 *Fourmontium* versatum esse, *Hoamgio* autem A. 1716 mortuo, institutum suum proprio marte strenue ursisse. *Grammaticam Sinicam* per *Bignonium* Bibliothecæ Regiæ fuisse illatam, cum ob varias difficultates typis exscribi non potuerit, de cujus conve-
135, 136. nientia cum Grammatica *Premariana* judicium *Bignonii* exhi-

exhibetur. Agmen claudunt literæ *Montignii*, directoris Missionariorum peregrinorum, antehac Missionarii & provicarii Apostolici Chinensis, in quibus de *Fourmontio* prædicat, ipsum assidua industria, sagacitate ingenii plane singulari, ac defixa multorum annorum meditatione, in linguæ Chinensis notitia, quam, destitutus fere subsidiis librorum, addidicerit, tantos fecisse progressus, quanti vix ab homine, extra Sinam degente, exspectari potuerint. Quod testimonium, a viro literarum Sinicarum callentissimo profectum, ubi quis cum verbis *Fourmontii*, quæ *pag.* 131 de se profert: *Ego labore meo improbo & indefesso, quæ nemo Europæus fortassis attentasset, ea tibi arcana pando, expromoque princeps*, contendit, Nostrum a jactantiæ ac ostentationis studio facile absolvet. Hæc aliquanto fusius ex egregiis his *Meditationibus* excerpere libuit, ut judicium Lectoris præformaretur, quantum pretium exquisitis hisce lucubrationibus sit statuendum, & ut hoc duce utilissimam rei literariæ Sinicæ cognitionem sibi parare possit.

Pag. 137, 138.

139, 140.

A PLAIN ACCOUNT OF THE TRINITY FROM Scripture and Reason, &c.

hoc est,

PERSPICUA EXPLANATIO TRINITATIS, EX Scriptura & Ratione ducta; in qua clare probatur, fidem hujus doctrinæ, sicut Ecclesiæ quidem autoritate tradita fuit, humanum inventum esse, neque ullum in Scripturis fundamentum habere.

Londini, 1739, 8.

Plag. 8.

Autor hujus, quem indicavimus, pessimi & pestiferi libelli nomen suum obscurum esse voluit, in quo parum sapientiæ ac eruditionis, impudentiæ vero multum, esse videtur. In epistola quidem, ad mercatorem librarium exarata, literis *E. I.* suum significavit nomen, sed non declaravit, & quis illud divinando assequetur? Nec vero 5.

nos multum de eo laboramus, *quis* hic aliquid dixerit,
dummodo, *quid* dictum sit, pernoscamus. Novus ni-
mirum homo, qui Arianis & Socinianis partibus addictus
est, in Magna surrexit Britannia, sed is novi nihil in me-
Pag. 8. dium attulit; ut mox videbimus. In præmissa *Admoni-
tione* circumventurus est lectores, dum novam artem, qua
dogma de S. Trinitate infirmare molitur, & ingenuum
animum hac in re suum, qui rectius vafer & versutus di-
1. citur, majorem in modum commendat. Locus classicus,
unde ipsius *tractationis* exordium capit, habetur *1 Tim. II, 5.*
Quo in oraculo duo commemorantur: *Unus Deus*, &
Jesus, *unus mediator*, qui illi opponitur. Ex quo per-
spicuum esse vult, illum, qui *unus Deus* dicitur, *summum
Deum* esse; *Christum* vero, qui & homo & Deus est, illi æ-
qualem, & item summum Deum, esse, negat. Is vero, cum
alibi *Filius Dei* dicatur, Deus est per generationem. Ergo
non est *a se*. E. nec summus Deus. Ille contra, qui
Mediatori opponitur, unus Deus a se est & independens.
5. At mediator Deus est per viam generationis, cujus mo-
dus & ratio ipsos cœlestes angelos præterit. Hæc quidem
doctrina & *rationi* esse consentanea, & *revelationi*, decer-
7. nitur. Ad hoc demonstrandum locus *Jo. I, 1*, advoca-
9. tur, ubi ὁ Θεὸς, quocum ὁ λόγος *in principio* creati
orbis fuit, summus haud dubie Deus, qui a se & omni
11. modo independens est, intelligitur. Dum vero ὁ λόγος
etiam *Deus* nominatur, id quidem eodem sensu fieri ne-
quit, sed tantum sensu generationis. Ex quo sequitur, ut
Pater & *Filius* distincta & separata sint entia, ita quidem,
ut ille Deus sit summus, hic vero Deus in subordinato quo-
dam sensu, seu per viam generationis tantum. Cui rei
vel ipsa dicendi ratio & emphasis argumento esse videtur.
13 seq. Exinde vero haud concludendum, Patrem ac Filium duos
esse Deos. Nam Pater, cum solus ens necessarium & a
se sit, Filius contra omnia, quæ habet, a Patre acceperit;
consequens est, ut ille sit unus summus Deus, hic vero,
16. propterea quod causam sui agnoscit, minime. At maxi-

mam

mam tamen & eximiam Filius excellentiam ſibi vindicat,
dum Pater ei donavit omnium potentiam in cœlo & terra,
omnia attributa divina, immo ipſum Dei nomen, quod in
eum per viam generationis reapſe cadit. Antequam is
hominem induit, iſtum non habuit honorem, ſed hæc glo-
riæ acceſſio tum demum facta eſt, ubi ab inferis excitatus
eſt. Hoc etenim ex *1 Cor. XV*, *28*, nulli non patet, ubi,
orbe interituro, *omnia Patris poteſtati ſubjecta* fore, dicitur,
tanquam cauſæ principalis imperio, *ipſum quoque Filium,
tanquam inſtrumentum, quo Pater ſit omnia in omnibus.*
Itaque fieri non poteſt, ut filius ſit ſummus Deus, ſicut
Pater, aut ei æqualis. Eandem rem confirmat locus
Epheſ. IV, *5*, *6*, ubi Filius *unus Dominus*, & Pater *unus* Pag. 19.
Deus, inſigni cum virtute, nominatur. Cum igitur in 22.
commemoratis oraculis manifeſta occurrat Patrem inter ac
Filium oppoſitio, quæ indicio eſt, hæc duo ſeparata &
diſtincta entia eſſe; repugnantia hæc erit, ſi affirmes:
unum ſimul duo, & duo unum, eſſe poſſe. Quodſi vera
hæc eſſet unio, quæ Patrem inter & Filium intercedere,
humana fingitur autoritate; nihil profecto certius eſſet,
quam hoc, Deum haud eſſe ſimplex, ſed compoſitum, ens.
Ergo omni vacat dubio, Patrem ſolum eſſe abſolute
ſummum ſupra omnia Deum, & Filium, non niſi ſubordi-
nato quodam ſenſu, & tantum per viam generationis, De-
um eſſe. Verba Domini *Jo. X*, *30*: *Ego & Pater* 24.
unum ſumus, non de *perſonali* agunt *unione*. Alioquin
hinc ſequeretur, ut non ſolum Filius, ſed etiam diſcipuli
domini, & omnes ejus amici, perſonaliter, ut dicitur, cum
Patre uniti forent. Conf. *Jo. XVII*, *21*, ubi eadem phra-
ſis occurrit. Itaque de nulla re alia, quam de animi &
voluntatis conſenſione, verba illa exponenda ſunt. Hæc
enim propoſitio haud dubie contradictionis accuſanda fo-
ret: duo ſunt unum, & unum eſt duo. Sic *1 Jo. V*, *7*, 25.
tres illi, Pater, Filius, & Spiritus S. *unum* itidem in con-
ſenſu & concordia vocantur. Quid? quod huic ipſi dicto
non multum pretii ponendum eſſe videtur; 1) quia fuit

nota marginalis, diversis literis scripta, 2) in nullo Codice
exstitit manu exarato, 3) in tota Ariana controversia a
recte sentientibus non in auxilium vocabatur. Nec minus
Pag. 26. verbis, quae *Phil. II, 16*, leguntur, sensus literalis adoptari
debet. Christus, ut *Filius Dei*, quodammodo *aequalis
Patri* nominari potest, hoc nimirum sensu, qui statim ad-
ditur, quod sit *dominus in gloriam Patris*. Non autem
summus Deus esse dicitur; qui enim Deus aequalem suum
30. exaltare dici posset? *Jo. V, 23*, vult Dominus, *ut omnes
honorent Filium, sicut honorant Patrem. Qui Filium non
honorat, is nec Patrem honorat, qui misit eum.* Vulgo
verba sic accipiuntur, ut καθὼς eum summum & nullis ter-
minis circumscriptum denotet gradum, quo Pater reveren-
32. dus est. Hoc vero fieri minime potest. Namque Filius
non est unus ille & verus, sed tantum per generationem,
Deus. Filius non est a nemine, & a se existens, quia a
Patre generatus est. Ergo nec Filius summus Deus est,
nec infinita valens potentia, nec preces ad eum fundi de-
bent; saltem nullus exstat S. Scripturae locus, in quo istud
facere jubemur. Sed ex *versu 22* antecedente patet, qualis
hic sensus recipiendus sit. Dicitur enim: *Pater judicat
neminem, sed omne judicium Filio commisit.* Quodsi
Filius peraeque, sicut Pater, Deus foret; hoc sibi ipse privi-
legium dedisset. Cum vero hoc a Patre datum accepe-
rit; nemo est, quin perspiciat, Patrem esse superiorem, Fi-
lium contra inferiorem. Sensus igitur genuinus hic erit:
Vos, o Judaei, sigillatimque Pharisaei, me, ut legatum Pa-
tris, non debito afficitis honore. Nam, ut Patrem, ita
me, legatum Patris, revereri debebatis. Quod dum fa-
cere recusatis, ipsum contemnitis & spernitis Patrem.

Ignotus Autor, his declaratis, ad *Spiritum S.* sese con-
36. vertit. Hic, ait, ab hominibus *Deus* nominatur; verum
in sanctis oraculis hoc ei nomen nusquam tribui solet.
S. Scriptura docet, eum in se sanctum aliquem esse spiri-
tum, & omnem ab eo sanctitatem in nos proficisci, &
ejusdem generis alia. Ejus quoque nomine sacro ablui
fonte

fonte debemus. Ex his elucet, magnum hunc esse spiritum in hierarchia cœlesti; at, summum Deum esse, sine ulla specie dicitur. Nil efficit locus *Actor. V, 4: Ananias, tu Spiritui S. mentitus es. - - - Non hominibus mentitus es, sed Deo.* Sensus est: idem mendacium, quod Spiritui S. dixisti, dixisti etiam Deo. Exinde vero, nulla ratiocinandi virtute, concludi potest: ergo Spiritus S. est Deus. Fac, sic aliquem præ se ferre: angelo mentitus es. Ita vero non hominibus mentitus es, sed Deum ipsum mendacio tuo sprevisti, in cujus manu est, debitis te pœnis afficere. Hinc Spiritus S. non est tertia Trinitatis persona, nec pars illius, nec a Deo procedens. Quare nec Deus vocari potest. His dictis, Autor suam fidei confessionem edit, & officia, quæ tribus illis personis a nobis debentur, exponit. Pater est fons & origo ac principium omnium rerum, sine quo nec Filius, nec Spiritus S., nec angeli, nec homines, nec alia, essent. Ille est Deus non solum angelorum & hominum, verum etiam Filii, *Ephes. I, 3, 17, 1 Pet. I, 3*, cui uni religiosa adoratio, & summi Numinis gloria, attribui meretur. At Filius est natus Dei summi Filius, & Salvator orbis. Is est per generationem, nec alia ratione, Deus. Is est magnus mediator, deprecator, & advocatus, Deum inter & homines. Per hunc Deus nobis est reconciliatus, & veniam ejus causa delictorum nostrorum impetramus, perque hunc ipsum æterna potimur felicitate. Nostrum est, credere in ipsum, id est, credere, ipsum verum esse Messiam; quo itidem respectu eum revereri & honorare debemus. Ipse non adorandus, sed in ejus, tanquam mediatoris, nomine Pater solus adorari meretur. Haud abnuit Autor, Trinitatem personarum a domino in baptismi administratione commemorari; sed in his, si obscurum audias hominem, nemo vere ac proprie Deus est, nisi Pater. Filius etiam, sed in sensu subordinato, nimirum ratione solius generationis habita; Spiritus autem S. nullo plane sensu, Deus est. Is est Spiritus sanctificationis, qui nos sanctos reddit, & nos sumus

Pag. 37. 39. 40. 41. 42. 43. 46. 48.

ejus nomine sancta aqua lavandi. Hæc sunt omnia, quæ
Pag. 49. de eo sanctiores nos edocent literæ. Ubi finiit sententiam suam Autor, receptam doctrinam conviciis mordet, ac si a Patribus & Scholasticis profecta esset, & contradictionem
50 seq. includeret: *Unus est tres, & tres sunt unus.* Ab hoc absurdo derivat odium Deistarum, quo in sacrosanctum Codicem ferantur, huncque illud nequaquam promereri,
52 seq. ex stili sacri elegantia, rerumque gravitate, ostendit. Quod reliquum est, Trinitate hunc in modum enodata, sanctioribus & V. & N. T. libris maximum statuit pretium,
63. certe statuere videtur. Quæ accedit, epistola ad Autorem, ab amico quodam ejus extra Angliam scripta esse fingitur. Autor, & amicus ejus, de eodem argumento, per modum Dialogi, inter se colloquuntur. Amicus, qui Trinitatem hactenus explicatam legit, dubia movet, ad quæ Autor respondet, causam, qua nihil pejus est, patrocinio pejorem
68. redditam, copiosius acturus. Ait, rationi repugnare, tria esse summa & independentia entia. Hæc vero, sciscit, eos admittere ac tueri, qui ullis sine ambagibus dicant, Patrem esse Deum summum, Filium esse Deum summum, & Spiritum S. summum esse Deum. Novam videt repugnantiam in hoc: hæc tria entia summa non nisi unicum ens
83. sunt. Tum vero usque ad finem Dialogi eadem, quæ jam superius attulit, cum cura inculcat, &, qua cœpit, via corroborare pergit.

D. CHRISTOPHORI WOLLII, S. THEOL. Prof. Extraord. & Archidiaconi Thomani, Succincta defensio Fidei Nicænæ, adversus Lucifugum Britannicum.

Britannus ille, cujus pestiferum modo libellum enarravi, Trinitati orthodoxæ, hoc est, Antenicænæ & Nicænæ, quam in Symbolo *Athanasiano* hodieque profitemur, & præ nobis ferimus, novas paravit insidias. Adhuc non nisi quintuplex inconcinna *Trinitas* in Magna viguit Britannia;

nia: 1) *Sabelliana*, quæ & *Ciceroniana* dici meretur, 2) *Aristotelea*, 3) *Platonica*, 4) *Ariana*, 5) *Cartesiana*. Nunc vero accedit 6) *nova*, quam *Socinianam* nominabo. At is tamen a vero vix aberraverit, qui novam hanc fictionem Trinitatem in Dualitatem inconditc monstroseque transformatam dixerit. Obscurus etenim homo, Patrem unum summum esse Deum, Filium vero Deum ei subordinatum, constituit, qui per generationem factus sit: contra vero eâ Spiritum S. ab omni divinitatis excludit communione. Locus, in quo nimiam causæ suæ fiduciam ponit, est *1 Tim. II, 5*, ubi unus Deus, & unus item mediator, homo Christus Jesus, sibi invicem opponuntur. Atque ex hac oppositione hunc in modum subducit rationes: Deus est unus. E. Jesus non est Deus. At vero non intelligit callidus interpres genuinam relationem idearum ac notionum oppositam, in hac præsertim oratione, in qua verba leguntur. Hic enim *Deus* dicitur *unus*, ratione τῆς πολυθεότητος *ethnicæ* habita, quam *Judæi* recte sentientes spreverunt. Novi igitur Testamenti tempore *unus est Deus & gentium & Judæorum.* Sic & sub antiqua œconomia *plures* erant *mediatores*, ad σκιὰν τῶν μελλόντων pertinentes, quos soli sibi Judæi vindicabant. Contra vero ea hoc N. T. tempore *unus* est *mediator Deum inter & omnes homines*, sive Judæi sint natione, sive plures antehac Deos coluerint. Nemo est, quin perspiciat, ab unitate essentiæ divinæ, & ejus communione, Filium ista haud excipi ratione. Mentem scriptoris sancti exprimam clarius: Unus est Deus, qui omnes vult homines salute potiri; & unus est mediator, qui omnibus salutem peperit hominibus. Anne vero ex hac idearum relatione sequitur: ergo mediator haud est Deus? Nonne τὴν ἑνότητα communem cum Patre Filius habet? Ipsa τοῦ μεσίτου notio ac δύναμις ejusmodi designat personam, quæ & Deus & homo est; id quod ex analogia S. Scripturæ eruditorum Lectorum unum præterit neminem. Vocabulum *homo* in hoc oraculo singularem & eximiam adsciscit.

ἔμφα-

ἔμφασιν, ex puriori Judæorum Theologia enucleatius enodandam. Hoc enim *Messiam* honestabant nomine, cum ipse, *secundus homo*, peccatum *primi hominis* expiare deberet. Hinc ille *homo* hic dicitur *Christus*, id est, *Messias*, quem Judæi præstolabantur, itemque *Jesus*; quod alterum nomen eo adjunctum est consilio, ut sciamus, hunc ipsum *hominem*, hunc ipsum *Christum*, à Judæis exspectatum, *Jesum* esse *Nazarenum*, nec alium ullum. Jam vero huic voci *homo*, de *Christo* usurpatæ, veteres Judæi puriores notionem *veri Dei* simul alligabant, eundemque ad divinas referebant personas. Fontes Hebræorum tacitus consulto prætereo. Namque ex his Autor, ut conjicio, vel haud bibit unquam, vel ut canis e Nilo. Ego vero non communi, ut me magistro utatur. Alios res ipsa minime fugit, qui in rerum adyta penetrarunt. Vides igitur, ut malitia sese cum ignorantia conjunxerit, ad veram Trinitatem funditus evertendam. Sed satis, ut puto, dictum *Paulinum* vindicatum ivi ab inficeta novi Socinistæ detorsione. Vellem, ut suo acumini non nimium fuisset fisus. Utinam in tanta, qua mens ejus cincta est, rerum theologicarum caligine, cives suos, in quibus major veri perspicientia fuit, in auxilium vocasset, inprimisque *Jo. Tillotsonum*, acutissimum pariter & eloquentissimum Canterburiensem Archiepiscopum, qui in Sermonibus suis sacris hunc locum *1 Tim. II, 5*, erudite declaravit, & nullam tamen orthodoxæ Trinitati vim intulit. Sed ait homo: Unum esse Deum, & ratio docet, & revelatio confirmat. Utrumque do & concedo haud invitus & recusans. Sed patefactio hoc addit: unum istud ens infinitum tres constituunt, Pater, Filius, & Spiritus S. Atque hanc S. Scripturæ veritatem Synodus quoque Nicæna fassa est; id quod *Georgius Bullus* in erudita *Defensione fidei Nicænæ* planissimum fecit. Hunc civem suum utinam legisset homo itidem Britannus, cujus hic copias conficere molior! Ex hac re causa cognoscitur, cur ego hanc ipsam tractationem simili indice insigniverim, quoniam eidem Nicænæ fidei

adsum.

adsum. Infans est adversarius noster, dum hac utitur ratione: Filius est generatus. E. non est a se. E. non est Deus. Contra vero ea solus Pater est a se. E. Pater solus est verus, idemque summus, Deus. Namque Filius etiam est a se, si essentiam ejus spectes divinam. Id quod in Spiritum quoque S. cadit. Sed neuter est a se, si modum sciscas, habendi essentiam. Hanc nimirum Filius a Patre habet per generationem, & Spiritus S. a Patre & Filio per spirationem. At Pater a se est, ratione & essentiæ, & modi eam habendi. Cum etenim tres, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ens a se ac necessarium constituant: consequens est, ut & singuli hi tres essentiam a se communem sibi vindicent. Ex quo perspicuum est, quo sensu non Pater solum, sed etiam Filius, a se sit, & uterque *αὐτόθεος* dici mereatur. Is, qui contra nos arma sumsit, multa ex ingenio fingit absurda, & inter se repugnantia, quæ mysterium premant Trinitatis & oppugnent, v. c. unum est duo, & duo sunt unum; tres item sunt unum. At vero nulla enuntiatio, in qua diversus est respectus, vere repugnans dici potest. Hoc enim scitum nos adoptamus: tres sunt personæ, & τρεῖς τρόποι ὑπάρξεως, unius & ejusdem entis a se & infiniti. Ubi manifeste *unitas* ad *essentiam*, & *trinitas* ad *personas*, a nobis refertur, ita tamen, ut, *modum* hujus sanctius reverendi mysterii nos præterire, ultro libenterque profiteamur. Obtrudit Autor præterea nobis, qui recte sentimus, hanc absonam sententiam, Deum, non simplex, sed compositum, ens, nos recipere ac tueri. Quam quidem ex *unione personali* elucere, jure sibi videtur posse contendere. Ego vero certissimus sum, cum in Philosophia, tum in Theologia, totum alienum esse hominem. His enim præsidiis si instructus esset, hunc facile nodum enodasset. Nimirum nihil hic de *unione personali* dixisset, quippe quæ ad binarum in Christo naturarum pertinet conjunctionem. Quid? quod etiam secrevisset compositionem essentiæ a pluralitate affectionum ac modorum, ut cum Philosophis dicam. Hæc vero plu-

 rali-

ralitas & compoſitio non arguit compoſitionem eſſentiæ. Plures modi, qui re vera exiſtunt, non idcirco plures inferunt res. *Animus*, exempli gratia, noſter *intelligentia* utitur ac *voluntate* libera; quæ reapſe in animo inſunt. *Entis* porro natura in ſe eſt una, & ſimplex, plures licet affectiones recipiat ac modos. Sic in Deo plurium τρόπων ὑπάρξεως compoſitio ſimplicitatem divinæ non tollit eſſentiæ, quippe quæ, omnis quippe compoſitionis expers, ſimpliciſſima & infinita eſt, manebitque.

Vult Autor, *Deum per viam generationis* Chriſtum nominari. Hanc vero decernit obſcuram eſſe, & nihilo tamen ſecius hinc concludit, Chriſtum non verum & ſummum, ſed ſubordinatum, eſſe Deum. Concedo equidem, quod ponit, principium, ſed nego, quod putat inde conſequi. Pater generavit Chriſtum. Ex Grammatica univerſali, quam omnes recipiunt homines, *pater inter homines* eſt cauſa filii univoca. Pater eſt homo. E. Filius etiam eſt homo. Sic Deus, qui Pater dicitur, eſt principium Chriſti univocum. Pater eſt Deus. E. Filius etiam eſt Deus. Cumque Filius ſit; ſequitur, ut haud ſit Pater. Hæc omnia facile colliguntur, nec invita & recuſante veritate. Sed non video, qui homo ignotus ex propoſitione, quam obſcuram eſſe ipſe largitur, tam clare ac perſpicue concludere poſſit, Chriſtum haud eſſe ſummum, ſed, neſcio quem, ſubordinatum Deum. Ita vero philoſophantur illi, qui *Socino*, quam Trinitati, ſunt amiciores. Hinc *Pater* & *Filius*, dum *1 Jo. I, 1*, uterque *Deus* appellatur, diſtinctæ ſunt perſonæ, quibus notio veræ ac ſummæ divinitatis omnino tribuenda eſt. Et *Filius* æque, ac *Pater*, religioſum promeretur honorem ex *Jo. V, 23*. Sed *Epheſ. IV, 6*, prima perſona *Deus*, *isque Pater*, hoc eſt, ea perſona, quæ *Pater* eſt, nominatur, & *v. 5* Chriſtus εἷς κύριος, *unus dominus*, ſive redemtor, dicitur, qui homines ſuo ſanguine omnes ſuos fecit. Itaque Κύριος & Θεὸς minime vocabula erunt, quæ eadem hic valebunt poteſtate. *Jo. X, 30*, ἕν haud dubie *unitatem* exprimit *eſſentiæ*; id

quod

quod ex responso Judæorum *vers.* 33 clarissime patet. Ac videtur Servator pluribus, atque hic leguntur, verbis, ut alia, sic hac occasione, de sua divinitate exposuisse. Levia sunt, quæ ad *1 Jo. V, 7,* ab Autore monentur, dubia. Legat criticam eorum solutionem apud *Jo. Millium*, civem suum, & in *Critica Dissertatione Dav. Martini*, quæ ex Gallico Anglice versa jam dudum in lucem exiit. Nec vero ulla exstat ratio, quæ nos αὐθεντίαν loci in dubium vocare jubeat. Namque *vers. 6* Spiritus Sanctus dicitur testari, spiritum, hoc est, Evangelium Novi Testam. de Jesu vero Messia verissimum esse. Hæc propositio *vers. 7, 8,* demonstratur, & quidem hanc in sententiam: Spiritus Sanctus est unus ex tribus cœli testibus, *vers. 7.* E. testimonium ejus omni est fide dignissimum. Et *Spiritus*, seu Evangelium N. Test. ad testes pertinet terrenos, per quos Deus testatur. E. hoc quoque testimonio nihil verius cogitari potest. Add. *vers. 9 seq.* Nonne vero etiam restrictio legitur expressa *vers. 8* ἐπὶ τῆς γῆς, quæ verba ἐν τῷ οὐρανῷ requirit? Ut vero subjectum *tres* est numerus numerans; sic etiam prædicatum ἕν: nam *vers. 8*, mutato stilo, εἰς ἕν dicitur. Numerus autem *ternarius* ad *personas* respicit; at numerus *unitatis* ad *essentiam* illarum *trium*. Alius enim est *gignens*, alius *genitus*, alius *spirans*, Pater nimirum ac Filius, alius denique *spiratus*. Quam nobis lucem concentus sacrosanctorum attulit dogmatum, qui & hoc præterea docet, *duas* in Christo esse *naturas*, *divinam* pariter ac *humanam*. Secundum hanc igitur *Pater* Christo *omnem potentiam in cœlo & in terra donasse* dicitur. Secundum eandem, œconomiam regni gratiæ Patri tradet Filius, orbe interituro, & Patri subjectus erit, *1 Cor. XV, 28.* Quin etiam Pater Filio potestatem tribuit, publicum & omnium oculis expositum exercendi judicium, quia nimirum homo est, & oculis cerni potest.

Vir, qui Trinitati male cupit, aliquam, subordinatam licet, divinitatem Christo relinquit. At Spiritui

Sancto nullam. Hunc ex spiritibus cœlestibus vult esse aliquem. Vim non intelligit dictorum, quæ divinitatem Spiritus S. extra dubium collocant, & ipsa quoque ignorat dicta. Nec voces ac φράσεις capit sanctiores, quæ Deum significant. Hæc omnia, velim, ex Anglicanis doctoribus discat, qui huic dogmati suppetias tulerunt. Ego nihil hic agam, nisi ut locum defendam, quem arrosit homo, tum vero binos adjungam alios, in quibus eadem veritas iisdem verbis proponitur. Nervum probandi in loco *Actor. V* non callet, quo utuntur, qui bonæ adsunt causæ. Ad verba *versu 4*, ὀυκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, subaudienda vocula μόνον, ex *Actor. XIX, 26*, ex quo etiam loco patet, ἀλλὰ idem esse, quod ἀλλὰ καὶ, *Matth. XXI, 21, Jo. V, 18, XI, 52*. Conf. *Phil. II, 12*. Propositio igitur hæc est: Ananias duobus mendacium dixit, *hominibus*, id est, Apostolis, & *Deo*. E. is, cui, *præter Apostolos*, mendacium dixit Ananias, *Deus* est. Jam vero Ananias, præter Apostolos, *Spiritui Sancto* mendacium dixit, *vers. 3*. E. *Spiritus S. Deus est*. Quid, quæso, in hac desiderandum putas ratiocinatione? Sic *1 Cor. III, 16*, binæ exstant propositiones: 1) Credentes sunt templa Dei; 2) in credentibus habitat Spiritus Dei. Altera ejusdem est potestatis, qua prior valet. Nam, sive dicam: *templa Dei*, sive *ii, in quibus Deus habitat*, verba diversa erunt, res vero eadem. His explanatis, ita colligo: Credentes sunt ubivis terrarum dispersi. E. is, *cujus templa* credentes esse possunt, *omnipræsens* esse debet. Jam vero *solus Deus est omnipræsens*. E. *credentes solius sunt Dei templa*. Sed & iidem *Spiritus S. templa* esse dicuntur, qui *in ipsis habitet*. E. *Spiritus S. Deus est*. Nervis carebit, quod huic rationi objici poterit. Cum igitur ex S. Scriptura unice petita sit nostra *Trinitatis* explanatio; verba sibi dedit Autor, quod præ se tulit, non *divinam* eam esse, sed *humanam*. Equidem haud abnuo, *Athanasium*, ac ceteros Patres Nicænos, clarius ac descriptius vocabula, ὁμοούσιος, ὑπόστασις, & alia, exposuisse, quibus hoc mysterium

expri-

exprimimus, rem vero ipsam & ipsi Apostoli & Anti-Nicæni Patres omnes agnoverunt & professi sunt. Vides igitur, nasutum hominem, qui subdolæ sese irrisioni dicavit, a solida rerum cognitione relictum esse. Addam duo vitia, quæ patrocinio pejora erunt. Vocat is *Patrem causam Filii.* Falso. Græci quidem Patres vocem *αἰτία* hoc sensu usurparunt. Verum hæc latiorem, quam vox Latina *causa*, sibi adsciscit ambitum. *Causa* de rebus *physicis* commode adhibetur. Sic pater, qui homo est, recte dicitur causa filii. Namque ejusmodi pater rationem existentiæ filii sui, essentia, vel numero, ab ipso diversi, in se continet omnem. At vero in S. Trinitate Pater & Filius eandem numero habent essentiam. Hinc Filius nec essentia, nec numero, ut Deus quidem, a Patre differt. Ac Pater rationem Filii continet, non quod ad ipsam hujus essentiam attinet, sed tantum ratione illam habendi spectata. Rectius ergo *principium Filii* Pater nominandus erit. Tum vero & Autor noster Deum unicum ait ens a se, quod ratio doceat, & S. Scriptura Patrem dicat. Hunc unum Deum unicam personam esse, contendit. Vetustus hic error est *Socini* asseclarum, quem in orbem revocavit. Nam persona est suppositum intelligens, in quo binæ insunt proprietates: una individualis, altera communis. *Socrates* v. c. est suppositum intelligens. In hoc est notio 1) individualis, qua efficitur, ut sit præcise *Socrates*, non alius, non *Petrus*, *Paulus*, *Joannes*; 2) communis. Nam *Socrates* est homo, humanam habet naturam cum aliis personis communem. Nemo est, quin ex his perspiciat, personam necessario pluralitatem, ob notionem communem, in se continere. Autor vero concedit, Deum personam esse. Hoc dato, dandum & illud erit, plures personas in Deo esse, quæ nota singulari ac personali differant, essentiam autem divinam communem sibi vindicent. Videri possunt, quæ *Fonseca* contra *Cajetanum* hac de re disputavit *Metaph. Lib. V Cap. VIII Quæst. 5 Sect. 3.* Ita vero Scriptor andabatarum more dimicat, & nobis largitur, quod volumus.

Nunc ſumam publicum de homine judicium. Is ſe in Indice nominat *a Gentleman*, id eſt, *nobilem* & *honeſto loco natum*, ut ſolent Scriptores Britanniæ Anonymi hoc ſibi nomen adſciſcere. Hic, ſi in doctorum numero habetur, etiam atque etiam cavit, ne acutam ſibi & ſolidam pariter ac interiorem compararet doctrinam. Fando quædam leviora audivit & philoſophica & theologica principia, ſed ea delibavit tantum, non vero interius exploravit. Acceſſit malitia ingenio freta, quæ ipſum impulit, ut, nulla interpoſita mora, iis male, nimirum ad bellum S. Trinitati indicendum, uteretur. Quare majorem in modum, nec immerito, miror, tam inficetum libellum, & omnis ſalis vacuum, tam cito emtores in Anglia inveniſſe, ut ne unicum quidem in officinis illic librariis ejus exſtat exemplum. Obſcuravit homo Trinitatem, quam explanare promiſerat. In hunc ergo illud quadrat *Horatianum de Arte Poet. verſu 138:*

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

DE DIVINO OFFICIO COMMENTARIUS hiſtorico-theologicus, ubi ex ſacris literis, Conciliorum decretis, Patrum effatis, nec non variis tum occidentalis, tum orientalis, Eccleſiæ monumentis, Monachorum regulis, Sanctorum Actis, &c. exhibentur divini officii exordia, progreſſus, leges, quibus laici, Clerici, monachi, atque moniales, ipſius recitationi addicebantur; ritus proferuntur diverſi variarum Occidentis Eccleſiarum & Orientis nationum; uſus alii complures antiquitatis ſacræ, quæque ſubinde in hoc jus irrepſere, mutationes, recenſentur; & varia hæreticorum deliria paſſim configuntur. His accedunt regulæ criticæ, quibus Breviarii autoritas conſtituitur, & germana SS. Acta a ſpuriis ſecernuntur, Autore D. FRANCISCO MACCHIETTA.

Venetiis, apud Franc. Pitteri, 1739, 4 maj.
Alph. 1 plag. 15½.

Commen-

Commentatio hæc inscripta est *Dan. Delphino*, Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchæ, cujus prosapiam ac merita tum in rempublicam Venetam, tum in Ecclesiam Romanam, amplis satis verbis Autor describit ac dilaudat. In Præfatione docet, opus hoc, in duodecimum usque annum a se pressum, tandem in lucem emissum, quo omnes, sive sacris ordinibus sint adscripti, sive cœtus sacri gregem constituant, intelligant, quæ divini hujus officii sit origo, quaque religione idem illud antiquitus sit celebratum. Totum illud *XVII Capitibus* absolvitur. *Cap. I*, ubi quædam de precibus tum privatis, tum publicis, præmisisset, in primam illius originem Noster inquirit, quod, autore *Abrah. Echellensi*, ex orientalis ecclesiæ consensione Apostolicæ sit institutionis: cui sententiæ calculum adjicit, causatus, certum esse, *Origenem* illud Seculo III incunte auxisse, inque ordinem redegisse, unde consequi putat, illud ante *Origenem* jamdum exstitisse, quod firmat verbis *Guil. Durandi Lib. VII ration. divin. offic.* Divinum officium ex mente *Bellarmini Lib. I de bon. oper. Cap. X* definit, esse *certam laudandi, precandique, rationem mente simul ac voce, autoritate præsulum ecclesiæ institutam.* Primos Christianos Pag. 5-7.
in precandi officio constantes fuisse, ex Apostolorum & primorum rei Christianæ doctorum scriptis, *Justini Martyris*, *Tertulliani*, *Cypriani*, ac *Basilii*, probat. Huc 7, 8.
refert stationum officia, in Martyrum memoriis ac publicis festivitatibus usitata, nec non pietatem, qua in agapis sint defuncti, & a qua laudabili consuetudine ne quidem tempore sævissimarum vexationum abstinuerint, loca abdita, ut precibus in occulto vacarent, quærentes. Qua fronte 8-10.
dicere possit, illos, qui *Lutheri* doctrinam sectantur, precum necessitati derogare, non videmus. Qui superfluos ritus, qui rei alicui per superstitionem accesserunt, vult sublatos, ille certe non rem ipsam proscriptam cupit. *Cap. II* 11-15.
docet, priscos Christianos publice orandi tempus, secundum horas canonicas institutum, observasse, idemque illud ab ipso internuntiorum Christi ævo repetendum. Variis illud

venire

venire nominibus: 1) *Pſalterii*, quia major pars conſtiterit Pſalmorum vel recitatione, vel cantu; 2) *curſus*, quia ſecundum præſcriptum eccleſiæ Pſalmorum & lectionum copiam percurrebant; 3) *officii divini*, quo hodierno adhuc die appelletur, quoniam in precibus officium, quod Deo debetur, præſtatur; 4) *canonis*, quia orandum ſit ſecundum regulam, ab eccleſia ſtatutam, unde *horarum canonicarum* nomen fluxerit, quoniam officium hoc certo canoni & horis fuerit adſtrictum; 5) *miſſæ*, quia, expleto officio, fidelibus ac religioſis diſcedendi copia ſit facta; 6) *ſacrificii*, appellatione deſumta ex *Pſ. CXL, (CXLI, 2,)* quoniam per orationem Deo nos noſtraque offerimus; denique 7) *opus Dei*
Pag. 17. appellare *Gregorium Magnum Epiſt. XIII Lib. IX.* *Cap. III*
21. Autor ſtabilire ſatagit, ab Apoſtolis fluere hanc precandi conſuetudinem, quia tertia, ſexta, & nona, horis ſacro huic officio vacarint *Actor. III, 1, XVI, 26,* provocans ſimul ad autoritatem *Tertulliani & Cypriani*; *conſtitutionum*, ſic dictarum, *Apoſtolicarum* decretis propterea ſtandum non eſſe, quia Critici ſint, qui de illarum antiquitate litem moveant.
21-24. Inde fidem non mereri *Centuriatores Magdeburgicos*, horarum canonicarum inſtitutionem a *Pelagio II* arceſſentes, ac notam Anti-Chriſti præ ſe ferre dictitantes. Prius refellit ex *Can. 25* Concilii Eliberitani, habiti A. 303; in poſteriori contradictionem aliquam obſervat, cum emendatorum ſacrorum doctores, *Gregorium M.* Antichriſtianiſmi fundamenta poſuiſſe, fere cenſeant, qui tamen *Pe-*
24-26. *lagio* ætate poſterior fuerit. Sed, quam fidem in Magdeburgicis deſiderat, illius ſe incurium ſatis oſtendit. Inſtitutionem horarum canonicarum non repetunt a *Pelagio II*, ſed tantum, *pro horis dicendis ſtatutum* renovaſſe eum, affirmant, *Cent. VI Cap. X pag. 361* edit. Baſil. Non *Gregorium Magnum*, ſed *Gregorium VII*, Antichriſtianiſmi fundamenta ſtraviſſe, Proteſtantes pronuntiant. *Cap. IV* monſtrat, ad officium hoc omnes omnino Clericos obſtrictos fuiſſe, cantores, lectores, acolythos, exorciſtas, & ſubdiaconos, laicos pariter, quod ex Chriſtianorum antelucanis conven-

conventibus patere credit, cui instituto adhucdum ob-
secundent *Maronitæ*, *Copti*, & Christiani *S. Thomæ*.
Cap. V in eo est, ut declaret, illos, qui sacris ordinibus Pag. 26-
fuerint adscripti, ad canendi precandique certum tempus 33.
& pensum obligatos fuisse, ab illo tamen vacationem obti-
nuisse Jesuitas, quo sic in animarum auxilium, juventutis
institutionem, miserorum levamen, vires felicius intendere
possent. In more fuisse positum olim, ut, monachorum 33-35.
uno canente, ceteri silentio & maximo mentis affectu ora-
rint, qui mos postea in desuetudinem abierit. Ex *acmoe-* 38.
tarum, (rectius *acoemetarum*,) instituto monachos omnes in
certas classes fuisse distributos, qui sibi invicem in canendi
officio successerint, ut nullum tempus canticorum expers
fuerit, quod ipsum *Sigismundus*, Burgundionum Rex, in
usum revocare voluerit, sed institutum illud non diu du-
rasse. Ad virgines etiam Deo sacras officium hoc transi- 38-41.
isse. *Cap. VI* confirmat id, quod superius adstruxerat, 41-46.
Clericos omnes ad officium hoc obstrictos fuisse; quod
porro inde probat, quoniam ex publicis ecclesiæ opibus
stipendia ipsis fuerint subministrata. Qui quo expeditio- 46-52.
res in canendo essent, *(Cap. VII)* totum psalterium me-
moria complecti, diversis in Conciliis sunt jussi, quemad-
modum etiam ante inventam typographiam non tot libri
commode exarari potuerint, quot ob monachorum multi-
tudinem fuerint requisiti. *Cap. VIII*, diversitatem rituum, 53-58.
qualis obtinuit in variis regionibus, facere ad pulchritudi-
nem & majestatem; Apostolos, exeuntes in terrarum orbem,
unitatem fidei servasse, rituum externorum administratio-
nem vel cujusque gentis genio attemperasse, vel illius potesta-
ti reliquisse, docet Autor. Quæ autem varietas in officio divi- 58-64.
no apud diversas nationes locum habuerit, postea demonstrat.
Cap. IX, primis temporibus unum præcinuisse, reliquis men- 64-92.
te ac spiritu subsequentibus, nisi quod sub finem aliquid una
cantarint, ex *Euseb. H. E. Lib. II Cap.* 17 ostendit. Inde inven-
tum esse morem *alternatim canendi*, quem *Socrates Lib. VI*
Cap. 8 adscripserit *Ignatio* Antiocheno, sed præter ratio-

nem, arceſſendum nempe a *Flaviano* & *Diodoro* monachis.
Pag. 93- Vid. *Theodoret. H. E. Lib. II Cap. 24.* Cantum facere *pri-*
96. *mo* quidem, ut Deo debitus honos exhibeatur, cui fini etiam
ſervierit in cultu Judæorum & paganorum, *deinde* vero, ut
divina myſteria in animum facilius illabantur, ac ſuavi vo-
cum modulatione mœror & ſocordia bonorum operum men-
96-98. te ejiciatur. Inde *Petrum de Bruis* & *Valdenſes* male feciſſe,
cantus eccleſiaſticos, tanquam Deo indignos, rejicientes.
98, 99. Sed enim, *Bruiſium* cantum omnem exterminatum voluiſſe,
probari nequit, ſuperſtitionem tantum notavit. Semper
aliquem nomine *cantoris* cantui moderando præfuiſſe; ſe-
quentibus temporibus ludos modulatorios fuiſſe inſtitutos,
ex quibus prodierint, qui poſt ad faſtigium Pontif. Max. ſint
evecti, nec *Carolum M.* vices cantoris ſubinde detrectaſſe.
99, 100. *Primicerio*, ſive *cantori*, in variis eccleſiis eximia indulta eſſe
privilegia. Apud Venetos cantorem non niſi ex Patriciorum
legi ordine, ac eadem fere ipſi, quæ Epiſcopo, jura tribui,
100, 101. *inſulam* ſcilicet, *baculum*, *annulum*, ac *ſandalia*. Partes ali-
quas populo in cantu fuiſſe datas, a quo mos alternatim ca-
nendi invaluit, nec hanc poteſtatem concinendi per Conci-
lium Laodicenum ademtam fuiſſe, Clero, rem ſacram facien-
ti, accinuiſſe *kyrie eleiſon*, & Epiſcopi ſalutationi, *& cum ſpi-
ritu tuo*, aut *amen*, quod repetendum ſit ex Apoſtolorum
ævo. Et, ſi quidem aliquid per hunc Canonem populo ſit
ademtum, id intelligendum eſſe de officio cantorum, in
101-110. quod involare, ipſis interdictum. Interim non diffitetur Autor,
in plerisque eccleſiis id uſu hodie introductum eſſe, ne
promiſcue pſalmodia a laicis exerceatur; improbandum igi-
tur eſſe morem Calviniſtarum, qui promiſcue turbæ & vi-
rorum & fœminarum hanc canendi poteſtatem concedant,
nec Janſeniſtas habere, quod in eccleſiam inſurgant, ac ſi
110-113. hoc ſolatium plebi ſacræ eripuerit. Quæ cum calamo Re-
verendi Autoris elaberentur, videtur immemor omnino il-
lius fuiſſe, quod in ſuperioribus poſuerat, cantum facere
ad debitum Deo officium præſtandum, illiusque beneficio
myſteria religionis altius animo infigi. Quo poſito, recte

ac

ac ordine faciunt sacrorum instauratorum doctores, promiscuam cœtus sacri turbam ad hoc tam necessarium, tamque gloriosum Deo, officium admittendo. *Jansenii* asseclæ jure contendunt, ut hoc jus plebi sacræ, per vim ereptum, restituatur. *Cap. X* pariter sibi non constat Autor. Docuerat, Christi internuntios verbum gratiæ populis lingua cuique vernacula prædicasse; demonstraverat, oracula sacra in potiores culti orbis linguas conversa fuisse; asseveraverat, plurimos populos lingua sibi familiari cultum & officium divinum peregisse, nec illud omnino improbarat; ubi autem, id *Lutheri* ac *Calvini* sectatores efflagitare, commeminit, ut Scriptura sacra in linguas vernaculas transfundatur, *ex orco excitatos esse*, belle scilicet pronuntiat, eosdemque, ut & illos, qui a *Jansenii* partibus consistunt, non tam rationibus, quam conviciis, obterit. *Cap. XI* tempora definit, Pag. 114-
quibus horæ canonicæ initium suum duxisse arbitratur. 152.
Nocturnum officium, *Athanasio* & *Basilio* testibus, a media nocte cœptum esse, prout *Paulus* & *Silas* nocte concubia laudes Deo concinuerint. Illius formam ex *Baronii* sententia contineri *1 Cor. XIV, 26*, eandemque offendi descriptam apud *Tertullianum*, maxime *Epiphanium*, ac constitisse *psalmis, hymnis*, atque *lectionibus*. Orationem ma- 153-155.
tutinam ex loco aliquo *Cypriani* de *Oration. domin.* repetit; si quis vero existimet, illam jamdum memorari in Constitutionibus Apostolicis, huic ad cogitandum proponit, esse illas *Cypriani* ac *Augustini* ætate posteriores, quod num omnibus fidei suæ sociis sit persuasurus, ipse viderit. 155-157.
Tertiam, sextam, ac *nonam*, horas precibus destinatas fuisse, ex *Tertulliano de Jejun. Lib. X* probat, imo ab ipsis fluxisse Apostolis. *Tertia* hora Spiritum S. in Christi oratores precantes se demisisse *Actor. II, 15*, *sexta Petrum* orationi indulsisse *Actor. X, 9*, coll. *III, 1*. Originem *vesperarum* ævo *Cypriani* innectendam esse, a quo tempore pariter *completorium* derivandum. Priscos Christianos 157-160.
vel omne tempus nocturnum precibus exegisse, vel partem aliquam ejusdem illis dedisse; quæ autem diversitas

 obti-

obtinuerit tum diebus festis, tum dominicis, qualisque mu-
Pag. 165- tatio cum tempore sit inducta, postea enarrat. *Cap. XII*,
176. majorem noctis partem olim Psalmorum cantui datam fuis-
se, illumque haud raro ad lucis ortum protractum, ex *Basi-
lio* infert; inde ex Concilii *Turonensis* actis Psalmos enu-
merat, qui per totum annum fuerint ordinati. Lectionem
olim quidem secundum Concilium Laodicenum ex Scriptura
tum Vet. tum Nov. Test. instituebant, Seculo autem V cœ-
177-180. ptum, ut Sanctorum acta lectionibus officii interfererentur.
A. 1095 autoritate Concilij Claramontani, & jussu *Urbani II*,
obligationem officii Deiparæ accessisse, sed *Pium V* A. 1568
182-185. fideles ab omni lege exemisse, demto officio B. Virginis.
Cap. XIII contendit, ad horas canonicas observandas Cle-
ricos omnes, beneficio aliquo fruentes, sub peccato mortali
obstrictos teneri, adeo ut in negligentes pœnis animadverti
185-189. potuerit, omnesque Breviario instructi esse debuerint. Priva-
tam etiam recitationem incubuisse omnibus & viris & fœ-
minis, in sacros ordines allectis, ubicunque locorum degerint;
illum etiam, qui aliquo ab ecclesia beneficio fuerit macta-
tus, si quidem id omiserit, ad fructuum perceptorum resti-
189-200. tutionem compelli potuisse. Qui igitur impedimento ali-
quo constringebantur, ut publicis orandi conventibus inter-
esse ipsis haud liceret, illi *(Cap. XIV)* eadem hora hac de-
votione defungi debebant; sed posteriori tempore hoc ipsis
est datum, ut a constituto tempore aliquantulum discedere
201-204. potuerint. Tempore quadragesimali vesperas meridiei,
vel prandio, præmittere, secundum Conciliorum decreta cul-
204-206. pa non vacare, pronuntiat; nec probatur ipsi, illos, qui
constitutum officii tempus prætermiserunt, ab illo omni
immunes declarandos esse, cum abhorreat a communi *ti-
moratorum* (quidni Dei reverentium?) sensu, & viam sternat
206-208. ad legem ecclesiasticam pervertendam. *Cap. XV* notat
mutationes, quæ circa divini officii legem contigerunt.
In Concilio Eliberitano fœminis interdictum esse, orationibus
noctu vacare, dici non posse, cum insecutis temporibus, ad
Seculum usque IX, officium generatim omnibus fuerit incul-
catum;

catum; nec per instituta monastica diurnum precandi æstum deferbuisse. A Seculo VI laicos ab ista precandi consuetudine se sejungere cœpisse; cui rei cum medela afferri posset nulla, id saltem statutum fuisse, ut diebus dominicis officio & diurno & nocturno vacarent. Tandem officium nocturnum propter crebros abusus Seculo XIV Canonibus Concilii Copiniacensis & Audomarensis fuisse sublatum. *Cap. XVI* de Breviariis agit. Breviarii voce primum usum esse, docet, Anonymum Micrologi Sec. XI scriptorem; cujus appellationis rationem dat *Rudulphus*, Tungrensis Decanus, quoniam divinorum officiorum cursum pro re nata *breviarint*, ut hinc institutum istud a Franciscanis atque Dominicanis repetendum non sit; quod autem hi Breviarium sint amplexi, id ipsis vitio vertendum non esse, quia multis negotiis in emolumentum ecclesiæ continuo fuerint occupati. Inde diversas Breviarii editiones recenset, &, quæ in illo mutationes factæ fuerint, enarrat. Autoritatem illius, ratione habita materiæ, non eandem esse, asseverat. Quatenus complectatur Psalmos, lectiones Scripturarum, Evangelia, & quæ hujus generis sunt alia, eandem ipsi deberi autoritatem, quæ Scripturæ sacræ, interpretationes Patrum posse examini submitti, res gestas Martyrum ab omni errore immunes non esse, justum tamen esse, illorum reliquiis debitum præstare cultum ac honorem. *Cap. XVII* Judæos insimulat, ac si violentas Scripturæ sacræ manus intulerint, itemque varios hæreticos; nec a vitio hoc alienos esse Lutheranos & Calvinistas, qui partim Scripturas adulterarint, partim male sint interpretati. *Lutherum Rom. III, 28,* adjecisse vocem *solius*; sed, cum in hoc loco sibi opponatur *lex fidei* & *lex operum*, ex operibus autem non detur justificatio, *Lutherus* ad sensus *Paulini* declarationem non sine ratione vocem *solius* addidit. *Calvinum 1 Cor. XV, 10,* verba, *gratia Dei mecum*, flexisse *gratia, quæ mihi aderat*, Flacium, *gratia, quæ mihi adest*. Grande scilicet nefas! Non igitur licebit interpreti verbum, quod scriptor sacer omisit, ad clariorem il-

Pag. 208-210. 210, 211. 213, 214. 215-219. 219-227. 227-243.

 lius

Pag. 243-245. lius intelligentiam exprimere? Inde subjicit quædam de scriptis spuriis, Christo, divæ Virgini, ac Apostolis, falso adscriptis, itemque regulas criticas tradit & exponit, quas in dignoscendis Martyrum actis cum usu adhiberi posse opi-
245-272. natur. Plura quidem in hac Commentatione notanda occurrunt; at id unum tantum observamus, demonstrationi suæ hoc substravisse Autorem, quod nemo facile in dubium vocabit, Christianos primis temporibus, cum propter hostium furorem per diem non liceret, horis antelucanis ad sacra concelebranda confluxisse, inque his suis conventibus canticis, precibus, ac verbi divini interpretationi, vacavisse. Sed vero, cultum hunc tribus prioribus Seculis certo tempore, certisque Psalmorum ac Canticorum pensis, circumscriptum fuisse, ratione nulla probari potest; ut hinc, quicquid hujus est officii, id omne ortum suum debeat Monachorum institutis. Barbarismi nonnulli passim Autori exciderunt, ex quibus notamus *exigitus*, *constasse*, *obtrudisse*, *adstasse*.

S. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLÆ TRES catholicæ, Notis grammatico-philologicis illustratæ, & ad facilitandam Græcam sacri Codicis lectionem seorsim editæ, curante LEONARDO CHRISTOPHORO RUHLIO.

Amstelodami, apud Petrum Mortier, 1739, 8.

Plag. 4.

Si, qui ad scribendum animum appellit, scopum, quem suis laboribus intendit, consequitur, satis amplum illorum fructum reportasse est existimandus. Sunt, qui non nisi eruditis scribunt; sunt, qui mediocriter doctis lucubrationes suas destinant; sunt denique, qui in illorum gratiam aliquid moliuntur, qui primis rudimentis imbuendi; qui igitur aliquid in horum communem utilitatem afferunt, illi officio suo fecisse satis, recte judicantur. Non eruditis, sed tironibus, commentatus est doctissimus *Ruhlius*, quorum interest, linguæ Græcæ notitiam sibi parare, quorumque animos

mos verbo gratiæ tempestive muniri, æquum est & justum. Huic fini accommodatæ erant Epistolæ *Joanneæ*, quæ & facili dicendi genere sunt exaratæ, & gravissima religionis capita complectuntur, virtutis item atque pietatis præcepta, divinitus tradita, veris Christi imitatoribus inculcant. Has igitur, sua, id est, Græca, lingua satis emendate in hac iterata editione, (prior enim Halæ Magdeb. A. 1718, 8, prodiit,) exscriptas, exhibet, nominum atque verborum formam secundum regulas grammaticas declarat, significationem illorum adjungit, ac integras locutiones familiari παραφράσει illustrat, ut sic opella hæc adolescentibus usui esse queat.

CHRISTIANUM PASCHA IN CALENDARIO Gregoriano rite celebratum. Autoris, P. JOSEPHI FALCK, Soc. J. Opus posthumum.

Pedeponti prope Ratisbonam, 1740, 8.

Plag. 18, cum aliquot Tabulis.

Autor libri hujus posthumi, occasione controversiarum de Paschate anni 1724, primo quidem animadversiones nonnullas edidit, quibus cyclum *Gregorianum* defendere conatus est; deinde vero ad totam rem paulo fusius atque curatius pertractandam, suadentibus amicis, se accinxit. Nec dubium est, quin breviter & luculenter ea omnia complexus sit, quæ vel dicta ab aliis fuerunt pro *Gregoriano* Calendario, vel dici omnino posse videntur. Quo labore quid effecerit, periti judicabunt. Nunc præcipua momenta strictim attingemus. Divisus est liber in *Partes duas;* in quarum *altera* de universa temporum ratione tantum Autor commemorat, quantum opus esse arbitratur ad explicationem Calendarii *Gregoriani;* in *altera* hoc ipsum Calendarium omnibus viribus defendit. *Prior Pars quinque* constat *Capitibus*. In *uno* de tempore politico agitur, de diebus & horis, de hebdomadis & mensibus, de Calendis, Idibus, & Nonis Romanorum, de anno solari, de mensibus

ſibus & annis lunaribus; in *altero* de cyclis Calendarii veteris; de numero aureo, literis dominicalibus, & indictione; in *tertio* de Feſto Paſchatis, de Paſchate Chriſti ſupremo, (de quo placita doctorum ita exponuntur, ut nihil Autor definiat,) de Chriſtiano Paſchate, poſt reſurrectionem Domini, & quid hac de re actum in Concilio Nicæno, & poſtea obſervatum ſit; in *quarto* de correctione Calendarii *Gregoriana*, de hujus correctionis neceſſitate, de reſtitutione æquinoctii, de æquatione cycli ſolaris, de reformatione cycli lunaris per epactas, & de toto epactarum artificio, de perpetuitate Calendarii *Gregoriani*, & de ordine lunationum; denique in *quinto* de ipſa praxi computationis civilis & eccleſiaſticæ. *Pars poſterior quatuor* habet *Capita*. In *primo* eorum rationes expenduntur, qui cyclos in univerſum omnes repudiant; in *altero*, quæ afferri pro calculo aſtronomico ſolent, conſiderantur & rejiciuntur; in *tertio* de rationibus diſputat Autor, ex calculo Judaico deſumtis, ad quem calculum nobis reſpiciendum eſſe, ne paſcha cum Judæis celebremus, omnino negat; in *quinto* de nævis agit, qui Calendario *Gregoriano*, ejusque autoribus, tribuuntur. Miſſis nunc ceteris, ne longi ſimus, ex ſolo *Partis poſterioris Capite altero* pauca quædam, pro ſpecimine, afferemus. Atque hic contra uſum calculi aſtronomici pugnans Autor, non quidem diffiteri poteſt, eum accuratiorem eſſe quovis cyclo; ſed hoc contendit, accuratam illam ſubtilitatem neque divinitus, in libris ſacris, neque a Concilio Nicæno, præſcriptam, nec conſuetudini & intentioni Eccleſiæ conformem, eſſe, quippe quæ id ipſum maxime requirat, quod obtineri nequit per calculos aſtronomicos, ut Chriſtianum Paſcha, per univerſum terrarum orbem, concorditer celebretur. Et in libris quidem ſacris, inquit, nihil de æquinoctio & plenilunio vero, ſed ſolum diem civilem primi menſis, determinari, manifeſtum eſt; nec Concilium Nicænum quidquam amplius decreviſſe novimus, quam ut concorditer Paſcha celebrent Chriſtiani, una eademque die dominica, quæ quartam

tam decimam lunam primi menſis ſubſequatur. Hanc diem non aliter, quam per cyclos, accuratos illos quidem, (quantum fert natura cycli,) ſed per cyclos tamen, ad captum fidelium accommodatos, definiendam eſſe, Autor contendit. Hac enim via ad perpetuam illam inter univerſos Chriſtianos concordiam, tam ſerio quæſitam, ipſo judice, perveniri poteſt; alia via, & per calculos aſtronomicos, non poteſt. Hoc caput rei videtur, quod Autor ex differentia meridianorum non difficile demonſtratu exiſtimat. Incidente enim plenilunio paſchali, ſub certo quodam meridiano, in principium diei dominicæ, ſub alio in diem Saturni, hic celebrandum die proximo, ibi differendum erit Paſcha, ab iis, qui calculum aſtronomicum approbant, & eum civili miſcent. Quodſi dicas, eligendum unum meridianum eſſe, (Uraniburgicum exempli cauſa,) ad quem univerſus orbis Chriſtianus reſpicere debeat, continuo cadere totum illud tam exacti calculi patrocinium, & pleroſque meridianos, ſine ratione, jure privari ſuo, P. *Falckius* vociferatur. Quid vero, ſi quis neget, exactiores, magisque concordes, exiſtere calculos poſſe, quam qui ad unum ſemper eundemque meridianum accommodentur Hieroſolymitanum, ſub quo ſcilicet vixit, & a morte reſurrexit, Servator noſter, cujus memoriæ Paſcha Chriſtianorum conſecratum eſt? Quid, ſi quis alius concordiam, in celebrando Paſchate tantopere inculcatam, eo uſque extendat, ut antipodas ſuos Chriſtianos in hæreticis numerare haud vereatur, ni ſacra Paſchatos ea nocte peragant, quæ noſtræ diei reſpondet? Sed de his Autoris amici viderint. Nunc illa paucis attingenda quæſtio eſt: cum, Patres Nicænos de accurate definiendo Paſchate adeo ſollicitos fuiſſe, tandemque totius Calendarii & Paſchatos quotannis indicendi curam Epiſcopis Alexandriæ (ubi Aſtronomia tum maxime florebat) demandaſſe, conſtet, an hinc concludere fas ſit, voluiſſe venerandos iſtos Patres, ut tempus paſchale non amplius per cyclos, ſed per calculum aſtronomicum, determinetur? Negat hoc & perne-

gat P. *Falckius*; cui, qui ita rationem concludunt, perinde facere videntur, tanquam si *Gregorium XIII*, quia peritissimos adhibuit ad emendationem Calendarii Astronomos, ideo, repudiatis cyclis, calculos astronomicos in novum suum Calendarium introduxisse, arguant. Concedit quidem, usos esse Alexandrinos calculis & tabulis astronomicis, sed ad novum accuratioremque cyclum construendum; quem si non statim publicarunt, id vel propterea fecisse videntur, quo *bonitatem ejus antea per observationes & experimenta examinarent*, vel (ut ipsa Autoris verba ponamus,) *quia nolebant eum omnibus communem facere, ut prærogativa denuntiandi Paschatis penes ipsos servaretur*; hoc est, quia, invidia & prærogativæ cupiditate ducti, artem suam studiose celabant. Quasi scilicet de eo quæramus, cur piis doctisque Alexandrinorum Episcopis placuerit Pascha quotannis denuntiare, non vero, cur a Patribus Nicænis, ut ita fieret, decretum sit. Nam, quod ad Astronomos *Gregorianos* attinet, eos nihil tale in mandatis habuisse, satis scimus. Id recte observat Autor, potuisse Alexandrinos, sive ex novo cyclo tempus paschale, sive ex solis tabulis astronomicis, computandum esset, annua denuntiatione facile supersedere, unaque opera complura Christianis festa præfinire. Ex quo si quis concludat, demandatum illis fuisse, non ut ex solis tabulis, necdum satis perfectis, sed ex ipsis etiam annuis Astronomorum observationibus, tam solennia sacra ordinarent, quid responderi pro Autore nostro possit, vix videmus. Non planissime constat de sententia Concilii Nicæni, quippe cujus acta ad nos integra haud pervenerunt. Hoc certum, Christianos semper exoptasse rationem determinandi Paschatos quam correctissimam; sed hoc æque certum, cyclicam computandi methodum nunquam habitam esse inter eos sacrosanctam.

DE FAMILIA CÆSENNIA EQUESTRI & Consulari Romæ antiquissimæ inscriptiones, ævo super-

perstites. In unum collectæ, dilucidatæ, atque ornatæ, lucubrante PETRO ANTONIO BRASCHIO, Comite, ac Patricio Cæsenate. Post ejus obitum novis eruditionibus auctæ, ac ad præsentem ordinem statumque redactæ, per Dominum JO. BAPTISTAM BRASCHIUM, Archiepiscopum Nisibenum, illius fratrem: atque Sanctissimo Domino nostro CLEMENTI P.P. XII humillime dicatæ.

Romæ, typis Raphaelis Peveroni, 1731, 4 maj.

Alph. 2, cum imagine defuncti, æri incisa.

Eximiam hoc limatissimum Opus præ se fert antiquitatis, neque minorem historiæ, ceterorumque elegantioris literaturæ generum, cognitionem, ad quod tamen conscribendum vel unum verbum *Cæsennia* illustribus Fratribus occasionem dedit. Vidit nimirum defunctus apud Sarsinam lapidem, hoc nomine inscriptum, hæsitque cogitans, quid sibi velit memoria illa, & quomodo ibi sita reperiretur. Inde, cum superstite collocutus, eo adductus ab eodem fuit, ut, quicquid de familia *Cæsennia* reperire posset, in unum volumen colligeret; neque tamen id consilium, nisi ea lege, ut auxiliatrices Frater manus præberet, amplexus est. Finis autem utriusque, in hoc labore suscipiendo, ac scopus fuit, non solum, ut generatim de republica literaria, deque patria, bene mererentur, sed singulatim etiam, ut Genealogiam, quæ præcipua sit Historiæ pars, supplementis haud sane contemnendis amplificarent. Id autem ut eo plenius assequerentur, eruditissimam ante omnia, *quatuor* peculiaribus *Capitibus*, de nominibus Romanorum tractationem præmiserunt. Primum Romani uno, inde duplici, nomine uti solebant: quam consuetudinem a Sabinis, atque Albanis, traduxisse feruntur. Successu temporis Quirites tertium præterea nomen adsciverunt, sed ingenui tantum atque nobiles. Post & quartum addiderunt, ut inde nascerentur, *prænomen*, quia nomini præponebatur,

nomen gentilitium, quia genus notabat, *cognomen*, quia cum nomine conjungebatur, & denique *agnomen*, quasi accidens nomen. Prænomina erant olim non nisi 28, deinde addita fuerunt alia 24. Iisdem soli nobiles, ingenui, atque liberi, utebantur, nunquam vero servi, nisi forte jam libertate donati essent: tunc etenim prænomina patronorum sibi poterant assumere. Sic & illis peregrini haud utebantur, nisi cum in civitatem Romanam essent allecti. Duo pariter fratres unum atque idem prænomen nullatenus adhibebant, sed primogenitus tantum sibi patrium ordinarie apponere solebat. Fœminæ isto vel plane carebant, vel raro admodum utebantur. Uni si parenti binæ adessent filiæ, majoris atque minoris nomine distinguebantur; sin plures, prima, secunda, tertia, & sic deinceps, nuncupabantur. Nomine gentilitio uno plerumque utebantur antiqui; sed plura quoque poterant adhibere, tuncque proprium & germanum eorum nomen esse putabatur illud, quod erat loco ultimo recensitum. Filii regulariter gentile nomen genitoris adhibebant. Nihilo minus non etiam desunt exempla duorum fratrum, quorum unus patris, alter matris, utebatur nomine gentilitio; item & filiorum, quibus placebat utriusque parentis nomina præferre. Cognominibus opus erat ad familias distinguendas, eadem ex gente prodeuntes; ac progressu temporis fiebat, ut sæpius cognomina in familiæ nomen gentilitium absolute transirent. Indebantur autem cognomina, vel ab actione aliqua, vel a forma, sive habitudine corporis, vel ab aliis etiam, quæ accidere solebant, rebus, earumque eventibus. Ita *Torquati* a torque, per *Manlium* Gallo cuidam subtracto, *Corvini* a corvo, insidente *Valerii* clypeo, singulari certamine dimicantis, *Orati* ac *Mureni* a piscibus ejusdem nominis, quibus primarii illorum gentiles delectabantur, *Cæsones* a sectione, qua istius generis autor matris jam defunctæ ab utero exemtus fuit, *Agrippæ*, quod pedibus prius ex ventre genitricis emersissent, *Vopisci*, quia ex duobus gemellis alter tantum supervixisset, atque alii

alii aliunde, dicebantur. Quid? quod aliqui sortiti fuerunt cognomen prorsus indecorum, quod ex usu tamen honestabatur. Itidem est attendendum, quod nonnullis etiam insignioribus viris haudquaquam adesset cognomen; ut & fœminæ vel non habebant, vel diminutivum a patre nanciscebantur, vel a matre id ipsum sortiebantur. Filii cognominibus parentum usi fuerunt, iisque modo integris, modo flexis, modo etiam solum æquipollentibus. Servi autem non erant compotes cognominis, nisi post libertatem acceptam, & tunc solebant interdum idem assumere, derivativum a cognomine liberatoris, vel in actu liberationis accepto prænomine ac nomine patroni, proprium nomen, quo utebantur servitute consistente, in cognomen sibi vertebant. Præterea poterant Romani cognomen suum aliis concedere; atque interdum etiam aliqui ex se alienum cognomen adsciscebant; unicum quidem adhibebant, sed & bino ac terno poterant uti; ac denique liberum erat filiis, retinere cognomina ante natorum, vel mutare. Ad agnomen postremo quod attinet, epithetum etiam honoris nuncupatum, illud quidem utplurimum erat nomen a maximis ducibus per res gestas notatu digniores acquisitum. Quodsi agnomen ipsum obtinuissent tempore Dictaturæ, vel Consulatus; eorum nomen statim in fastis consularibus inscribebatur, cum adjectione agnominis, eodem tempore suscepti; sin vero agnomen assecuti fuissent post Consulatum, eorum nomini successive idem titulus adjungebatur in ipsis fastis. Non sine causa hoc ipsum argumentum fusius persecuti sumus, cum, tanquam generalius quidquam, ex plurium lectorum usu fore, arbitremur; sed idem illud nos cogit, ut, in ipsa tractationis arce, non nisi summa capita atque momenta, vel nutu saltem, demonstrare queamus. Primo scilicet inquiritur, undenam originem duxerit familia *Cæsennia*. Deinde agitur de *Lucio Fabricio Cæsennio*, equite Romano & Pontifice; de *Cæsennia Galenes*, uxore *Lucii Fabricii Cæsennii*; de *Cæsennia* Nymphice; de *Lucio Cæsennio Crescente*. Medico;

de *Lucio Cæsennio Galli Herma*, *Cæsennia Etotide*, ac *Aulo Cæsennio Herma*; de *Olo Cæsennio Fortunato*; de *Lucio Cæsennio*, *Lucii* filio; de *Lucio Cæsennio Sospitiano*, ex ordine haruspicum; de *Olo Cæsennio Eugenio Mensore*; de *Cæsennia Eugenia*, uxore *Lucii Mussii Hegesippi*; de *Lucio Cæsennio Telesphoro*; de *Cæsennio Cæsenniano*; de *Hermete Cæsennio*; de *Cæsennio Martino*, conscripto in albo Vigilum; de *Cajo Cæsennio Clemente*; de *Lucio Cæsennio*, *Lucii* liberto; de *Cæsennia* anonyma, & pluribus aliis *Cæsenniis* utriusque sexus; de *Lucio Cæsennio Pæto* Consule, & postea Proconsule Armeniæ; de *Cajo Cæsennio Pæto*, Syrorum præside; de *Publio Cæsennio Crasso*, *Publio Cæsennio Lentone*, ac *Cæsennia*, uxore *Marci Fulcinii*; de *Cæsennia Graphia*, seu *Graphide*; de *Marco Cæsennio*, recenter detecto; de *Publio Cæsennio Grato*. Atque, his omnibus luculenter expositis, in censum tandem veniunt *Cæsennius* & *Cæsennia* Christiani. Præ ceteris autem notatu nobis digna visa fuerunt, quæ de Pontificibus veterum Romanorum *Capiti octavo* immixta leguntur. Pontifices ab initio in Romana republica fuerunt quatuor; deinde auctus est eorum numerus ad octo; postea *Sylla* illorum collegium usque ad quindecim ampliavit. Officium illorum erat, religionem, cerimonias publicas, ac privatas, nec non sacra, & res divinas, tueri, atque interpretari; quibus aris, quibus Diis, quibus hostiis, quibus diebus, & apud quæ templa, sacra fieri deberent; de funeribus item, justisque persolvendis, placandisque Manibus, ac superis, inferisque Diis; de sepulcris, & votis rite exhibendis; de feriis, de pietate, sanctitate, ac cerimoniis Deorum, de fide ac jurejurando, rebusque ad profanam religionem spectantibus, quid, & quantum, agendum esset, decernere. Octo ex Patriciis, & septem ex popularibus, erant, sedebantque simul, ac jus dicebant, quoad res sacras, ita tamen, ut assignata utrisque inessent sua munia exercenda. Qui prior in eodem collegio fuerat cooptatus, Pontificis Maximi titulo dona-

naba-

rabatur. Tanta omnino, tantique ponderis, erat prærogativa hujus officii, ut, postquam *Augustus* Pontificatum Maximum adeptus est, omnes Imperatores illam ipsam sibi dignitatem festinaverint arrogare; donec ejusmodi titulum primus inter illos deposuit *Gratianus*. Non autem solum Romæ, verum etiam in coloniis ac municipiis Romanorum, existebant Pontifices, quorum primus ibidem pariter maximus appellabatur, idemque illud Collegium sex solebat viris componi.

VETERUM ET ILLUSTRIORUM SECULI XVI Poetarum Epigrammata, in usum Scholarum piarum ab admodum Reverendo Patre CAMILLO NICOLIO, Ord. Ejusd. Clr. Regul. selecta, & annotationibus illustrata.

Florentiæ, typis Petri Cajetani Viviani, 1738, 8.
Plag. 15½.

Suam etiam parvis inesse gratiam, brevissima inprimis carmina testantur, quæ propositione constare solent, & applicatione, ingeniosum intra se acumen complectente, quæque, quod statuis præsertim Deorum, atque heroum nonnunquam, inscribi solebant, ἐπιγραφῶν, vel ἐπιγραμμάτων, nomen acceperunt. Commendarunt id genus carminis, & præceptis tradiderunt, præ ceteris *Scaliger*, *Vossius*, *Thomas Correas*, *Franc. Vavassor*, *Jac. Masenius*, *Vincentius Gallus*, *Carolus a S. Antonio*, *Morhofius*, *Jo. Gottl. Meisterus*. Neque pauciores sunt, qui exemplis vel suis comprobarunt, vel aliorum etiam præstantissima Epigrammata collegerunt. Hisce postremis non sine laude se adjunxit Clariss. *Nicolius*, amore ad id ipsum studiosæ juventutis concitatus. *Fabio* nimirum duce, aut optima potius ratione facem præferente, arbitratur, non modo præcipienda esse optima, sed in adolescentum etiam exemplum adducenda, ita quidem, ut teneræ ipsorum mentes non modo, quæ diserta, sed vel magis, quæ honesta

nesta sint, discant, æmulentur. Cum igitur probe nosset, bona esse malis apud Poetas permixta, & optimum etiam *Homerum* subinde dormitare; sapientissimum iniit consilium, gemmas atque margaritas ex Epigrammatum scriptoribus colligendi. Quanquam vero nonnemo, & quidem haud immerito, judicaverit, magis consultum fore discipulis, si doctissimus Autor ex solis fontibus dulcissimum ac purissimum hausisset, & plura potius Poematum genera conjunxisset; placuit ipsi tamen, ad recentiores etiam progredi, & non quidem ex ejusmodi Poetis, ubi videri posset autoritati, vel amicitiæ, nonnihil dedisse, sed ex Seculi decimi sexti Scriptoribus, præstantissima quævis colligere; propterea, quod maximam partem in iis ipsis veræ Latinitatis effigiem deprehendit, ac simul noluit, ut adolescentes cognitione tantorum virorum fraudarentur. Ad institutum istud exequendum, sistuntur nobis hoc ipso libello præcipua Epigrammata *C. Valerii Catulli*, Veronensis, *Virgilii Maronis*, Andibus in agro Mantuano prognati, *Petronii Arbitri*, cujus de patria non satis constat, *Marci Valerii Martialis*, Bilbiliensis, *Decii Ausonii*, Galli Burdigalensis, *C. Claudiani*, Alexandrini ex Ægypto, *L. Annæi Senecæ*, Cordubensis Philosophi, *Albii Tibulli*, equitis Romani, *Domitii Afri*, Nemausiensis, *Palladii Rutilii Tauri*, & ex recentioribus *Jacobi Pontani*, Neapolitani, *Jacobi Sannazarii*, Neapolitani, *Andreæ Naugerii*, Veneti, *Jo. Cottæ*, Veronensis, *M. Ant. Flaminii*, Foro-Corneliensis, ac *Petri Bembi*, Veneti, tandemque simul nonnulla *Anacreontis* Teji, *Philemonis*, atque ex *Anthologia*, subjunguntur. Non indicavit nominatim Autor, quænam potissimum sint Poemata ex uniuscujusque tantorum virorum scriptis excerpta, ita quidem, ut in vulgaribus etiam istiusmodi carminum editionibus, quid optimum judicaverit, perspici statim queat. Operæ ergo pretium existimavimus, Lectoribus id nostris, saltem ad antiquorum primarios quod attinet, indicare. Scilicet ex *Catullo* in hoc libello ordine leguntur Epigrammata: 1,

4, 9, 12, 14, 22, 23, 26, 27, 28, 31, 32, 36, 39, 47, 50, 51, 74, 75, 78, 82, 103, 105, 109, 110, 115, 117, quibus deinde subjiciuntur *13, 40, 41, 43, 45, 85, 94, 102.* Ex *Martiale* collecta reperimus *Spectac. 1, 3, 4, 5, 9, 12, 16, 22, 32; Epigramm. Lib. I Ep. 1, 7, 12, 14, 15, 18, 21, 25, 36, 39, 55, 61, 107; Lib. II Ep. 90, 91; Lib. III Ep. 3, 4, 10, 19; Lib. IV Ep. 8, 10, 11, 18, 19, 25, 29, 32, 35, 59, 64, 66, 73; Lib. V Ep. 10, 13, 42, 52; Lib. VI Ep. 11, 19, 25, 32; Lib. VII Ep. 5, 6, 8, 26, 97, 99; Lib. VIII Ep. 10, 14, 20, 23, 44, 49, 53, 55, 65, 76, 79, 81; Lib. IX Ep. 22, 70, 73; Lib. X Ep. 30, 35, 96, 103; Lib. XI Ep. 5, 6, 53; Lib. XII Ep. 3, 6, 8, 9, 34.* His ibidem subjunguntur *Lib. I Ep. 19, 29, 33, 40, 59, 79, 97, 98, 109; Lib. II Ep. 12, 18, 30, 32, 43, 67, 69; Lib. III Ep. 12, 16; Lib. IV Ep. 72; Lib. V Ep. 24, 29, 34, 56, 58, 83; Lib. VI Ep. 18, 28, 29, 30, 52, 63, 68; Lib. VII Ep. 96; Lib. XI Ep. 14, 19;* & *Lib. XII Ep. 47, 54, 92, 94.* Ex *Ausonio* hoc loco reperiuntur *Epigr. 8, 12, 111, 115; parental. 1, profess. 12, 13, 26; Epitaph. her. 30; Edyl. 20.* Atque ita etiam de reliquis præstantissima quæque, non sine aliorum exemplo, congesta leguntur. Neque tamen diffitemur, non omnino nobis videri omnia isthæc Epigrammata ita esse comparata, ut vel optimo cum successu juventuti queant proponi, vel Epigrammatum nomen paulo strictiori sensu mereantur. Evolvamus saltem *Jacobi Pontani* Epigramma, *n. 5* allatum, ubi nutrix somnum invitat, ut puerum sopiat, quocum deinde sequentia argumento etiam conveniunt. Id quidem haud ideo scriptum esse velimus, quasi in Cl. Autoris diligentia nonnihil vituperemus, cum suus cuique sensus sit, suus pileus. Et, si quid etiam humani passus esset, doctissimis id ipsum annotationibus compensaretur. Quippe quas ita esse comparatas videmus, ut non quidem multijugam lectionem ostentent, at, id quod juventutis usibus mirifice convenit, verbo, quod ajunt, & nutu insignem Epigrammati lucem affundant.

JO. HENRICI A SEELEN, SS. TH. LIC. ET Gymn. Lub. Rect. Miscellanea, quibus Commentationes varii argumenti, sacri, philologici, historici, philosophici, antiquarii, literarii, continentur.

Pars III.

Lubecæ, sumtu Jonæ Schmidii, 1739, 8.
Alph. 1.

Hic etiam sui se simillimum præstat Cel. Autor, cujus copiam eruditionis, quis est, qui nesciat? Ac. si quis etiam nesciret, vel Præfationem hujus *tertiæ Miscellaneorum Partis* legat; reperiet ibi Commentationum Autoris indicem, non ostentandæ eruditionis quodam studio, sed rogatu amicorum, publica luce donatum; reperiet, inquam, tractationum argumenta tam selecta, ut vel ex ungue leonem cognoscere liceat. Sed quid multa? Hujus libri argumenta vel brevissimis consideremus, quantumque ei sit
Pag. 1-15. pretium statuendum, facillime apparebit. Prima Commentatio, quæ primum jam in lucem prodit, Christi scholam, medullas Scripturarum noscentem, proponit, ac *Tertulliani* locum in *Scorpiano adversus Gnosticos pag. 438 Tom. II. Oper.* edit. *Rhenan.* illustrat. Quærit ibi sincerior adhuc cœtus ille divini pater: *Quis medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola?* Atque istis utique verbis falsam istorum hominum, qui singularem sibi γνῶσιν tribuebant, arrogantiam exagitat. Hac data occasione eruditissimus Autor veram hujus hæreseos conditionem describit, veterum Christi cultorum laudatissimum sanctissimarum literarum studium commendat, idem studium seculis barbaris neglectum esse, conqueritur, diligentes divinorum oraculorum scrutatores recenset ac laudat; sacrum Codicem jure quodam suo Bibliothecam posse nuncupari, contendit, ac versus tandem *Waltherianos*, eximium amorem, quo tantus Theologus in hunc ipsum maxime salutarem librum flagravit, manifestantes, subjun-
10-37. git. Secunda Commentatio inscripta est: *Fabularum, historiæ patientis Salvatoris inepte affictarum, & breviter simul*

ſimul excuſſarum, pentas. Sunt autem iſtæ fabulæ de *Chriſti* paſſione, a Sibylla Erythræa prædicta: qua data occaſione hiſtoria Chriſti, ab *Hieronymo Xaverio* conſcripta, dijudicatur, deque Sibyllis varia monentur; de Chriſti ſanguine, variis in locis aſſervato, & humanis oculis recentiori ætate conſpecto: ubi *Jo. Jac. Chiffletius* notatur, ac lites, de ſanguine Chriſti ipſo in Papatu agitatæ, expenduntur; de milite, qui redemtoris latus perfodit, *Longini* nomine inſignito: ubi *Vigerius* & *Xaverius* confutantur; de opera, patienti Salvatori a *Veronica* navata, contra *Adrichomium*, *Xaverium*, *Mallonium*, *Paleotum*, *Chiffletium*, ſtrenuos hujus fictionis defenſores; ac denique de cranio *Adami*, in Golgatha ſepulto: ubi ſimul inquiritur, cur κρανίον, ſive κρανίου τόπος, collis iſte dictus. Pag. 38-50.
Succedit *de probandis & improbandis in Platonis doctrina de republica Diſſertatio.* Reperiuntur in hac ipſa, præter laudes *Platonis*, laudes librorum ejus de republica, antiquitus reportatæ. Sed in his quædam ſaltem probari merentur, quædam vero improbari. Illuc pertinet commendatio juſtitiæ, magiſtratus, religionis, concordiæ civium, atque in civitate univerſa moderaminis ſapientis, temperantis, juſti, fortis; huc vero ſpectant ejectio Poetarum e republica, quæ hoc magis miranda, quod ipſe *Plato* Poeſin calluerit, excuſari tamen poteſt, ſi malos inter atque bonos diſtinxerit; uxorum, liberorum, bonorum communio in rempublicam introducenda: ubi ſi nonnulli arcanum potius ſenſum quæritant, incautius ſaltem κοινωνίας vocabulum adhibitum eſſe videtur; ac demum delineatio reipublicæ omnibus numeris abſolutæ: qua ſimul occaſione perveſtigatur, num fictarum rerumpublicarum autores, qui *Platonem* videntur ſecuti, politice, an moraliter, ſcripſerint. 51-69.
Quarta lucubratio ſiſtit *fortiſſimi Conſulis Romani, Scipionis, nummum aureum rariſſimum*, cujus figura, æri inciſa, libri ſtatim in fronte comparet. Hæſitavit primum Autor, num ad *Scipionem Africanum majorem*, an vero ad *minorem*, ſeu juniorem, hic ſit numus referendus, evolutis autem antiquitatis monumentis, atque omnibus rite

 per-

perpensis, juniori tribuere non dubitat. Vocabatur ille pariter *Æmilianus*, *Numantinus*, & sistitur hoc in numo de Carthagine subacta, ut habet inscriptio, triumphum agens. Ansam id præbet S. Rev. Autori, currum triumphalem describendi. In hoc nimirum, ab equis albis quatuor tracto, triumphator stabat, plerumque

Pag.70-136. solus, & ornatus quidem corona, vel nimbo. Sequitur Elogium *Gœtzianum*, sive Oratio, in laudem *Georgii Henrici Gœtzii* habita. Hujus consummati Theologi vitam in ejusdem funere descripsit, qua ex commentatiuncula præcipua pars in *Biblioth. theol. select. Part. XXX pag. 585* derivata fuit. Sed Programma, quo ad solennem istam Orationem invitavit, legitur in *Miscell. Part. II pag. 1 seq.* Multa vero in ipsa Oratione, quæ nomen ornant *Gœtzianum*, reperiuntur, si potissimum puram illius doctrinam spectes, tam sermonibus sacris, quam plurimis editis scriptis demonstratam. Neque reticetur pietas Beati, atque amor erga sanctiores cantilenas, præsertim *Gerhardinas*; quem etiam ad modum diligentia ejus, antecessores in munere antistitum Lubecensium, successor dignissimus, clari *Gœtzii*, quæque huc pertinent alia,

137-161. celebrantur. Hanc Orationem excipiunt *de conservando maxime necessario stili Latini puri & emendati studio cogitata*; quibus scribendis *Mich. Richey*, Professor Hamburgensium celeberrimus, cui & hæc ipsa *Miscellaneorum Pars* dedicatur, idoneam prorsus dedit occasionem. Improbatur atque expellitur ibi primum servum imitatorum *Ciceronis* pecus; hinc Latinæ linguæ fontes aperiuntur, curque ex istis potissimum hauriendum sit, indicatur; orationis porro perspicuitas commendatur, & obscuræ medii ævi scriptionis suppeditatur ratio; emolumentum, ad Philosophiam e puriori sermone Latino redundans, evolvitur, idemque ille Theologis, Jureconsultis, Medicis, commendatur; an virorum quorundam celebrium autoritas juvet barbariei patronos; numque sanctioris disciplinæ ac Philosophiæ studio elegans scribendi ratio corrumpatur, inquiritur; subsidia, quæ stilo Latino elegantiori addiscendo egregie inserviant, laudantur; neque

tan-

tandem reticetur, veterum Autorum Latinorum lectionem etiam ob comparandam inde antiquitatum notitiam, & cognoscenda priscæ consuetudinis exempla institui sedulo debere. Septimum locum tenet Elogium *Joannis Richey*, Syndici Hamburgensis, ad aulam Imperatorem ablegati, Pag. 162-168.
sed Viennæ die 9 Febr. anni 1738 defuncti, ad mœstissimum patrem, *Michaelem Richey*, tunc temporis missum. Hoc ipso justissimæ doloris causæ indicantur, cum præstantissimus fuerit, idemque unicus, optimi parentis filius; postea, hujus terræ felicitate cum ea, qua cœlestibus in sedibus exhilaratur, comparata, justissima solatii argumenta deducuntur. Adjungitur huic Epistolæ *Sermo, de incrementis,* 169-184.
quæ recentiori ætate cepit studium poeticum. Hujus studii præsertim dignitas adversus contemtores breviter vindicatur, atque augmentum ab illustri Cancellario *Bacone de Verulamio* exoptatum significatur. Hoc votum nunc ex parte completum, probatur exemplis adductis recentissimorum Poëtarum Græcorum, Latinorum, Germanicorum. Succedit *Cenotaphium, Joanni Schevio erectum.* 185-191.
Fuit ille per novem & quadraginta fere annos scholæ patriæ collega, atque adeo Jubilæo proximus; mortuus autem est A. 1737. Ac vel tot annis, quibus juventuti præfuit, meruisse videtur, ut de ejusdem natalibus, curriculo scholastico & academico, officio, conjugio, meritis, morte, nonnihil differeretur. Locum decimum atque undecimum 192-222.
Dissertationes occupant *de providentia circa literas.* Harum altera quidem vocabulum providentiæ, atque illius autoritatem, pervestigat, scholas clancularias & umbraticas rejicit, ac nonnullorum incongruam, ut appellare solet, opinionem, linguas etiam principes non esse partem veræ eruditionis, confutat; altera vero nominatim historiam complectitur: ubi occasio scribendi de historia monstratur, num historia pertineat ad eruditionem; num spernenda sit ideo, quod non bona tantum, sed & mala, proponat; numque sit modo res ingenii, non autem judicii, inquiritur; Pyrrhonismus & Scepticismus historicus commemoratur; de fabularum recentiori etiam ætate patronis agitur; num

studium historicum absolvi queat; numque leviter tractan-
Pag. 221- dum, ac sine fontibus, pervestigatur. Additur deinceps *de*
250. *Diis Deabusque veterum gentium medicis* Exercitatio. Ex-
penditur hic, quid gentibus videatur occasionem dedisse, numina medica fingendi; an gentes omnes Deos ac Deas habuerint pro medicis; num certa numina statui queant medica. Deinde seorsim consideratur *Apollo*, medicinæ inventor creditus; ædes *Apollinis* medici ad Tiberim; Gymnasium, *Apollini* medico ab Atheniensibus consecratum; *Æsculapius*, ob rudem & vulgarem scientiam medicam paulo subtilius cultam in Deorum numerum cooptatus, ac σωτὴρ τελεσφόρος, φιλάνθρωπος, dictus; templa, eidem dedicata; ludi, in ipsius honorem acti; filii; *Podalirio* ac *Machaon*; numi, in ejus memoriam cusi; *Hygea*, medicorum Dea, in inscriptionibus & numis cum *Æsculapio* conjuncta; *Salus*, quæ alias Valetudo dicebatur; *Panacea*, *Æsculapii* filia; numina *Aceso*, *Jaso*, *Ægle*, ac *Roma*; Dea *Valentia*; *Minerva*, cognominata *Hygea*, nec non *Valentia*; ac tandem unus Christianorum Deus medicus Salvator. Deci-
251-262. mum tertium locum occupat Ἐπιτάφιος; *Christiano Alber-*
to Niemanno scriptus; penultimum *Festum scholasticum*
263-279. *Gregorianum, in Gymnasio Lubecensi solenni sermone cele-*
bratum; atque ultimum demum *Memorabilium Bremensi-*
280-312. *um Specimen tertium, sive Memorabilia quædam Buxte-*
hudensia, Schediasmate historico recensita. Quibus omnibus ex Commentationibus varia Cel. Autoris doctrina elucet.

NOTITIA EGREGII CODICIS GRÆCI NOVI Testamenti manuscripti, quem Noribergæ servat Vir illustris HIERONYMUS GUILIELMUS EBNER ab ESCHENBACH, reliqua; recensente M. CONRADO SCHOENLEBEN, Gymnasii patrii Conrectore.

Noribergæ, typis hæredum Felseckerianorum, 1738, 4. Plag. 5½.

Quemadmodum nihil erudito viro indignius est, quam avara manu scriptorum Codicum asservatio; ita contra egregium literis officium præstant, qui membranaceos ejusmodi

modi thesauros liberaliter communicant, inque communem studiorum usum convertunt. Hujus olim sententiæ fuit, pretiosissimarum membranarum, quarum hic descriptio exhibetur, illustris possessor, nuper autem magno literarum & literis operam navantium dolore ex hac vita egressus. Ex Oriente Codex iste vetustus allatus est, quæque ibi notatu digna occurrunt, propria Viri Celeberrimi manu consignata, Cl. *Schœnlebenio*, qui stilum deinde commodavit, tradita fuerunt. Ipsa vero delineatio ita quidem absolvitur, ut primum ea, quæ externum habitum & cultum respiciunt, quæque a recentiori manu adjecta sunt, exponantur; tum, ut interior Codicis forma & imago sistatur; ac denique, ut, qua ratione hujus Codicis præstantia in publicos usus transferri queat, meditationes subjiciantur. Codex totus constat quadringentis viginti & quinque foliis membranaceis, quorum paucissimæ paginæ nudæ & inanes apparent. Decem & quatuor folia priora, quæ postliminio accesserunt, crassiori, &, si spectes latitudinem, minori, reliqua omnia puriori & subtiliori, inscripta sunt membranæ. Continentur autem his 14 foliis 1) Τυπικον, seu institutio, quo ordine quatuor Evangelia quotannis prælegenda sint, sub titulo: Δηλωσις, διαλαμβανουσα, την των Ευαγγελιων αναγνωσιν, και των Ευαγγελιστων διαδοχην, ποθεν αρχονται και που καταλεγουσιν. 2) Alius Evangeliorum index paulo accuratior, Δηλωσις ακριβης των καθ' εκαστην ημεραν αναγινωσκομενων Αποστολο Ευαγγελιων αρχομενη απο της μεγαλης κυριακης του αγιου πασχα. 3) Alius ejusdem generis index, lectiones continens, tempore jejunii quadragesimalis, & singulis feriis sextis, recitandas. 4) Οσιακα, id est, lectiones, festis diebus, memoriæ Sanctorum, Martyrum, & Confessorum utriusque sexus, dicatis, usitatæ. Sub finem hujus Menologii collectoris nomen indicatur, *Joasaph*, & annus Christi 1291. *Joasaphus* ille est, qui Codicem illum, in privatos usus conscriptum, ad usum, monasterii Constantinopolitani οδηγων sacrum & publicum accommodavit, ob eamque causam rubro vilioris generis liquore adjecit divisionem Capitum, ex indicio prævii Synaxarii. *Matthæo* nimirum tribuuntur *Capita CXV*, *Marco LXXI*, *Lucæ CXIV*, *Joanni LXVII*,

Actis

Actis Apostolicis LI, *Epistolæ Jacobi* VII, *priori Ep. Petri* VII, *posteriori* V, *primæ Joannis* VIII, *secundæ* I, *& tertiæ* II, *Ep. Pauli ad Romanos* XLV, *priori ad Corinthios* XLVII, *posteriori* XXXI, *Ep. ad Galatas* XVII, *Ep. ad Ephesios* XXI, *ad Philippenses* XIV, *ad Colossenses* XIII, *priori ad Thessal.* XII, *posteriori* V, *priori ad Timotheum* XIV, *posteriori* X, *ad Titum* V, *ad Philemonem* I, *ad Hebræos* XXXVIII, *Judæ Epistola* ob brevitatem *Capitibus* caret. Præterea etiam alia quædam *Ioasaphus* ille præstitit merita. Inter internas ipsius hujus Codicis dotes commendari merentur integritas, sola nimirum *Apocalypsis* deest; scripturæ venustas ac elegantia, accuratio & perspicuitas, ac pretiosus tandem ornatus, ubi, præter alias figuras, sacri præsertim scriptores, nitidissime pariter atque accuratissime, depinguntur. Singulatim autem, in antiquiore isto Codice, reperiuntur ab initio statim index lectionum Evangelicarum singulis diebus sex hebdomadum, quæ inter festum Paschatos & Pentecostes intercedunt, usitatarum; Συναξαριον των Ευαγγελιων απο του πασχα μεχρι Ν (i. e. Νιστειαν); Evangelia XI matutina, τα Ια εωθινα; & aliæ lectiones sacræ. *Acta Apostolorum* antecedunt; index lectionum ex *Actis*, a festo Paschatos usque ad festum Pentecostes, per singulos dies absolvendarum; Συναξαριον συν θεω πραγματων των Αποστολων απο του πασχα μεχρι Ν; lectiones numero XXXII epistolicæ, & quæ sunt reliqua; inter quæ præsertim Menologium, longe recentiori, jam commemorato, brevius, notatu se dignum exhibet. Sequitur deinde etiam υποθεσις κανονων της των Ευαγγελιστων Συμφωνιας, novem paginas implens. Ordo vero librorum sacrorum idem est, quem in capitibus, antea indicatis, observavimus. Claudit denique librum Symbolum Nicænum, aureis literis exaratum, το θειον συμβολον της ορθοδοξου πιστεως εκτεθεν παρα των εν Νικαια αγια συνοδω αγιων πατερων. Utilitatem ejusmodi Codicis ac recensionis in iis potissimum collocat Cl. Editor, quod novæ literarum Græcarum formæ, & abbreviationum notæ, in *Montfauconii* opere omissæ, hinc locupletari facile queant; quod pronuntiandi ratio vel ex erroribus pictorum colligatur, totque simul figuræ vestium & rerum antiquarum imagines compareant; quod porro expediat forte, Codicem istum in forma quadra, typis hodie usitatis, exscribendum dari, ita vero, ut versus versui, linea lineis, & paginæ paginis, respondeant, *Capitum* quoque & Canonum numero adjecto; & quæ sunt alia, indidem nascentia, emolumenta. Vel enim ex istis luculenter satis apparet, haudquaquam operam lusisse doctissimum Correctorem; atque etiam longe maximo plausu, nec sine eximia veneratione, suspiciendam esse illustris Possessoris, qui tot jam sibi nominibus literatum orbem devinxit, demonstratam hic publice in literas propensionem.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio IX.

BIBLIOTHECA HISTORICO-SACRA, OR an Historical Library &c.

hoc eſt,

HISTORICA BIBLIOTHECA PRÆCIpuarum rerum, ad religionem antiquam & hodiernam pertinentium, paganam ſcilicet, Judaicam, Chriſtianam, & Mohammedanam; ſub ſequentibus Capitibus: Objecta religioſæ adorationis; divinitates & idola; perſonæ religioni dicatæ; ſacerdotes & religioſi ordines; tempora & loca religioſæ adorationis; jejunia, feſta, templa, eccleſiæ, & fana; ſacri libri & ſcripta; ſectæ, hæreſes, & opiniones; ritus, cerimoniæ, habitus, & utenſilia, & alia miſcellanea ſubjecta. Omnia ex optimis Autoribus compoſita, atque ordine alphabeti digeſta in duo Volumina, a THOMA BROUSHTON, M. A. Lectore in templi eccleſia.

Volumen I.

Londini, typis R. Reily, 1737, fol.

Alph. 6 plag. 14.

Fusius inscriptionem hanc satis amplam Præfatio illustrat; scilicet religionis vocem vult latissime intelligi, ut & falsum Deorum cultum complectatur. Quantum temporis spatium religio antiqua sibi vindicet, recte definiri non poterat, vulgari notione approbata. Neque exspectaveris, argumentum tantæ ubertatis in *duo Volumina* cogi posse. Fieri enim non potuit, quin multi articuli fuerint vel plane prætermissi, vel leviter tractati; hinc in margine optima fide Autor fontes monstravit, quos adeant, qui ultra sapere cupiunt. Non sine ratione ordinem alphabeti elegit, quamvis non ignoraret ejus incommoda. His igitur ut remedium afferret, tabulas, quæ singulos articulos sub capita sua, in titulo designata, vocant, operi præmisit. Si quis ergo unum argumentum, non interrupto ordine, cognoscere malit; ex tabularum præscripto librum legat, necesse est. *Primum* hoc *Volumen* litera I terminatur, brevi accedente omissorum appendice. Dubium non est, quin liber permultis utilitatem præstiturus sit, quibus rem subtilius rimari non licet. Articuli quidam, Græcos & Latinos respicientes, ideo latius patent, quod ipsa argumentorum probantium verba protulit, eaque Anglice reddidit, Autor. Ex scriptoribus recentioribus optimos quosque duces sibi constituit, ut *Herbelotum, Binghamum, Caveum,* Anglosque alios, & itineraria fide digniora. Rectiorem ut operis hujus ideam capiamus, brevissimis enarrabimus, quæ sub voce *Dei* Autor doceat. Præmissa definitione, variæ Dei appellationes indicantur. Verus Dei cultus a solis Iudæis custodiebatur; quanquam eorum magistri multa Deo indigna comminiscerentur. Exempli loco est fabula de *Cæsare*, Deum videre cupiente, in *Basnag. Hist. Jud. Lib. IV Cap. 2.* Ethnici sagaciores non nisi unicum Numen divinum agnoverant, veluti *Pythagoras*, cujus mentem *Virgil. Æn. VI v. 724* expressisse videtur, *Plato*, *Seneca*, alii. Inter Christianos disceptatur: an tres personæ sint in unitate. De natura & attributis Dei eleganter scripsit *Isaacus Newtonus*

tonus in *Philos. nat. princip. math.* cujus verba afferuntur. Deorum falsorum immensus numerus habetur. *Clemens Alexandrinus* eos in septem classes distribuit. Aptissime dici possunt vel animales, vel naturales. Horum princeps est sol, illi fuerunt homines, &, si recte conjicitur, Patriarchæ, a posteris sub variis nominibus adorati. *Jamblichus* octo Deorum ordines statuit. In *Ciceronis Quæst. Tuscul.* mentio fit Deorum majorum gentium, & minorum; majores vocabantur etiam consentes & electi. Alia ratione censentur esse vel cœlestes, vel terrestres, vel inferni. Item alii quibusdam hominum generibus, alii actionibus singularibus, virtutibus, &c. præficiebantur. Philosophi Deorum genealogiæ sensum allegoricum, eumque probum, tribuerunt. Cultui divino in Legibus XII Tabb. providebatur, quarum sanctiones ex *Ciceronis de Legibus Lib. II* producuntur. Attexitur denique catalogus Deorum inferiorum, sive heroum, apud Græcos, Ramanos, Persas, Arabes, quammaxime celebratorum.

DISSERTATIONS SUR L'HISTOIRE ECclesiastique & civile de Paris.

Hoc est,

DISSERTATIONES, QUIBUS HISTORIA ECclesiastica & civilis Lutetiæ Parisiorum, & totius regni Galliæ, illustratur; per Abbatem LEBEUF, Canonicum & Sub-Cantorem Ecclesiæ Altissiodorensis.

Parisiis, 1739, 12.

Plag. 22½, cum Tab. æn. 1.

Pergit Cl. Autor, cujus de cantu ecclesiastico, de statu scientiarum in Gallia sub *Carolo M.*, observationes, aliaque plura, exstant, de patria historia bene & præclare mereri. In hoc opere id sibi inprimis negotii datum putavit, ut reconditis, & ipsa vetustate obscuris, scriptorum monumentis lucem adderet, qua partim

sua culpa, partim negligentia hominum, destituta huc usque fuerant.
Pag. 1. *Dissertatio prima* de vico Catolocensi, cujus Acta S. *Genovevæ* mentionem faciunt, agit. Acta S. *Dionysii* ante *Dagobertum* exarata esse, perperam nonnulli ex eo conjecerunt, quod ædis, in honorem Sancti exstructæ, omisso Regis nomine, meminerunt. Constat enim *Fredegarii* testimonio, eam tantum vasis quibusdam pretiosis ornatam esse, &, quæ Monachus S. *Dionysii* de translato Sancti corpore adducit, fabulam olent. *Dionysio* & sociis capite plexis, projicienda in Sequanam fluvium corpora, ne honor ipsis ullus a Christianis haberetur, gentilis fœminæ dolo, in villa, quæ ab urbe Lutetia sexto lapide distabat, sepulta sunt: tumulo postea monumentum additum. Locum illum vicum Catolocensem appellatum, & templum in memoriam Sanctorum ibi exstructum esse, testantur S. *Genovevæ* acta; fœminæ, quæ sancta corpora servavit, nomen, *Catulla*, ab *Hilduino* ex ipsius vici appellatione confictum videtur. De vita ejus dissentiunt scriptores. Alii ad sextum, alii ad secundum, ab urbe lapidem eum constituunt: quorum opiniones sub examen vocat Cl. Autor, notato *Valesii* errore, qui in disceptatione de antiquis basilicis, templum D. *Laurentii* eo loco fingit, ubi nullum unquam exstitit. Obiter originem nominis portæ Baudojensis *(de la porte Baudoye)* a voce Celtica *Baud*, seu *Bald*, quæ Martem significat, repetit, &, *Campum Martium*, *Ammiano* memoratum, ibi situm fuisse, ostendens, varia, de muris & turribus Parisiorum, *Gregorii Turonensis* & *Abbonis* loca illustrat.

40. In secunda *Dissertatione* acta S. *Dionysii*, a *Bosqueto* edita, Seculo octavo ex variis laciniis consarcinata esse, contra vulgarem opinionem probat. Tempore, quo *Carolus M.* regnare cœpit, ab Abbate, aut monacho, quodam S. *Dionysii* scripta videntur, qui, dum Sanctum illum *peculiarem patronum* appellat, ætatem prodit. Totum fere opus, ab Autore, ut tum erant tempora, admodum imperito, ex vitis Sanctorum, antiquis missalibus & liturgiis, nullo ordine,

dine, aut judicio, adhibito, compilatum, multis erroribus scatet. Unde simul, quam fidem mereatur Autor, apparet, dum, a *Clemente* Pontifice S. *Dionysium* in Galliam missum esse, ait: licet, ex alia Legenda hæc desumta esse, suspicari aliquis possit, cum ejusmodi furtorum exempla non infrequentia sint: & *Mabillonii* Diploma, quod anno 323 datum creditur, & ejus missionis meminit, non careat manifesta fraudis suspicione. Indicat Cl. Autor loca, ab *Hilduino*, qui, *Ludovici Pii* jussu, vitam S. *Dionysii* ex pluteis ecclesiæ Parisiensis eruit, e ritualibus libris compilata, cujus narrationem, a *Gregorio Turonensi* passim discrepantem, monachus, qui A. 880 de S. *Dionysii* vita & miraculis commentatus est, modeste notat, neque *Mabillonii* autoritate, ut credulo *Hilduino*, missionem S. *Dionysii* in Galliam adstruenti, fidem habeat, movetur. Ecclesiam B. Virginis Parisiensem, sunt, qui *Caroli M.* exstructam ætate putant, quorum favere opinioni statuæ antiquæ, in porticu sub turre meridionali locatæ, videntur. Sed *Montfauconius*, eas de vetere templo petitas esse, ostendit: ipsam autem sub *Ludovico Juniore* a *Mauritio de Sylly* conditam, & structuræ genus, & hujus epitaphium, confirmat. Hac occasione Cl. Autor cultri, manubrio eburneo ornati, cui nomina locorum, cathedrali ecclesiæ a *Guidone*, *Ludovico Crasso* regnante, donatorum, inscripta, meminit: quem ritum *Cangius* in *Glossario* voc. *Investitura* pluribus exponit. Alia donationis formula ibidem in ligneo baculo exstat, qua *Ebrardus* & *Hubertus de Spedona villa*, Servi B. *Mariæ* Parisiensis, bona parentum suorum *Fulconi* Decano, ure manus mortuæ ad ecclesiam illam pertinentia, tradunt. Ejusmodi servos per tonsuram capillorum, a singulis Clericis factam, manumittere, mos erat. Inter thesauros cathedralis ecclesiæ Parisiensis lamina quoque argentea asservatur, qua Rex *Ludovicus VII* Canonicis temporalem, quam vocant, jurisdictionem in terras suas confirmavit. Corpus S. *Marcelli*, Episcopi Parisiensis, diu ante *Philippum* *Augu-*

Pag. 75. (beside "movetur. Ecclesiam B. Virginis…") — 103. (beside "cant, jurisdictionem…")

Augustum in cathedralem Parisiensem translatum est, &, qui contrarium statuunt, incerto rumore nituntur. Neque Anglorum, qui tam infesta Franciæ signa inferebant, metu Canonici S. *Marcelli* corpus transtulisse videntur, cum, *Philippum* prospere rem gessisse, scriptorum testimonio compertum sit. Antiquum Pontificale Parisiensis ecclesiæ, jam circa Seculi X finem festum translationis S. *Marcelli* celebratum esse, testatur, cui Autor vitæ S. *Genovevæ* consentit. *Fredegardus* quoque autor est, homines, ignis plaga percussos, loca sancta, & maxime cathedrale templum, levandi mali causa, adiisse, procul dubio, quod maxima ejus celebritas ob Sancti sepulcrum esset. Anglorum autem irruptione facta, cum aliis ad loca tutissima deportatum fuit.

Pag. 140. Antiquum ædificium Montemartyrum (*Montmartre*), A. 1737 detectum, non templum, quod nonnullis placet, sed balneum, fuisse, reliquiæ ejus ostendunt, Ejusmodi balnea Romani in suburbiis habebant, & eum morem in Gallia quoque, *Sidonio* teste, servarunt. Meminit ille Avitaci, cujus villæ descriptio cum Clingencurtii, quod idem est, ac Clinentii curtis, situ convenit. *Frodoardus*, balnea Montis Martyrum A. 944 vehemente tempestate diruta esse, ait: qua occasione Cl. Autor de balneis Clericorum nonnulla addit. Populos Dia-

163. blintes, quorum apud *Cæsarem* mentio occurrit, circa urbes Cenomanum (*Mans*), Abrinum (*Avranches*), &, quæ in S. *Bertrandi* actis nominantur, Tridentem (*Trans*), Marciliacum villam (*Marcille la ville*), & Coladunum (*Chalon*), habitasse, ostendit. Antiqua urbs Diablentes, hodie *Le burg Itableins*, quasi secunda erat Cenomanensium Episcoporum sedes, quod Romana superstitio mature abolita fuerat. Romanos autem sedes in iis locis habuisse, veteris muri & balneorum reliquiæ, tum numi aurei & argentei Imperatorum, a *Cæsare* ad *Constantinum*, ibi reperti, testantur. Præcipua urbs Diablentum, secundum *Ptolemæum*. Nojodunum fuit: & videtur Romanus dominus S. *Juliano*, Cenomanensium Apostolo, vicum Diablen-

ticum

ticum concessisse, unde processu temporis viri illustres sanctitate, & in his S. *Scivardus*, orti sunt. S. *Richimerus* & S. *Rigomerus* Cenomanensis, licet aliter visum sit eruditis, diversi habentur, quippe alter sub S. *Innocentio I* ætate suppar, alter sub *Agliberto*, Cenomanensi Episcopo, hoc est, circa Seculi VI finem, inclaruit. In vita illius, quam ex MSto Cl. Autor huic Dissertationi subjecit, templum antiquum, Mori Fanum, & Palatiolum, hodie *Palaiseau*, prope Lutetiam, quod jam *Childeberti I* conditum ætate fuit, memorantur. Sequitur observatio de sepulcris veterum, in qua principum barbarorum tumuli in Picardia, Lemovicensi & Leodiensi Ducatu, describuntur. Perperam *Sidonii Apollinaris* locum (*Lib. III Ep. 12*) *Sponius* exposuit, qui de coemiterio loquitur, ubi tumulus avi, cui versus quosdam inscribi vult, nequaquam præ ceteris eminebat. Colliculos hos in memoriam sanciti fœderis, vel ad constituendos regni terminos, congestos esse, alii existimant. Ejusmodi tumulus, Dunioni *(Dognon)* in Lemovicensibus, detectus, arcas lapideas, cineris plenas, teste *Sponio*, continebat: qua occasione Cl. Autor de formula *sub ascia dedicandi*, in monumentis Gallorum sepulcralibus, nonnulla monet. Putat, his verbis indicari, eum, qui sepulcro locum vivus delegerat, arcam, cui tum sua, tum familiæ, urnæ immittendæ erant, ascia illa, solenni ritu, percussisse. Confirmat hanc sententiam foramen, quod in loculis ex petra dura passim exstat, diversitas autem formæ hujus asciæ, suffecisse acutum instrumentum ad peragendam dedicationem, indicat: quanquam his conjecturis nullus veterum scriptorum locus faveat. Porro in solis veterum Gallorum lapidibus disertis verbis ritus ille indicatur: contra ea in Italicis & Moguntinis ascia insculpta cernitur. In sepulcro antiquo, Antomaduni (*à Langres*) A. 1678 reperto, fœminæ manus non protensæ, sed decussatim positæ, erant. Monumenta Vocladensia procul dubio Christiana sunt. Pedes enim versus orientem sepulti dirigunt, quod constanter olim in ecele-

Pag. 219.

ecclesia observatum est, adeo, ut Chronicon S. *Dionysii*, *Carolum Martellum*, ob violata ecclesiæ bona, pedibus ad occidentem, dicat, repositum esse. Errat Autor, qui monumenta hæc Dissertatione illustravit, dum sepulcra, quibus integra corpora, non urnæ cineris ossiumque plenæ, continentur, Christianorum putat: *Antomadurii* enim inventa gentilium esse, negari nequit, cum & Diis Manibus dicata sint, & *Gregorius Turonensis* affirmet, Gallo-Romanos, Francis subjectos, capulis, vel ex lapide, vel ex arboris truncis, excisis, quos *nossa* lex Salica vocat, usos esse. Neque ex numis, qui in sandapilis reperiuntur, de tempore, quo mortuus terræ mandatus est, ferri judicium potest. *Paulus* enim *Petavius* numos *Neronis* & *Magnentii*, cum sceletis longe recentioribus, aliquando erutos esse, affirmat. Eos ori defuncti imponere, mos erat, a *Charontis* naulio ortus, & in ecclesiam invectus: aquam etiam benedictam, thuribulum cum prunis, & crucem, apponebant, ut, Christianum ibi requiescere, constaret. In transitu Cl. Autor de sepultura S. *Crescentiæ*, quam in
Pag.304 vico Parisiensi esse, *Gregorius Turonensis* scribit, erudite disquirit. Quas de sepulcris veterum observationes, specimen Dissertationis de situ campi Vocladensis, prælio inter *Clodoveum*, Francorum, & *Alaricum*, Gothorum Regem, nobilis, excipit. R. P. *Roath*, nec urbem *Civaux*, quod visum est nonnullis, nec Valliacum in Pictavis, locum pugnæ esse, ostendit. *Gregorius* enim *Turonensis* decimo ab urbe Pictavis lapide prælium, dicit, commissum esse, e cujus, milliaria computandi, ratione apparet, tres leucas Gallicas, & novem *Gregorii* milliaria, æqualia esse, urbem *Civaux* vero non esse pugnæ locum. Optime *Nic. Sansonius* Vocladum ultra Clanum fluvium *(Clain)* statuit, adeo, ut fugientes hostes victor *Clodoveus* usque ad Campaniam S. *Hilarii* prosecutus sit. Convenit hoc cum *Gregorii*, *Fredegarii*, & vitæ S. *Maxentii*, testimoniis, & forte Campania S. *Hilarii* a campo Vocladensi, in cujus extremis sita est, nomen ducit: cognomen autem,

tem, non quod ab Abbatia S. *Hilarii* Pictavienſi dependeat, ſed quod *Hilarii* precibus partam de Gothis victoriam *Clodoveus* tribuerit. Locum conflictus *Hincmarus* & Vita S. *Remigii* campum Mogotenſem vocant. Autoris conjecturas Anonymi cujusdam obſervatio illuſtrat, ubi ſimul de loco pugnæ Pictavienſis inter *Joannem*, Angliæ Regem, & Francos, quam Scriptores in campo *Maupertuis*, Autor prope mœnia *de la Chaboiſſiere* commiſſam ait, copioſe agitur.

Alia exercitatio geographica quædam *Fredegarii* loca exponit. *Theodericus*, *Brunehildis* nepos, fratri *Theodeberto* urbes, inter Sequanam, Oeſiam, & Oceanum, ſitas, ſibi, quæ Ligerim & Sequanam fluvios attingunt, *Clotarium* cedere coegerat. *Bertholdus*, Major domus, eas regiones, ut, quid Principi quotannis ex iis rediret, cognoſceret, itinere peragravit. Cui, cum venationem exerceret, idque nuntiatum eſſet *Clotario*, ij ſe ex improviſo cum exercitu ſupervenit, & partem urbium inter Ligerim & Sequanam denuo occupans, ipſum fugam capere coegit. Locus, ubi res geſta eſt, hodie *Mont Arlot* ad fluvium Ravane vocatur. In *Fredegario*, a *Ruinarto* edito, nonnulla parum accurate exſtant; ut cum de Rege *Theoderico*, Stampas, ait, ſuper fluvium Loam cum exercitu pervenit, corrigitur; per fluvium Loa, quæ *Aimoino*, fluvium Stampas alluentem, Junnam vocanti, fides conſtaret. Continuator *Fredegarii* locum, ubi *Bodelon*, Francus, *Childericum* Regem interfecit, Lauchoniam Sylvam vocat, de qua Francicarum rerum Scriptores varie diſſentiunt. Cl. Autor Leaconaum, cujus Vita S. *Valerii* meminit, in provincia *Vinceu* aliquando conſtituit. *Ebroinus*, cum ſub *Childerici* ſucceſſore denuo Major domus fieri cuperet, per omnem Auſtraſiam *Theoderici* mortem divulgabat, Pariſios magno exercitu petebat. Regem interea, Autor Vitæ S. *Leodegarii*, in Novigento villa latuiſſe, dicit, quam P. *Daniel* S. Cloud eſſe conjicit: Autor contra in ulterioribus Neuſtriæ trans flumen Oeſiam ſitam

Pag. 338.

tam fuisse ostendit: Leuchoniam vero Sylvam inter Parisios & Rhotomagum locat. Lusania, cujus in Gestis Francorum mentio exstat, non est Lifou, prope Joanvillam, ut Autori visum aliquando fuit, sed Lafou, supra regni Austrasiæ & Suessionensis limites, dimidia leuca a Charignone.

Pag. 370. In Supplemento Dissertationis de statu scientiarum sub *Carolo M.* probatur *Oudini* sententia, nugari *Leonem Ostiensem*, dum *Paulum Warnefridum* a *Carolo* in exilium pulsum scribit, quod Longobardorum Regem coluisset, cum *Sigebertus*, arcessitum ipsum a *Carolo*, ut scientiarum in Gallia incrementa promoveret, affirmet. *Petrus de Pisa*, Grammaticus, cujus etiam *Eginhardus* meminit, ipsum ob linguarum peritiam, & præclaras ingenii dotes, carmine celebrat, quod cum *Warnefridi* responsione, aliisque ejus generis, Cl. Autor imprimendum curavit. *Warnefridum* Diaconum Aquilejensem, & *Desiderii* Regis Cancellarium, fuisse, *Oudinus* negat, sed eum, cum ad Montem Cassinum secessisset, Diaconum factum esse, *Theodemari* Abbatis epistola ostendit. Ex *Caroli M.* literis ad *Lullum*, Archiepiscopum Moguntinum, quo ardore Princeps obviam iverit dominanti barbariæ, apparet, dum eum, ut bonis literis imbueret, quorum animæ curæ suæ concessæ sint, hortatur. Aliud carmen, quo facies eruditionis ea ætate declaratur, *Alcuino* Autor tribuit. *Paulinum* in Austrasia circa Argentoratum natum esse, ex amicitia cum *Erico* Argentoratensi, Fori Julii duce, de quo variæ observationes afferuntur, probari posse videtur.

432. Examen criticum Annalium S. *Bertini* agmen harum Dissertationum claudit. Quartam earum partem, quæ res anni 836 ad annum 861 complectitur, Theologo cuidam deberi, Autor conjicit, quod, ut alia omittamus, dum prælia memorat, omnem eorum eventum *cælestibus auxiliis* tribuat. Nomina regionum & urbium, ex *Cæsare* & *Antonini* Itinerario petita sunt, quæ e contrario ultimæ partis Autor misere detorquet. Eum in Gallia vixisse, frequens usus pronominis *noster*, dum de rebus Fran-

Francorum commentatur, ostendit. Passim eclipses solis, lucis borealis & cometarum apparitiones, attingit, quæ semper quintæ partis Autor omittens, Concilia potius & res ecclesiasticas describit, vocesque, postea in JCtorum scholas introductas, usque ad nauseam profert. Quartæ partis Autorem *Prudentium*, Episcopum Trecensem, esse, quem *Hincmarus* Rhemensis gesta Regum Francorum literis mandasse ait, vix dubitare licet, cum verba, inde adducta, in his Annalibus legantur, & in *Godescbalci* scripta ipse graviter invehatur. Probat Autor, eum non procul ab urbe Altissiodoro commoratum esse, quintæ autem partis scriptorem, Episcopum, cujus in Gallia Belgica sedes fuit, ex locis nonnullis conjicit, eamque *Hincmaro* Rhemensi, ob contentiosam qualitatem, quæ passim ibi se prrodit, tribuere, nullus dubitat.

T. H. VAN DEN HONERT, THEOL. DOCT. ejusdemque Facultatis, ut & Antiquitatis Ebr. P. O. Dissertationes historicæ, I de creatione mundi, II de situ Edenis & horti, III de lingua primæva, atque inde natis variis ac multiplicibus dialectis. Addita est Dissertatio inauguralis de necessaria ad recte interpretandam Scripturam Sacram antiquitatum Hebraicarum conditione.

Lugduni Batav. apud Abrahamum Kallewier, 1738, 8.

Plag. 20, cum Mappa Geographica, Edenis situm ac Noachidarum sedes exhibente.

Cl. *Honertius*, Vir munere, doctrina, ætate, venerandus, cujus nomen ob elucubratissima scripta non in Belgio solum, verum etiam extra illud, satis illustre est, ab A. 1721, quo Academiæ Lugdunensis Proceres ipsum antiquitates Ebraicas præter Theologiam docere jusserunt, Dissertationes aliquas in usum prælectionum Acade-

micarum adornare instituit, quarum præsentem cum orbe erudito communicat fasciculum, reliquas, favente providentia divina, cum tempore daturus. Quas iam exhibet, appellat *historicas*; non ac si omnes historici sint argumenti, sed quod ea, quæ explananda sumsit, *historice* tantum, via plane ac facili, absque multa controversiarum discussione, enarrare constituerat.

Dissertatio I in explicatione creationis, a *Mose Cap. I-II v. 3* descriptæ, occupatur. *Mosen*, ait, non initium duxisse a demonstratione existentiæ Dei, quam satis notam esse posuit Israelitis, quos Ægypto nuper eduxerat.

Pag. 1 - 2. Per nomen אלהים indicari vel maxime relationem Dei ad hominem, fundamentum omnis cultus religiosi, per eundemque Deum triunum intelligendum esse. שָׁמַיִם non esse dualibus numeri, cum plures sint duolibus cœlis *2 Cor. XII, 2.* Ubi dicitur *v. 2,* terram fuisse תֹהוּ וָבֹהוּ; cum Cl. *Melchioris* vertit, materiam terræ fuisse, *inertem & torpidam,* omni potentia, ex se producendi aliquid ad modum causæ secundæ, destitutam, quæque neque se ad aliquid agendum *erigere*, neque *excitare*, potuerit. Hunc vocis תהו sensum esse, demonstrat ex *1 Sam. XII, 21, Ies. XLI, 29, XLV, 19, 20,* בהו *Ier. IV, 23, Ies. XXXIV, 11.*

11 - 15. תהום significare *massam* corpusculorum, vix ac ne vix quidem cohærentium, quæ fundo quasi caret, inde mari frequentius tribuitur *Exod. XV, 5. Job. XXXVIII, 30, Ps. XXXIII, 7, Jon. II, 5.* Quemadmodum autem תהו ובהו refertur ad materiam terrestrem; ita חשך referendum esse ad cœlestem, quæ omni motu fuerit destituta, ac proinde radios emittere non potuerit, *Jer. IV, 23.*

15 - 17. Per lucem *primi* diei intelligendum esse *corpus* aliquod *lucidum*, quod circa massam illam orbicam, in aere hærentem, rotatum fuerit, vel circa quod massa illa circumacta vicissitudinem diei atque noctis effecerit. *Secundo* die spiritus incumbentis operatione partem aquæ in altum fuisse elatam, constrictam in nubibus, partem suo loco in terra remansisse: factum illud esse per רָקִיעַ, *expansum*, *at-*

21 - 26.

mo-

mosphæram telluris, quæ terram undique ambit; quare חוּג *circulus* appelletur *Prov. VIII, 27.* Illud autem ad id comparatum fuisse, ut aquæ in nubibus continerentur, & in terra suo consisterent loco, ex quo ubi manifesta dependentia a prima causa fuerit conspecta, adhiberi verbum עָשָׂה. Verba וַיְהִי כֵן facere, ut secundus dies, quod nonnulli existimant, benedictione divina non careat. *Tertii* diei opus fuit *primo* separatio aquarum, Deo efficacissimo jussu suo motum aquæ imprimente, ut ab orbe terræ se separaret, inque certos alveos se reciperet, quod opus nervose ad nodum circumscribit *Salomo Prov. VIII, 29.* *Secundo* die terræ aridæ jam factæ exornatio, per omne genus herbarum, fruticum, plantarum, atque arborum, quarum singulæ secundum species suas distinctas semen suum haberent, per quod tanquam causæ secundæ speciem suam propagare possent. *Quarto* die produxit luminaria, corpora lucida, radios suos quaquaversus spargentia, eademque in expanso, cœlo stellifero, posuit. Fuerunt illa in signa non *astrologica*, sed *astronomica*. Voce מוֹעֲדִים, designante quatuor anni tempestates, videntur festi dies, futuris temporibus ab Israelitis concelebrandi, indicati. De illis *Mosen* adhibere verbum עָשָׂה, non solum ut indicaret, ita parata esse, ut tanquam causæ secundæ munere suo fungerentur, verum etiam ut hominum stoliditatem, qui hæc cœlestia corpora divino prosequuntur honore, notaret, cum tantum sint opera Dei, in ministerium humanum parata. *Quinto* die facti sunt pisces, non ex aquis, sed Deus producendo eos in aquam immisit, qui reptatu suo reptantem in illis effecerint commotionem, quemadmodum etiam aves infinito voluntatis suæ jussu ita produxerit, ut ex ejus manu quasi in liberum aerem avolaverint. Utrisque autem, ita productis, vim dedit, ut secundum species suas se convertere ac multiplicare possent, qua in re benedictio, ipsis impertita, consistit. *Sextus* dies producta vidit animantia bruta, בְּהֵמָה jumentum, animal cicur, hominis imperio subditum, חַיָּה animal fe-

Pag. 28-37.
37 - 47.
47 - 61.
61 - 72.

 rum,

rum, רמש, quod, per terram reptatu protrahit corpus, quæ,
licet prodierint ex terra, fecit tamen Deus tanquam causa
prima, sine causarum secundarum interventu, quibus ita
productis vires est largitus, ut tanquam causæ secundæ
per generationem species suas propagarent. Conspexit
Pag. 72-77. item productum hominem. אדם *collective* sumi debe-
re, demonstrat, quatenus universum hominum genus in
illo tanquam radice fuit repræsentatum *Act. XVII, 26.*
צלם denotat ipsi ideam Dei; quæ ipsum exhibuerit tum
qua absolute perfectum ac rectissimum, tum qua dominum
moralem, legislatorem & judicem, adeo ut etiam notio-
nem triunius Dei in se deprehenderit. דמות significat
conformitatem moralium actionum cum lege Dei, tan-
quam exemplari, quæ similitudo in Scriptura aliquando
appellatur *gloria* Dei, *Rom. V, 2, 1 Jo. III, 2, Rom. III,*
77 - 85. *23.* Nomen Jehova, tempore *Mosis* notum, de crea-
tione hominis *Gen. II, 7,* adhiberi, quo sic indicaretur,
Jehovam esse creatorem omnium, speciatim hominum,
Jer. X, 10, cum gentes profanæ אלהים Deos alios vene-
rarentur. Hominem, quod ad corpus, formatum quidem
fuisse ex terra, ut habuerit omnes partes, sed adhuc abs-
que motu exstitisse, pulvereumque colorem retulisse, nec for-
masse solum partes exteriores, verum etiam interiores,
quibus motum postea indiderit. Per נשמת חיים desi-
gnari quidem vitam corpoream, ita tamen, ut vita per ex-
cellentiam sic dicta, vita animæ cum conscientia conjun-
cta, *Prov. XX, 27,* comprehendatur, cum pluralis numerus
sæpe superlativi vim habeat. Non autem primum ho-
minem conditum fuisse ἀνδρόγυνον, quin inter formatio-
nem maris ac fœminæ plures res intercesserint. Primis qui-
85 - 99. dem hominibus Deum dominium in animantia concessisse
v. 29, 30, cum hac tamen restrictione, ne illa mactarent,
quoniam sic facile evenire potuerit, ut species aliqua bre-
vi interierit: igitur verba *v. 30* ולכל חיה ita vult verti,
& loco omnium animantium terræ, quale quid cum post
universalem eluvionem metuendum non fuisset, esum ani-
man-

mantium liberum declarasse; *Gen. IX, 2,—4.* Posteaquam Pag.100-105.
ad *Cap I v. 2* de voce מלאכה observaverat, notare eam officium illud, quod cuicunque homini in quovis vitæ genere est impositum, quod Græcis πραξις appellatur *Rom. XII, 4;* hic indicari existimat istiusmodi opus, quod a nulla re creata produci possit, quod Deus ante septimum diem perfecisse diceretur; ב enim, ut alibi, per *ante* vertendum esse. 105-112.
Deum *v. 3 benedixisse diei septimo*, id est, *laudasse*, *felicem* ac *faustum prædicasse*, cum contra *maledicere diei* idem sit ac illum *tristem*, *ærumnosum*, ac *dirum*, *pronuntiare*, *Job. III, 2 seq.;* illo quippe die Deum maxima ac suavissima cum approbatione atque oblectatione omnia opera sua contemplari potuisse. Septimo diei non additur: *& erat mane & erat vespera*, quia illo die Deus non distinctum aliquod opus produxit, sed a creatione 114-116.
novorum generum ac specierum cessavit.

Dissertatione II Autor in describendo situ regionis Edenis & horti paradisiaci occupatur. Docet hic, Edenem, ab amœnitate dictam, habuisse plagam orientalem *Gen. II, 8, IV, 16,* ab austro attigisse Thelassar *2 Reg. XIX, 12,* illam autem a Geographis in Mesopotamia collocari. 123-125.
Fluvium paradisiacum non amplius existere; cum enim ad irrigandum hortum tantum destinatus fuisset, post illius destructionem absorptum, vel arena oppletum, fuisse, illius tamen vestigia in quatuor istis aquarum alveis remansisse. כרת est ipsi *Euphrates*, ortum suum ducens in Armenia; חדקל *Ti-* 125, 126.
gris, pariter fontes suos in Armenia habens, rationem nominis autem reddi non posse, cum primævæ linguæ antediluvianæ momentum nullum supersit; פישון *Phasis*, tum ob affinitatem appellationis, tum quia pariter in ista regione scaturivit, nisi quod aquas suas in *borealem Asiæ partem*, *pontum Euxinum*, devexerit. Probat hoc inde, quia de illo dicatur *v. 11*, alluisse terram Chavilam, quæ *aurifera* fuerit, quoniam veteribus *aquilo* habebatur pro terra, unde aurum afferebatur *Job. XXXVII, 22,* coll. 126-132.
XXXVIII, 1—3, ideoque fabulam de Argonautarum expeditio-

ditione enatam esse. Per Gihonem intelligit *Cyrum*, vel
Araxem, qui aquas suas pariter in *boream*, sed magis o-
rientem versus, deduxerint, tandemque in mare *Caspium*
exoneraverint. Quoniam autem sibi obstare vidit verba
Pag. 132-137. *Mosis, alluisse terram Cusch v. 13*, quæ sita fuerit in *australi*
Asiæ parte, suspicatur, aliquem ex *Nimrodi* filiis, aut
nepotibus, nomine *Cusch*, *borealem* Asiæ partem ex re-
gno paterno occupasse. Ex his illud efficit, regionem E-
den fuisse partem Armeniæ, in qua quatuor illorum flu-
viorum fontes fuerint. In horto hoc eminuisse arborem
vitæ, quæ, uti symbolum vitæ spiritualis exstiterit, ita vi-
tam corpoream confirmaverit, atque ab omni damno ac mor-
bis tutam præstiterit, itemque arborem scientiæ boni &
mali, quæ uti fœdus violantibus spiritualem mortem sit in-
137-140. terminata, sic esu fructus illius *Adamum* sibi ac posterita-
ti suæ contraxisse omne morborum genus ac mortem cor-
poris. Sub finem Dissertationis hujus monet, non sine volu-
ptate se deprehendisse, eruditissimum *Calmetum* in *Dictiona-*
rio suo *biblico* ab hac sua de Paradiso sententia parum disce-
140-142. dere, cujus doctrinam, accuratum in pluribus judicium,
ac modestiam, dilaudat.

Dissertatio III agit de *lingua primæva*, quam *Ada-*
mum ab ipso Deo accepisse affirmat Autor, quæ vero in varias
145-147. dialectos abierit, ubi *Adami* filii diversas familias consti-
tuerint. Rationem hanc allegat, quoniam in terris, quas
occupaverint, novas res invenerint, aliis carere debue-
rint, unde necessario lingua primæva *Adamica*
mutationem aliquam fuerit passa. Cum autem omne ge-
nus humanum in *Cainitas* & *Sethitas* fuerit divisum; in
duas primarias dialectos fusam esse, & illam *Sethitarum* ad
Noachum propagatam fuisse, quæ post aquarum eluviem
147-150. in *Semæam, Chamæam, Japhetæam*, degenerarit. *Japhe-*
ti posteros occupasse *Asiæ partem borealiorem*, itemque
minorem, Europam ac insulas maris. Ex *Javane* ortum
traxisse Iones, ex quibus Phryges & Lydi dialectis suis
distincti fuerint, cum tempore auditas fuisse dialectos
Ionicam. *Æolicam*, *Doricam*, *Lycaonicam*, quod ipsum
dicen-

dicendum de insulanis, quique in reliquas Europæ partes penetrarint *Gen. X, 5.* Idem affirmandum de *Magogo*, *Madai*, & *Meschech*, qui in partes Asiæ borealioris secesserint. Chamitas vindicasse sibi Asiæ partem *australem*, Pag. 150-153.
pariterque sese diffudisse per Africam, inter quos præcipuæ dialecti viguerint, *Cuschitica*, *Mizraimitica*, (quæ cum tempore pepererit *Copticam*, *Æthiopicam*, nec minus Afrorum.) porro *Canaanæa*, ac antiqua *Phœnicia*, quæ mater *Punicæ* exstiterit. Fuisse autem gentes illas dialectis suis inter se distinctas, probat ex *Gen. X, 20.*
Verba *Gen. X, 21*, כל בני עבר, non vult explicari per *omnes filios Eberi*, sed potius per *filios ripæ*, sive *riparios*, qui ad utramque ripam habitaverint, *Deut. I, 1*, coll. *Jos. I, 14, 15*, *XXIV*, 2, cum filii *Semi* non solum coluerint Mesopotamiam, verum etiam ad ripam orientalem Euphratis, & occidentalem Tigris, sedes suas fixerint. Quoniam inter *Arami* filios memoratur Utz *Gen. X, 22*, qui videatur terræ Utz *Job. I, 1*, nomen dedisse, *Jobum* Aramæum exstitisse, adeoque Arabibus accensendum non esse, quorum ante tempora Regum mentio nulla. *Joctanem* cum filiis suis concessisse in Armeniam, candemque incolis replevisse. Armeniæ nomen esse ab Aram, ac si esset *Aramnia*, unde per molliorem pronuntiationem emerserit Armenia. Antiquissimam dialectorum fuisse censet Aramæam, per quam lingua *Noachica*, primæva postdiluviana, per universum terrarum orbem sit propagata, inque diversas dialectos transfusa, qua ipsa etiam usi fuerint Joctanenses. Linguam Syram non esse antiquam Aramæam, sed illius dialectum recentiorem, quemadmodum etiam *Assyriaca*, *Chaldæa*, & *Judaica*. Ex Syra recentiori enatas fuisse dialectos *Hierosolymitanam*, *Galilæam*, *Hamathæam*, *Maroniticam*, &c. Aramæam cum tempore, & quidem Macedonum, nuncupatam esse Syriam. *Joseph. Antiq. Jud. Lib. I Cap. 7.* Commercia, bella, gentium migrationes, diversitati linguarum dedisse originem. Primævam quidem linguam jamdum aliquam admisisse mutationem,

153-156.
157-160.
163, 164.
167-173.
174-178.
179-182.

nem, ita tamen, ut ſe mutuo intelligere potuerint. Sed,
cum homines, ex Oriente venientes, ſedes alienas quærentes, in Sinearis planitie contra teſtamentum *Noachi* conſederint, ac urbem atque turrim altiſſimam ſint moliti, dialectos ab illo tempore magis inter ſe diſcrepare cœpiſ-
Pag. 183-187. ſe. Veniſſe illos ex Meſopotamia, vel Armenia inferiore, & poſtea ita per terræ faciem ſparſos fuiſſe, ut populus non manſerit, ſed inter reliquos populos diſperſus evanuerit.
189, 190. Hos *Ludi* filios ac nepotes fuiſſe, ſuſcipatur, ratione hac uſus, quoniam huic ex omnibus *Semi* filiis nulli tribuantur liberi. In hanc terram, vacuam jam relictam, *Nimrodum Gen. X, 8–12,* impreſſionem feciſſe, ibidemque
191-193. regni ſui ſedem conſtituiſſe. *Aſſurem* autem, judiciis divinis territum, inde trans Euphratem atque Tigrim ſe contuliſſe. Num lingua Ebræo-Biblica eadem ſit, quæ primæva antediluviana, cum illius nulla proſtent monumenta, definire non audet, nec, num illa aliqua in gente vernacula exſtiterit, ac Patriarchæ illam domeſtico uſu frequentarint, cum lingua illius gentis uſi fuiſſe videantur, apud quam fuerint peregrinati, quibus alias *Aramæa vetus* vernacula exſtiterit. Si quando Deus illa lingua ſe patribus manifeſtavit, inde non ſequi, quod etiam uſu quotidiano ipſis fuerit trita. Ebræo-Biblicam linguam non proſtare amplius niſi in Codice V. T., & Deum hac lingua, aliis omnibus populis ignota, oracula ſua reve-
193-202. laſſe, quo ſic gentes a myſteriis ſuis excluderet. Inde Autor obſervationes quasdam grammaticas inſpergit. Omnes voces apud Ebræos ortum ducere ſuum ex tertia præteriti kal, eſſe falſum, cum, ſuadente ipſa ratione, ex uſu omnium linguarum nomen ſubſtantivum notius ſit verbo; ſic דָּבָר, *ſermo,* prius ac clarius perzipitur, quam דִּבֶּר, *locutus eſt, verba fecit.* Adhæc dubium vix eſſe, quin nomina, duplici ſegol notata, ſint primitiva & radicalia, quorſum adducit מֶשֶׁק, *curator, adminiſtrator, Gen. XV, 2, XXIV, 2;* ex אֹזֶן, *auris,* derivari אָזַן, *audivit, aurem præbuit.* Par-
202-207. ticulas etiam ſubinde ortum dare nominibus & verbis;

ex

ex עַל, *supra*, esse עָלָה, *adscendit*, עֶלְיוֹן, *superior*, *supremus*, ex עַד, *ad*, esse עֵד, *testis*, עֵדָה, *cœtus*, יָעַד, *condixit*
congregationis vel *tempus*, vel *locum*, ex עִם esse עַם, Pag. 207, 208.
populus. De hac ipsa lingua pronuntiat, esse illam plane singularem, quæ neque antiquioris alicujus linguæ, sive antediluvianæ, sive postdiluvianæ, dialectus fuerit, nullius quoque posterioris dialectum proximam linguam exstitisse, quæ secundum nativam suam indolem explicari non possit, nisi assidua sacræ Scripturæ lectione atque medita-
tione illam sibi reddiderit familiarissimam. Inde progre- 216, 217.
ditur ad Arabes, quorum mentio nulla in libris *Mosis*, nec *Jobi*, qui tamen alias Arabs habeatur, nec ullibi eorum genealogiam, a quo stemmatis capite originem ducant, contexi, quorum demum mentio fiat in commentariis Regum Israelis, quod in re sibi consentire
Cellarium Geogr. ant. Lib. III Cap. 14 pag. 410- 220-229.
422, affirmat. Ortos esse ex vilissima hominum fæce, in unum globum convolantium, seque latrocinii societate conjungentium, quibus se spe prædæ alii itemque alii ad-
junxerint, unde ערבים a ערב, *miscuit*, dicantur. 229-233.
Equidem Arabes natales suos arcessunt a *Joctane*, *Eberi* filio, quorum testimonio assurgunt *Bochartus* & *Waltonus*, sed illos in propria causa testes citari non posse.
Inde hoc efficit, linguam Arabicam inter antiquissimas ac 233-239.
primigenias linguas recensendam non esse, nec ex principe quadam dialecto, sed ex plurimarum dialectorum commixtione, enatam esse; quod inde affirmat, quia tanto synonymorum numero abundet, quantus vix in ulla lingua deprehendatur. Sic jactitare ipsos, se habere 500 synonyma, quæ *leonem*, 200, quæ *serpentem*, 100, quæ *ensem*, significent: quæ res non aliunde, quam ex diversa-
rum dialectorum commixtione, proficisci potuerit. Propa- 239-243.
gationem suam debere armis Muhammedanorum, sed cultum illi demum post *Muhamedis* tempora accessisse: quod
testimoniis *Hottingeri* & *Pocockii* firmat. 243-256.

Subjicitur his Oratio inauguralis *de necessaria, ad recte interpretandam Scripturam sacram, antiquitatum Ebraicarum cognitione*, quam Vir Venerandus, cum publicum docendarum antiquitatum Ebræarum munus, a morte *Triglandii* vacuum, ab illustriss. Academiæ curatoribus ipsi esset demandatum, habuit. Necessariam antiquitatum Ebraicarum cognitionem esse, inde probat, quoniam Scriptores sacri locutiones plures ab illis mutuo sumant. Observat, *Mosen* in descriptione tabernaculi multo longiorem esse, quam in descriptione creationis totius universi, enarrandisque fatis patrum antediluvianorum, quæ a patribus suis per traditionem habere potuerint; quæ vero tabernaculum, ejusdemque cultum, spectabant, erant adhuc inaudita, quæ nisi *Moses* ita accurate perscripsisset, nec *Bezaleel* & *Aholiab* tabernaculum, ejusdemque vasa, ad præscriptum conficere, nec sacerdotes omnia munia rite obire, potuissent. Rituum priscorum Judæorum notitiam certius longe ex *Mose*, quam ex Judæorum magistris, hauriri posse, plurimum tamen referre, nosse differentias, quæ inter Karaitas & Rabbinitas intercedant v. c. de duabus vesperis, novilunio, dierumque festorum initiis. Ad Prophetarum etiam oracula explananda multum conferre, antiquitates populi Judaici cognitas habere & perspectas, luculentis exemplis, in medium prolatis, Autor comprobat.

Ita potiora Dissertationum harum momenta digito indice monstravimus, a Cel. Autore copiosius, stilo satis luculento, declarata. Sunt quidem omnes argumenti satis vulgati, ac a viris eruditis aliquoties jamdum occupati; possunt tamen juvenibus, in quorum gratiam vel maxime consignatæ fuisse videntur, utilitati esse multæ. In Dissertatione de lingua primæva quædam habentur v. c. de dialectorum diversitate, ab aliis non æque prolata; erunt tamen, qui, tutius fore, judicabunt, si dialecti præter necessitatem nimium haud multiplicentur; alii, causas mutationis linguarum ante universalem aquarum eluviem, ac populorum per orbem terrarum dispersionem, ab eo, qui in rebus facti se

ad

ad castam semper ac non vitiatam antiquitatem recipit, in medium adduci posse, inficias ibunt. Linguam Ebræo-Biblicam non esse cujusquam linguæ antediluvianæ, seu postdiluvianæ, dialectum, nullius quoque posterioris matrem proximam, sed singularem, qua pii patres neque in communi vitæ genere, neque domi suæ, sint usi, quæ in sacris tantum fuerit adhibita, nec contineatur nisi in Codice sacro, adeoque ex se tantum explicari illustrarique possit, παράδοξον multis videbitur. Sequitur Autor ex parte opinionem *Gussetii*, qui, Ebræam linguam cum sole comparans, illam ante omnes alias exstitisse, nec opus habere, ut ab ulla lucis aliquid accipiat, contra omnibus lumen inferre, contendit; sed tamen is ipse linguam Ebræam primigeniam agnoscit, quæ priscis temporibus tum in cultu divino, tum in communi vitæ consuetudine, usu frequentata fuerit, ac aliis ortum præbuerit. Horum autem nihil ex eruditissimi *Honertii* mente dici potest, & parum abest, ut dicamus, ex hac sententia id consequi, cum lingua Ebræo-Biblica unice restricta ad oracula divina, etiam illam cum his per afflatum aliquem divinum communicatam fuisse. Si lingua Ebraica, cujus contrarium tamen a viris doctissimis abunde est evictum, primigenia non est, id tamen cum ratione negari nequit, inter illam & reliquas orientales convenientiæ multum intercedere, imo illam harum matrem haberi posse, cum sit simplicior, nec multarum notionum ratio, nisi ex lingua Ebræa, dari queat. Quæ de lingua Arabica, illius novitate, ac ex diversis dialectis compositione, differtantur, quo animo ita copiose prolata sint, quisque rei literariæ Belgicæ non prorsus ignarus per se ipse intelligere potest. Si, quas confectas jamdum habet Dissertationes, in quibus *antiquissimæ Genealogiarum Biblicarum, Chronologiæ* ac *Geographiæ veteris, tabulæ* illuminabuntur, cum orbe literato communicabit, multum gratiæ, si quidem lucem tenebris istis inferet, a sanctioris doctrinæ studiosis inibit, novoque beneficio orbem sibi literatum obstringet.

SCHEDIASMA HISTORICO - THEOLOGICUM de Canone Missæ Gregoriano, in quo, post brevem ejus historiam, Canonis cum reliquis liturgiis convenientiam, a potioribus vero Romanæ Ecclesiæ erroribus ostenditur dissensus, Autore M. THEODORO CHRISTOPHORO LILIENTHAL, Borusso.

Lugduni Batav. apud Conr. Wishof & Georg Jac. Wishof, filium, 1740, 8 maj.

Plag. 12.

Quod doctissimus Autor, per laudabilia Venerandi olim Parentis, nunc ad cœlestem vitam transgressi, vestigia ad publicam civitatis Christianæ & nominis celebritatem contendens, tractandum sibi sumsit argumentum, & a dignitate, & ab utilitate se sua commendat. A dignitate: versatur enim circa formulam, ex qua Pontificii præcipuam cultus sui partem administrare volunt, a longo temporis tractu introductam, & publico patrum Tridentinorum decreto sancitam, quam propius nosse, illorum etiam interest, quorum animos veritatis antiquæ ac libertatis Christianæ amor a sacris Romanis sejunxit. Ab utilitate: beneficio enim reliquiarum priscæ veritatis, quæ Canoni huic insunt, novitium Pontificiorum de transsubstantiatione dogma haud parum labefactari, penitusque prosterni, potest. Equidem posterius hoc jamdum evincere laborarunt Theologi summi, de utroque Protestantium cœtu immortaliter meriti, *Petrus Molinæus*, *Rud. Hospinianus*, *Jacobus Basnagius*, *Christophorus Matthæus Pfaffius*; strictim id fecit Summe Venerandus *Sal. Deylingius Obs. miscell. P. I Exerc. II §. 36 pag. 170-172.* Æquum tamen erat, & cum multo usu conjunctum, ut materia hæc ex instituto excuteretur, ac enucleatius pensitaretur; quod quo successu a Cl. *Lilienthalio* sit præstitum, Lector ex iis, quæ enotabimus, judicare poterit.

Primum ostendit usum Liturgiarum, quæ fidem totius cœ-

tus

tus declarent, quibus accenſeri mereatur Canon Miſſæ
Gregorianus. Canon miſſæ eſt ipſi *firma aliqua* Pag. 3.
atque præſcripta precum formula, qua eucharistiæ ele-
menta, panis & vinum, conſecrantur. Audit *Gregorianus*,
non ac ſi illum autorem agnoſcat, ſed quia poſt illius
additiones ac mutationes aliquam ſortitus eſt autoritatem,
ut adhuc hodie in omnibus eccleſiis Pontificiis ſine ulla 4.
additione adhibeatur. Hic ex ſententia Concilii Tridentini
repetendus eſt vel ex ipſis Chriſti verbis, vel Apoſtolorum
traditionibus. Non ex prioribus, quia Chriſtus non tam
elementa euchariſtica conſecravit, quam voluntatem ſuam
declaravit, illud, quod dederit, eſſe corpus & ſanguinem
ſuum. Non ex poſterioribus, quia nec *Euſebius*, 6.
nec *Hieronymus*, iſtiusmodi liturgiæ ullam mentionem
injecerint, nec ex relationibus, quæ de Apoſtolorum
conſecrandi modo ſuperſunt, genuina illorum liturgia con-
fici poteſt. Liturgia, quæ *Libro VIII Conſtitut.* 9.
Apoſtol. continetur, licet ſit antiquiſſima, non tamen
Apoſtolis eſt coæva, nec apud omnes eccleſias introdu-
cta, cum quilibet cœtus olim peculiarem ſuam habue-
rit liturgiam: quanquam tamen minores eccleſiæ litur-
giam, quæ in metropoli obtinebat, ſequerentur, metro-
politanis, qui majus jus ſibi cum tempore vindicabant, id
agentibus, ut ſuæ eccleſiæ liturgiæ in omnibus diœceſeos
ſuæ cœtibus obtinerent. Ipſe *Gregorius* Canonem 18.
hunc, ad *ſcholaſticum* quendam *Lib. VII Ep. 64 Concil.*
T. V pag. 1348 refert, per quem virum aliquem do- 22.
ctum, ortu Romanum, intelligit. Confectum eſſe, docet Autor,
poſt Concilium Nicænum, cum, ante illud liturgias in uſu
fuiſſe, probari nequeat, nec, quæ habetur in *Conſtitutio-*
nibus Apoſtolicis, ante pacem eccleſiæ reſtitutam eſſe conſi-
gnatam, evicit *Renaudotius.* Ex illa *Gregorianum* Canonem
eſſe deſumtum, inde in nonnullis a *Gelaſio* mutatum,
præfationibus locupletatum, tandemque a *Gregorio* quæ-
dam addita eſſe. Hunc in ſua quidem introduxit 26.
diœceſi *Gregorius*, aliis autem eccleſiis non obtruſit. Mediola-
nen-

nensis usa est missali, quod vulgo tribuitur *Ambrosio*, ab aliis *Barnabæ*, quodque, paucis exceptis, congruit
Pag. 32. cum Romano, abolitum nutu Imp. *Caroli M.*, sed restitutum autoritate *Eugenii*, P. M. Gallicanæ ecclesiæ liturgiæ, cum illa Græcorum, qui eam primitus plantarunt, propius convenit; cujus alii *Hilarium Pictaviensem*, alii *Musæum* Massiliensem, alii *Sidonium Apollinarem* autorem citant, accipiendum forsitan de diversis Galliæ provinciis, in quibus locum habuerunt. Sed *Carolus M.*, occupato Italiæ regno, Romanum vi introduxit, ut intra breve temporis spatium antiquum Gallicanum officium oblivioni traderetur. Apud Britannos, conversos per *Ger-*
37. *manum* & *Lupum*, a Gallis eo missos, liturgia Gallicana vigere cœpit. Nec, restituto Christianismo, labefactato per Anglo - Saxonas, liturgia Romana ipsis est injuncta, invecta in Concilio Cloveshoviensi II, Wallicis ecclesiis antiquum suum officinm ad annum usque 1115 retinentibus, quemadmodum etiam Hiberni ante *Malachiæ* adventum Romanos ritus non acceptarunt. Suscepta, regnante *Eduardo*, sacrorum emendatione, Canon Romanus, quantum fieri potuit, est retentus, sed *Martinus Bucerus*, *Petrus Martyr*, ac alii, novam liturgiam confecerunt,
40. supremæ curiæ autoritate confirmatam, quam adhucdum episcopales sequuntur. In Hispania post Seculum V duæ potissimum usu invaluerunt liturgiæ, altera orthodoxorum, altera, quam Gothi Ariani secum ex Oriente adduxerant, quibus post Gothorum cum orthodoxis conjunctionem tertia accessit, quarum nulla fuit Romana, quæ
47. demum Seculo VI immissa, populo pro *Mosarabica* decertante. Germania, potentia *Caroli M.* itemque *Bonifacii*, a *Gregorio III* eo missi, moliminibus acta, Canonem Romanum recipere debuit, nonnullis exi-
49. stentibus, qui illum non usque quaque probarent. Pontificii tamen id egerunt, ut liturgia Romana ubique locorum admitteretur, ab Armenis, Indis, Æthiopibus,
52. Maronitis, civibus mutationem ægre ferentibus.

Canon

Canon hic submissa voce recitatur, qui mos a quo tempore initium duxerit, definiri nequit, in Concilio Tridentino *Sessione XXII Can. IX* confirmatus. Absoluta jam historia Canonis, demonstrare aggreditur *primo* Autor, Pag. 56.
ex antiquioribus liturgiis desumtum esse, *secundo*, ipsum illum Pontificiorum placita jugulare. Prius ex convenientia cum aliis liturgiis, quæ ipsum antiquitate vincant, liquidum esse, arbitratur, quod simul in causa sit, quare is Pontificiorum recentioribus placitis adversetur. In illo 58.
preces pro ecclesiæ præsulibus, totoque illius statu, ad Deum diriguntur, quod & in aliis fit liturgiis, sermo convertitur ad patrem, quod pariter in aliis locum habet, & in Concilio Carthaginensi III *Can.* 23 disertis verbis præcipitur. Inde autem cum *Whistono* concludere minus licet, adorationis honorem Christo olim tributum non esse, cum honos hic patri æque ac filio fuerit exhibitus. 62.
Verba illa, quibus *dona*, *munera*, *sanctaque sacrificia*, *illibata Deo offerri* dicuntur, non esse de Christo, sed de *pane* ac *vino*, quæ tum in sacræ cœnæ administrationem, tum in usum pauperum, olim offerebantur, intelligenda, docet Autor. Harum oblationum usus in prima jamdum ecclesia obtinuit, originem trahentium vel ex agapis, vel Judæorum institutis, de sacrificiis suis vescentium. Illarum primus meminit *Clemens Romanus* 1 *Ep. ad Cor. Cap.* 40, 45, domini mandatum allegans, quo Christianorum studium ad dona hæc adducenda incenderet. Consuetudo hæc viguit ad Seculum usque VI, quin *Edmundus Martene* notat, ante annum circiter CCCC demum desiisse, quanquam dona hæc, pristina caritate defervescente, crebris exhortationibus prolici debuerint. Loco oblationum harum aliquando pecunia est data. Precabantur pro *sancta ecclesia Catholica*, quam *pacificare*, *custodire*, *adunare*, & 71.
regere, *dignetur Deus*. Preces has Seculo IV jamdum in Africa usum habuisse, sunt, qui affirmant, quod licet non usquequaque sit certum, videtur tamen *Vigilius* Papa *Ep. IV* ad *Justinianum Imp. Concil. Tom. V*

pag. 315 in precandi formulam illam digitum intendere Papam nomine tenus non expresserunt, quem antiquitus diœcesi suæ adstringebant, sequentibus temporibus Pontificibus Romanis rem eo adigentibus, ut, qui præerat Pon-
Pag. 76. tifex, nomine suo appellaretur. Sequuntur verba, *memento, domine, famulorum famularumque tuarum N. N. & omnium circumstantium*, cetera. Vivorum nomina ex diptychis recitabantur, quod in Romana ecclesia secrete a Subdiacono fiebat, haud raro a presbytero prælegebantur. Quæ nominum recitatio cum multum temporis deposceret, maxime ubi integer cœtus cœna dominica frueretur, quædam tantum prælegebantur, reliquorum, catalogo inscripta, ponebantur in altari, commemorationi autem nominum presbyter suum quoque adjiciebat. Quorum vero nomina nec recitabantur, nec scripto continebantur, sequentibus comprehendebat verbis *& omnium circumstan-*
78. *tium*. Hinc concidunt *missæ solitariæ*, quas Concilium Tridentinum *Sess. XXII Can. 6*, adeo operose inculcat, Concilio *Parisino*, habito A. 829, *Can. 48 Concil. T. VII pag. 1628* in illas acriter invecto. Harum origo arcessenda a veterum Christianorum missis privatis, quæ afflictionum publicarum temporibus sine magna fidelium frequentia in domibus, cryptis, aliisque locis, celebrabantur. Ad abusum hunc firmandum multum contulerunt monasteria, in quibus missarum celebratio non semper in multa circumstantium turba institui potuit; auxit illum innumera Clericorum multitudo, qui, dum omnes sacris operari vellent, nec tamen accederent, qui communicarent,
82. haud raro soli adstiterunt altari. Ex verbis illis, *pro quibus tibi offerimus*, cet. efficit, nullius olim oblationem acceptam fuisse, nisi qui communionis ecclesiasti-
84. cæ fuerit particeps adeo, ut nec *consistentes* munera offerre potuerint. Verba, *pro se suisque omnibus*, & quæ sequuntur, non hoc significant, ac si muneribus suis quidquam apud Deum mereri voluerint, sed ut gratum Deo animum pro acceptis beneficiis testarentur; negari tamen nequit,

nequit, in missalibus illis adscribi *liberationem a peccatis*, *salutem* ac *beatitudinem æternam*, quod testimoniis prolatis probatur. Denique, quo suam cum ecclesia triumphante consociationem facerent testatam, pergunt: *communicantes per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.* Sanctorum commemorationem a *Siricio* Papa additam fuisse, communis est sententia; sed reperitur in omnibus fere liturgiis, ita tamen, ut quælibet ecclesia, præter *Mariam* atque Apostolos, illos nominet sanctos, qui in finitimis regionibus martyrium passi. De quibus sanctis aliqua notat. *Cletum* & *Anacletum* esse unum eundemque, judicat. *Cornelium*, quod *Albaspinæo* visum est, primum Pontificis maximi titulum assumsisse, probari posse, negat. Ubi quædam de *Cypriano*, *Laurentio*, *Chrysogeno*, *Joanne* & *Paulo* fratribus, *Cosma*, & *Damaso*, omnibus religionis causa violenta morte peremtis, dixerat, demonstrat, ex sanctorum commemoratione illorum invocationem inferri non posse, quia ad Deum, non sanctos, dirigitur oratio. *Mariæ* commemorationem non ad *Cælestinum* Papam, quod *Baronius* vult, sed *Petrum Fullonem*, Patriarcham Antiochenum, Eutychianæ factioni faventem, referendam esse. Initium verborum illorum: *hanc igitur - per nostrum Christum*, *Amen*, adscribitur *Leoni*, ultima *Gregorium M.* autorem agnoscunt. Pericopa illa, cujus initium, *quam oblationem*, *domini nostri Jesu Christi*, appellatur a quibusdam *Canon major*, ex quibus liquet, non ipsum corpus & sanguinem Christi efferri, adeoque non adesse sacrificium quoddam, proprie sic dictum. Illud *fieri* non inferre transsubstantiationem, sed explicandum esse, uti verbum ἀποφαίνειν in Constitutionibus Apostolicis, per *declarare, ostendere*. Docet inde Autor, ad consecrationem panis ac vini antiquiores ecclesiæ Romanæ doctores non solum verba institutionis, verum etiam preces, imo totum fere Canonem, retulisse. Ἐπίκλησιν Spiritus S. ad consecrationem Symbolorum externorum spectare, probat 1) ex

Pag. 88. 90. 101. 105. 108.

Pag. 119. liturgiis Orientalium, 2) Latinorum ac Occidentalium. Tangit controversiam, quæ inter Græcos ac Latinos agitatur, num invocatio Spiritus S. spectet ad consecrationem, quod Græci acriter tuentur, quam Pontificii quidem componere sunt annisi in Concilio Florentino, ut Græci ab illa prorsus abstinerent, qui, ubi artes Latinorum, quibus nonnullos suorum induxerant, animadverterunt, in
127. sententia sua, ut retinerent ἐπίκλησιν illam, firmiter persistere decreverunt. Hinc Pontificiorum de invocatione
131. Spiritus S. sententiæ proferuntur & expenduntur. Notat Autor variationes verborum, *pridie—in mei memoriam facietis*, quæ non uno modo in liturgiis leguntur quibusdam, in aliis additis, in aliis demtis, unde *Renaudotius* infert, illas corruptas esse; arbitratur autem Eruditissimus Autor no-
133. ster, meliori jure cum *Rich. Simonio* dici posse, Orientales verba Christi ad consecrationem non ita necessaria credidisse, ut quidem invocationem Spiritus S. De mixtione aquæ & vini notat, originem traxisse ex poculo paschali Judæorum, quem morem secuta sit ecclesia ab antiquissimis temporibus, ut hinc Armeni, mero utentes, in Concilio Trullano *Can. 32* fuerint damnati. Pontificii illam in Concilio Tridentino *Sess. XXII Can. 9* prorsus necessariam faciunt, quam ipsam ex Anglis aliqui, speciatim *Jo. Ern. Grabius*, *Guil. Whistonus*, & *Thom. Brettus*, abro-
135. gari non debuisse judicant, illam tamen non omnino necessariam esse, quidam ex Pontificiorum ordine censent. Consuetudo, qua populus jubetur proclamare *amen*, jamdum ævo *Justini Martyris* viguit, in Latina ecclesia retenta fuit ad Seculum usque IX, quod *Jo. Dallæus de Cult. Latin. relig. Lib. VIII Cap. 7 pag. 1048 seq.* demon-
137. stratum dedit. Copti diversis institutionis segmentis *Amen* subjiciunt; qua vocula populus non testatus est, transsubstantionem factam esse, quod Pontificii tradunt, sed assensu suo, vera illa esse, comprobavit, quæ sacerdos de institutione Christi narrarit. Verba, *inde & memores -*
139. *calicem salutis perpetuæ*, ab *Alexandro I* adjecta fuisse dicuntur, habentur autem in *Constitutionibus Apostolicis*, litur-

liturgia *Jacobi*, *Basilii*, sed aliquantulum mutata. Verbis *hostiæ puræ*, *hostiæ sanctæ*, *hostiæ immaculatæ*, alditur ad *Mal. I, 11, III, 3, 4*, cujus loci diversas Autor antiquorum interpretationes adducit. Illis autem nec antiquorum aliquis sacrificium proprie dictum intellexit, nec id Canon innuere videtur, 1) quia verba desumta sunt ex liturgiis Græcis, sed illi, consecrationem demum fieri, existimabant, post ἐπικλησιν, 2) de populo præsenti dicitur *offerimus*, ex Pontificiorum autem mente sacerdos tantum offerre potest, 3) Deus rogatur, ut oblationem *propitio velit adspicere vultu*, quod quidem dici potest de elementis eucharisticis, non de corpore & sanguine Christi. Quam demonstrationem priscorum ecclesiæ doctorum suffragiis firmat. Quod porro rogatur, *ut Deus illa respicere dignetur — & quod obtulit Melchisedech*, quæ verba *Leoni I* tribuuntur, quanquam sacrificii *Habelis*, *Noachi*, *Aaronis*, *Samuelis*, & sanctorum, jamdum in liturgia *Jacobi* mentio fiat, inde rursus argumentum contra transsubstantiationis dogma depromi potest: sacrificia fidelium V. T. non placuerant Deo, nisi respectu Christi; igitur, quod offertur, non est corpus & sanguis Christi, sed panis adhuc atque vinum. Quæ *Bossuetus* objicit de duplici sacrificio, altero corporis & sanguinis Christi, ecclesiæ altero, illa in sequentibus diluit. Circa verba, *supplices te rogamus — per eundem Dominum nostrum. Amen*, consentiunt rursus priscæ liturgiæ Græcorum; sicque illa pariter Pontificiorum de transsubstantione doctrinæ sunt adversa. Per *angelum*, *cujus manibus* dicuntur *munera deferri in sublime altare Dei*, nonnulli Christum, alii angelum creatum, intelligunt. Per altare non præcise, quod Pontificii sciscunt, innui *lapideum*, peculiariter *consecratum*, cum Christiani talia nec habuerint, nec habere potuerint, in cryptis, cœmeteriis, carceribus, aliisque locis, sacram cœnam administrantes. Ex hoc Canone diversos Pontificiorum errores refutari posse, judicat, (α) missarum solitariarum, (β) sacra symbola transsubstantiari ma-

Pag. 140. 147. 149. 153.

nentibus accidentibus, (γ) calicem subtrahendum esse laicis, quod sacrilegium, a quo transsubstantiationis dogma
Pag. 156. est introductum, sensim invaluit. Commemoratio defunctorum in omnibus priscis liturgiis habetur, quæ Canonis pericopa vulgo inscribitur *oratio super diptycha*. Orationes hæ jamdum usitatæ in antiqua ecclesia, unde mos hic ad ipsos refertur Apostolos; erant autem preces *eucharisticæ* ac *commemorativæ*, quibus gratias Deo agebant, quod sanctis illis viris cursum fidei feliciter absolvere licuerit, cœlestisque participes facti fuerint gloriæ; acceperunt oblationes illas, quo sic testatum fieret, ipsos in commu-
162. nione ecclesiastica decessisse. Sed Seculo tandem IV inventi sunt, qui, oblationibus illis defunctos juvari posse, sunt arbitrati, quod de *Athanasio*, *Augustino*, ac aliis, dici potest, aliis contradicentibus. Ritus, singulorum nomina recitandi, quem institutum a *Pelagio II*, P. M. fuisse ferunt nonnulli, postea est abrogatus, & generatim tantum fideles de-
164. functi sunt nominati. Ex his autem precibus Pontificiorum de purgatorio opinio non roboris aliquid accipit. Patres de loco aliquo tertio, in quo animæ omnium fidelium, non exceptis Sanctis atque Martyribus, usque ad corporis sui excitationem, absque ullis tamen pro reliquiis peccatorum cruciatibus degere deberent, sunt accipiendi. Et, si quidem aliquando purgatorii mentionem faciunt, intelligunt tamen ex loco *1 Cor. III, 12 seq.* ignem *probatorium*, quem explicant per *judicium discussionis*, in extremi judicii die in-
169. stituendum. Per verba secundæ sanctorum commemorationis, *nobis quoque peccatoribus — Lucia & omnibus sanctis tuis*, cet. desiderium declaratur, ut in illorum consortium deveniant. De Sanctis autem, *Joanne* scilicet baptista, *Stephano* protomartyre, *Matthia* Apostolo, *Barnaba*, qui alias *Joses Levita* dictus, *Ignatio*, *Alexandro*, *Marcellino*, Episcopis Romanis, *Petro* Martyre, quædam
177. affert, quemadmodum etiam de piis fœminis memoratis, *Perpetua & Felicitate*, *Agatha*, *Lucia*, *Agnete*, *Cecilia*, *Anastasia*. Ex clausula Canonis hoc effici posse con-

contendit: 1) merita sanctorum esse nulla, quoniam non ob meritum aliquod intra sanctorum gratiam recipi volunt; sed, veniam sibi dari, precantur, 2) verbis illis *per quem — præstas nobis*, non indigitari transsubstantiationem panis ac vini, sed de solis externis sacræ eucharistiæ Pag. 185.
symbolis debere accipi. Tandem aliquid de oratione dominica, quæ Canoni subjicitur, monet, notans, priscos Christianos petitionem de pane ἐπιουσίῳ de Christo, pane vitæ, interpretatos esse, cujus quotidie in sacræ Cœnæ usu participes sint facti: hinc usitata fuit in administratione sacræ cœnæ, & catechumeni illa abstinere jubebantur. Hæc brevis est summa elegantis hujus Commentationis, qua & historiam Canonis *Gregoriani* accurate est persecutus, &, qua ratione ex illo argumenta contra Pontificios stringi possint, solide monstravit, ut hinc de elaboratissimo hoc fœtu haud vulgaris doctrinæ, eximii ingenii, & acris judicii, Cl. Autori sit gratulandum, utque porro rem literariam & theologicam hujus generis lucubrationibus ornet, publice rogandus.

CRITICA SACRA SENSUS LITERALIS INcomplexi Codicis Hebræi Veteris Testamenti, ordine alphabetico vernacule elati, & XX Canonibus criticis superstructi, ut commentariorum & versionum cumprimis vernacularum Codicis sacri legitima possit esse probatio. Edidit JO. CHRIST. KLEMM, SS. Theol. D. ejus denique Prof. Ord. nec non Linguæ Hebrææ, ac Superintendens.

Tubingæ, impensis Jo. Georg. Cottæ, 1739, 8.

Plag. 22.

Statim ab initio commonefaciendi sunt Lectores, ut hunc, quem recitavimus, indicem totum perlegant, ne, magnam V. T. Criticam in hoc exiguæ molis libello quærendam esse, arbitrentur. Nihil etenim eo continetur, præter *Criticam sensus literalis incomplexi.* Nos tenebras a verbis S. Rev. *Klemmii* dispellemus, clarius sen-

ſententiam ejus expreſſuri. In eo nimirum multus eſt,
ut *primam* ac *ſimplicem* vocum Hebraicarum poteſtatem
evolvat, & critica ejus inveniendæ ſubſidia commendet.
Atque hæc quidem libelli portio non niſi *priorem partem*
Criticæ ſacræ nobis exhibet, *alteram* alia occaſione orbi e-
rudito traditum iri, nuntians. Critica illa ſubſidia non
ſunt, fatebimur enim, omnino nova, ſed jam teſtata &
pervulgata. Verum hæc tamen in uno hic ſeparato le-
guntur volumine, quæ aliis in libris hinc inde diſperſa
inveniuntur. Unde novum eſt, quod illa, certis *canonibus*
incluſa, uni adſpectui patent. Ac quidem illi ſunt canones,
qui, ubi opus eſt, declarantur & confirmantur. Nos,
doctorum virorum exſpectationi ſatisfacturi, dictos canones
indicabimus, at ea tamen libertate utemur, ut nimiam
Pag. 1 eorum verboſitatem abjiciamus, ſenſum magis, quam
ſeq. verba ipſa, declaraturi. Canon I *generalis* eſt: *Unicus
vocum V. T. ſacrarum ſenſus literalis ex uſu linguæ
ſacræ, ex origine, analogia, cognatione, ex ſcopo ſcri-*
4 ſeq. *ptoris, antecedentibus & conſequentibus, appoſitis & op-
poſitis ſynonymis & parallelis, evolvi debet.* Canon II
ſpecialis: *Radicum Hebræarum notio formalis & radica-
lis in concordantiis & linguis conſignatis ante omnia inda-
ganda.* Canon III: *Ex verbis, tanquam fontibus, veræ no-*
6. *minum ſignificationes ducendæ*, e. g. אֵם ab אָבַם,
בֵּן a בָּנָה, אָב ab אָבָה Alia, quæ adjunguntur,
17. exempla taciti præterimus. Canon IV: *Cum Chaldæa lin-
gua Hebrææ proxima ſit, ex hac, ſcriptisque adeo Chal-
daicis, v. c. Targumim, utroque Talmude, aliisque, ſigni-
ficationum Hebraicarum plerarumque veritas in aprico po-*
21. *nitur.* Canon V: *Linguæ Hebrææ & Chaldaicæ quoniam
vicina eſt Syriaca, ex hac etiam ſenſus vocum V. T.
Hebræarum dubius cognoſci poteſt, inprimis ex verſio-*
23. *nibus utriusque teſtamenti Syriacis.* Canon VI: *Multæ
vocum Hebræarum notiones ex ſcriptis Samaritanis pe-
tendæ, cum illis quippe valde convenientes.* Canon VII:
Cum inter filias Hebrææ linguæ multo eruditiſſima ſit

Ara-

Arabica, plurimæ voces & radices Hebrææ, in sacro Codice minime obviæ, ex hac suppleri, dubiæque significationes restitui, debent, inprimisque hebraismus ex versionibus Arabicis roborandus est. Canon VIII: *Ex* Pag. 26.
vocum Æthiopicarum cum Hebræis collatione dubia vocum V. T. potestas illustranda & stabilienda. Canon IX: 28.
Usum etiam hic Persica habet lingua, præsertim vero Persica versio. Canon X: *Etiam ex linguæ Græcæ, Lati-* 30.
næ, Germanicæ, aliarumque, cum Hebræa, ceu matre, convenientia nonnihil ad hoc negotium adjumenti capiendum. Canon XI: *Ex verbis affinibus, quæ literis ejusdem orga-* 31.
ni utuntur, sæpius generalis saltem notio arcessenda. Exempla ex *Hilleri* Onomastico sacro a *pag. 93* ad *103* enarrantur. 32 seq.
Canon XII: *Nominum itidem notio ex aliorum affinita-* 40.
te & cognatione identidem repetenda. Canon XIII: *Eadem formæ specificæ nominum Hebræorum easdem generales* 43.
habent significationes, &, qualia verba, e. g. vel activa, vel passiva, tales, hoc est, vel activæ, vel passivæ, suas nominum, ab iis derivatorum, notiones. Canon XIV: *Literæ hæe-* 48.
manticæ in vocibus difficilioribus egregium habent usum.
Canon XV: *Nec ratio permutationis, trajectionis, & a-* 54.
jectionis, literarum Hebræarum, immo & ellipsis vocum & vocularum, negligenda, sensum literalem scrutaturo.
Canon XVI: *Vocum potestas, compositarum ex membris* 62.
componentibus, conjunctionis vinculo, reliquisque compositionis regulis, sumenda. Canon XVII: *Targumim, aliæque* 65.
versiones Orientales, locos etiam obscuros illustrant, usumque ita præbent materialem. Canon XVIII: *Hunc* 75.
etiam evolutio habet Talmudica. Canon XIX: *Versio* 79.
LXXviralis rem exegeticam mirifice juvat, quippe a viris Hebraice, si quis alius, gnaris profecta. Canon XX, idemque ultimus: *Nec versio Itala, quia Hieronymum, Hebraice doctissimum, autorem habet, ei abjicienda, qui sensum Codicis Hebræi literalem venatur.* His præfultis, 84.
idonea sequuntur *exempla*, quæ lucem Canonibus positis

afferunt, eo quidem ordine, quem literæ ſibi vindicant Germanicæ. Digna hæc lectu notatuque ſunt, propter commodas ſignificationum cauſas, quæ adduntur, quanquam ipſæ voces, debitis notionibus veſtitæ, in iis etiam Lexicis reperiuntur, quæ melioris ſunt notæ. Excerpemus vocum nonnullarum exempla:

Ach! ah! אֲבִי, אֲבוֹי, אֲהָהּ, אֲחִי, אָח, אֲהָהּ. Patet ſignificatus non tantum ex textibus *Can. 1*, ſed etiam xe origine, ab אֲהָהּ, *d. ſid. avit*, *Can. 3*, ex uſu Chald. *Can. 4*, Syr. *Can. 5*, Samaritan *Can. 6*, Arabum *Can. 7*, Æthiopum *Can. 8*, Græcorum, Latinorum, & Germanorum *ach! Can. 10* denique ex verſione LXXvirali *Can. 19*. & Vulgata *Can. 20.*

Ackerman n, אִכָּר. *agricola.* Præter textus *Can. 1*, docet id origo a כָּרָה, *foſſ. ite*, *Can. 3*, præſertim apud Arabes *Can. 7*, idem eſt Chaldæis *Can. 4*. Syris & Arabibus. אָ־ר *Can. 5. 7*; acced. cognata Arab. Latin. Græc. & Germ. *Can. 10* & *12*; præformativum eſt א *Can. 14*.

Pag. 86. *Augapfel, pupilla, oder das Schwartze im Auge*, nigrum in oculo, אִישׁוֹן, *Deut. XXXII, 10, Pſ. XVII, 8. Prov. VII, 2, XX, 20.* Nam origo Arabibus eſt *ſpectavit Can. 7*, uſus Chald. eſt is, ut אִשׁוּנָה, אִשׁוּן, *nigrum* denotet. *Breſch. Rabb. S. 33 c. 4*, idem in Targ. eſt בָּבְתָא *Can. 17*.

87. *Abſchneiden*, בָּצַר, *ſuccidit*, patet ex uſu, *Can. 1*, etiam apud *Chald. Can. 4*, Syr. *Can. 5*, Samar. *Can. 6*, Arab. *Can. 7*. & ex cognatis Hebr. Chald. & Syr. *Can 12*. Significatus hic formalis in ſpecie idem eſt ac vindemiare, *Trauben abſchneiden*, metaphorice poſt ſt. item, occaſionem. præcidere, munire terram, accidere, *Can. 2*. Conf. *Gei. pag. 76. 13*.

45. *Bremen*, כָּוָה, Niph. *uſtus eſt*. Eſt enim etiam Chaldæis & Syr. *uſſit*, cum in radice, tum in derivatis.

Brand,

Brand, כי , כְּוִיָּה , מִכְוָה, *adustio*, *Lev. XIII, 24 seq. Jes III, 24*, liquet ex origine; ex cognatis, & ex forma.

Beschliessen, כָּלָה. *absolvit*. Constat ex cognato כָּלַל & Chald. כְּלָא, & ex derivatis atque cognatis Chald. & Syr.

Braut, כַּלָּה sponsa ratione sponsi, ratione soceri autem & socrus nurus. Probat sensum usus Chald. quo vox hæc & כלתא & sponsa, כללא thalamus nuptialis, *Ba. Melz. 101, 2*; patet & ex cognato כלולות, sponsalia, *Jer. II 2*. Radix est כלל, perfecit, ornavit, coronavit, sive a perfectione, ornatu, corona, dicatur sponsa, sive aliunde. Conferunt alii Arab. *texit*, quod sponsæ velatæ & tectæ ad sponsum adduci fuerint solitæ, uti etiamnum apud Orientales moris est. Evolve etiam formam. Pag. 146.

Braut-Bett, אַפִּרְיוֹן, *torus nuptialis*. Probatur, quia idem est Talmudi *Sota 12, 1*. Epistolas sic claudunt: אפריון כמטייך, torus nuptialis sit. Quia convenit radix פרה, fructuosus fuit, apud Hebr. Chald. Syr. & Samar. א est præformativum. Quia convenit etiam Græcum φορεῖον. 162.

Dieb, גַּנָּב, *fur*. Significatus hic indubius est tum ex usu Chald. & Arab. tum ex ordine גנב, furatus est, & versione LXX, ubi גַּנָּב est κλέπτων, fur. 188.

Diebstahl, גְּנֵבָה, *furtum*. Consentit Chald. גְּנֵיבְתָא et גְּנֵבְתָא furtum, a rad. גָּנַב, furatus est. Conf. ratione formæ *Can. 13*.

Fleisch, בָּשָׂר, *caro*. Probamus sensum ex origine בסר sprevit, despexit, quæ apud Chald. & Syr. in pleno est usu. Unde iis est בסר , בשרה , בסרא, caro, *Gen. II, 20, IX, 11, Ps. XVI, 9*, &c. apud Syrum *Lev. XVI, 4. 1 Cor. I, 26. 2 Cor. XII, 7*, &c. Quare, ad rad. Syr. סבר transpositam hic transfugere, 241.

 nihil

Pag. 322 nihil est necesse. Adde, quod omnino caro omnis sit res contemtibilis, &c.

Hund, כֶּלֶב, *canis*. Nam convenit radix, כלב, fuit rabidus apud Syr. & Arab. & Chald. etiam est כלב, כלבא, *Kam.* 92, 2, etiam Syris, Æthiop. & Arab.

336. Satis habemus, hæc speciminis loco recitasse. Literas inde ab I, ex quibus S. Rev. *Klemmius* hic voces nonnullas difficiliores, saltim ut, quod reliquum erat, spateum expleret, tantummodo delibavit; perfectius ac plenius elaboratas in *altera*, quam promisit, *Parte* daturus est. Hæc ut brevi in lucem exeat, optamus, quo inchoata egregia Viri Clarissimi Commentatio ex sententia perficiatur. Est enim assiduum veras vocum Hebraicarum significationes in dies magis magisque corroborandi studium per se ipsum laudabile, magnamque habet utilitatem. Sunt vero etiam scopuli, ad quos in hocce conatu facile offenditur, cum cura evitandi. Non dissimulabimus, sed præ nobis feremus, omnes hasce leges, quas S. Rev. Autor rogavit, rei propositæ plurimum inservire. At hoc etiam nobis dandum erit, certis nullam non finibus ac terminis circumscribendam esse, ne qua ingenio fallendi occasio præbeatur. Utinam Philologorum aliquis libellum componeret *de eo, quod nimium est in significationibus vocum Hebraicarum investigandis!* Divitiæ linguæ Hebrææ propriæ, quas non multi rite perspectas habent, fundamenti sunt loco ponendæ, propterea quod illæ certiores omnibus reliquis criticis subsidiis jure meritoque judicantur. Dubii fontes, & fictæ origines, quæ in mera conjectura positæ sunt, non temere recipiantur. Causa in promtu est: nam, quæ dubia & conficta sunt, ea tanta non possunt virtute valere, ut certam notionem, quam quærimus, in lucem proferant, firmentque. In hoc itidem studio etiam atque etiam cavendum, ne causæ ac rationes notationum dentur, quæ parum habeant firmitatis & roboris, & ejusmodi

modi re vera ſunt, ut a ſeverioribus Philoſophiæ magiſtris rideri queant. Liceat publica de natura linguarum, Hebrææ etiam, judicia ſtatuere. Fas ſit, leges quoque ferre, quas in vera & genuina Λέξεως Hebraicæ poteſtate ante oculos poſitas, habeamus. At enim, vero leges illæ ac regulæ ita comparatæ ſunt, ut leges ratiocinandi ne violent. Sic aſſenſum vix & vix quidem hæc merebitur ratio : בשר ſignificat *carnem*. Cur? quia eſt a Chald. & Syr. בסר, *ſprevit*, *contemſit*. *Caro* vero eſt *res contemtibilis*. Bella ratio! Nemo erit, qui tam incaute dixerit, *carnem omnino omnem rem contemtibilem* eſſe, quæ tot homines lit & nutriat. Porro vocabulum כלב *canem* deſignat. Quare? quia verbum כלב *rabidum eſſe* denotat. Anne vero *rabies proprium canum*, ut cum Philoſophis dicamus, *in quarto modo* ſit, ut hinc canes nomen veluti proprium nanciſci queant, perinde ut *animal rationis particeps* idem, quod *homo*, ſignificat? Nihil incertius in linguis eſt vocum derivatione. Hinc nihil quoque incertius eſt notione, quæ ex dubia derivatione petitur. Exſtant, ſicut in omnibus linguis, ita etiam in Hebræa, quamplurimæ voces, quarum poteſtas non ex derivatione, ſed ex uſu, pendet, cujus nulla ratio reddi poteſt. Nimium eſt, vocum ſignificationes, quas nemo in dubium vocat, opera moleſte ſedula ex incertis fontibus ducere. Nonne, ſi rem bene putas, certa jam notio incerta redditur, ſaltem reddi videtur? Hoc ſtudium ad ignotas & dubias poteſtates vocum eruendas unice referat, qui pulchrum ducit, rectæ rationi obſequi. Inprimis operæ faciunt pretium, quotquot varias vocum Hebræarum ſignificationes, quæ inter ſe minime cohærere, & a ſeipſis interdum prorſus abhorrere, diverſæque eſſe, videntur, apte ſcienterque conciliant, Id quod fit, ſi primas generales & univerſas notiones, ſeveræ contemplationis ope, ſcrutentur, tumque oſtendant, ex his tanquam principiis ceteras veluti corollaria & con-

clusiones ullo sine negotio duci. Quo labore planum sæpenumero fieri poterit, *ἀντίφρασιν* quandam opinatam in vocabulis quibusdam quæsitam esse, quæ vero nulla sit. Sic v. c. שָׂפָה ex Arab. شفا *omnem rei cujuscunque oram* designat & *extremitatem*. Hæc est *universa* & *generalis* nominis potestas, ex qua *speciales*, in S. Codice usitatas, concludimus: ergo hoc vocabulum jure quodam suo adhibetur, ut significet *extremitatem* 1) *vestium*, hoc est, *fimbriam*, *Exod. XXVIII, 32*; 2) *fluviorum*, sive *ripam*; 3) *oris*, id est, *labium*, *Ps. XXII, 8*, vel ipsum, vel verba labiis expressa, *Gen. XI, 1*; 4) *vasis cujuscunque*, vel *oram* & *marginem*, *1 Reg. VII, 26*; 5) *maris*, id est, *littus*, *Exod. XIV, 30*. Primo quidem adspectu hæ notiones nihil inter se commune habere videntur, cum tamen, re diligentius circumspecta, genus habeant commune, cui tanquam species subjectæ sunt omnes. Hic labor, quo & judicium acuitur, & memoria juvatur, nunquam satis pro dignitate laudari & commendari potest. Vocabula cognata, & linguæ populorum, ad Occidentem spectantium, quoties ad vim vocum simplicem enodandam inter se conferuntur & contenduntur, magna profecto cautione opus est, ne usus quidam ingenii pro certa veritate venditetur. Multa hujusmodi exempla vel ex antiquo *Jo. Avenarii* Lexico, quod eximium hac in re usum præbet, peti possunt. Faciamus, ut oculis exponatur omnium, quam crepera & anceps sit vocum & literarum affinitas, ad veram potestatem inde dignoscendam. Utamur hanc in rem unico specimine: כֶּסֶל notat *stultitiam*, שֶׂכֶל vero cognatum id, quod stultitiæ contrarium est, nimirum *sapientiam*, significat, & *intelligentiam*. Sed manum de tabula.

JO. HARTMANNI DEGNERI, CIVItatis Neomag. Archiatri, & Accademiæ Cæsar. N. C. Coll.

Coll. Historia medica de Dysenteria bilioso-contagiosa, quae A. 1736 Neomagii, & in vicinis ei pagis, epidemice grassata fuit, in qua simul corticis Simarubae & radicis Salab effectus explorantur. Accedit relatio historica, cum Responso Facult. Med. Halens. de morte, per mercurium sublimatum, in emplastro applicatum, inducta.

Trajecti ad Rhenum, apud Steph. Neaulme, 1738, 8 maj.

Plag. 18.

Adeo accurate morbum hunc Celeberrimus Autor enarrat, adeo docte eum explicat, adeo caute prudenterque curationem ejus instituit, adeo candide perspicue, & eleganter, singula edisserit, ut prae multis aliis dignus hic liber nostra nobis commemoratione videatur. Neque vero de quavis dysenteria generatim, sed de illa tantum epidemia, exponit. Praegressa scilicet ab initio Aprilis & per totum Majum, magis vero Junium, diarrhoea biliosa, post adultum Julium dysenteria ea primum erupit, Augustoque mense latius pedetentim sparsa, mense Septembri per universam civitatem Neomagiensem viciniumque agrum propagata fuit. A medio Septembri usque ad finem fere Octobris vehementissime saeviit, deinde sensim decrevit, tandemque mense Decembri desiit. Omnis hinc morbi, sive malignior, sive mitior, fuerit, historia plene traditur, symptomata periculosa indicantur, nec quidquam facile ratione decursus & hominum, iis infectorum, omittitur, quod ad illustrandam mali indolem pertineret. Nos hic inprimis notamus, bonum fuisse signum, si bilis flava, eoque magis, si bilis viridis quocunque morbi tempore, praecipue tamen statim in principio, vel sponte, vel medicamento exhibito, per vomitum, vel dejectiones alvinas, excer-

excerneretur; ſanguinis ſinceri ejectionem per alvum non fuiſſe morbi ſymptoma eſſentiale, & ſimpliciter pathognomonicum, neque tamen mali ominis; pulſum, quocunque tempore intermittentem, vel deficientem, gangrænæ, in inteſtinis jam factæ, & inſtantis, mortis certum ac fallere neſcium ſignum ſemper exſtitiſſe; morbum, in principio graſſationis ſuæ jam ſatis acutum & funeſtum, in ſuo decremento maligniorem fere evaſiſſe, violentioribusque ſymptomatibus ſtipatum inceſſiſſe; nationem Gallicam præter duos viros annoſos, Judæos vero omnes immunes permanſiſſe; omni illo tempore, quo graſſata fuit dyſenteria, omnes alios morbos, exceptis diarrhœa, & variolis, uni alterique infeſtis, ceſſaſſe. Ad rem vero magis illuſtrandam poſtea aliquot exempla lethalis, aut ſalutaris, eventus adduxit. *Cap. II* in cauſas inquirit, ubi initio ſtatim ingenue confitetur, obſcura adhuc & incerta eſſe, quæ tradantur de aeris conditione & habitu ad morbos epidemios generandos, modoque contagionis, neque ſibi ipſi ſatisfieri iis, quæ de hoc argumento allaturus eſſet. Ante omnia vero mali originem ad Deum, tanquam primam cauſam, refert, qui graviſſimis ejuſmodi morbis ob peccatorum gravitatem pœnas ab hominibus repetat, aliorum opiniones & perſuaſiones de morbi cauſis varias recenſens confutansque. Putat vero ipſe, non ab externa corporum ſublunarium putredine, aliave re extra nos, ſed in nobis, & ab interna humorum putreſcentia, naſci ejuſmodi morbum, effectum vero aeris in noſtrum corpus eſſe occaſionem ejus commodam, quatenus ſcilicet in homine, ad ſuſcipiendum morbum jam ſpecifice idoneo, humores ardore ſuo, vel ſiccitate diuturna, ita ſingulariter, & præter naturam, mutat, ut naturaliter blandi in corruptionem abeant acrem & putredinoſam, & variam inde venenoſam indolem adſciſcant, corpusque in ſummum diſſolutionis periculum adducant, ut brevi tempore omnis motus vitalis tollatur. Atque hæc humorum ad diſſolutionem putredinoſam facta

muta-

mutatio a Medicis malignitas, item miasma, fermentum, &c. appellatur, quod non modo adeo specificum est, ut certum tantummodo genus morbi, pro indole & proprietate ejusmodi corruptionis, generare valeat, sed cujus maximum etiam malum in eo consistit, quod semel natum, deinde potentiam sese diffundendi, & per contactum se cum aliis communicandi, secum gerat. Ut proinde morbi fere hæc materia & inquilina acrimonia, quæ initio in homine generatur, & quæ deinde ex uno corpore emissa, in alio corpore sano similem mutationem morbosam efficere valet, primo quidem morbi soboles dici queat, quia non nisi post morbum prius inductum existit; postea vero in reliquis omnis mali sit præcipua & vera causa. Morbus enim tum non amplius ab aere sustentatur, sed contagione per materiam istam, in corpore semel natam, quæ propterea a Nostro contagium dysentericum appellatur, atque ope aeris, tanquam vehiculi, tantum cum aliis corporibus communicatur, tam late spargi & propagari consuevit. Quodsi autem de natura materiæ hujus quæritur; non sufficit, si respondetur, esse fermentum specificum, sed declaranda est indoles illa specifica, a qua morbus suæ speciei proficiscitur, præsertim cum in tam multorum, tamque variorum, affectuum contagiosorum diversitate, quilibet morbus acrimoniam sui generis specificam habere debeat. Enimvero cum propter subtilitatem, quæ omnes sensus humanos fugit, tum propter specialem plane, imo specificum, characterem, quo ab aliis omnibus distinguitur, a priori, ut vocant, natura ejus cognita Medico huc usque nulli fuit, neque spes superest, fore, ut unquam exploretur. Quapropter ex ipso effectu, seu a posteriori, tantum est perspicienda, ut, quotiescunque, effectum unius veneni cum effectu alterius convenire, observamus, similem etiam utriusque veneni esse naturam, concludamus. Ex potioribus itaque symptomatibus, cardialgia subita & summa, constanti vomendi conatu, vomituque ipso, profluvio alvi continuo, bilioso, cruento, purulento,

lento; doloribus intestinorum intensissimis, eorum corrosione sine notabili febre, hanc insequente inflammatione, abrasione, corruptione, gangræna, sphacelo, accedentibus denique singultu, convulsionibus, ipsa morte, quæ omnia intra paucos sæpe dies evenerunt, cum similes effectus a veneno sumto etiam provenire videas, colligit, similem materiam acrem, venenosam, arsenicalis naturæ & indolis, morbum illum dysentericum suscitasse, quæ, quondam intra corpus humanum genita, naturam animalem & volatilem retinuit, venefico suo vapore subtili, secus ac ab arsenico minerali fixo, extrinsecus dato, fit, per poros corporis humani penetravit, aliosque per venenosam suam qualitatem eadem labe affecit. Sedes vero ejus veneni in bile fuit, quæ variis ex causis facile excandescit, putrescit, & ita mutatur, ut acerrimus & corrodens malignusque evadat humor, quod vel cholera satis testatur. Quis miretur itaque, & hoc venenum ex bilis acrimonia & corruptione putredinosa in corpore nostro esse genitum? Posthæc Cel. Autor usum subtilioris hujus disquisitionis in prognosi, & methodo medendi ostendit, eosque Medicos, qui hic motus congestorios, a natura sapienti institutos, comminiscuntur, reprehendit. *Cap. III*, morbi curationem traditurus, aliam atque aliam dysenteriam aliam quoque atque aliam medendi methodum requirere, sapienter monet, & de difficultatibus medicationis rationalis in morborum præcipue epidemiorum initiis, ingenue, sed docte & accurate, differit, curandique methodum causæ esse accommodandam ratus, in dysenteria ejusmodi biliosa præcipit, ut saburra illa contagiosa biliosa ante omnia ἄνω, vel κάτω, e corpore proscribatur, prout alterutrum, vel utrumque etiam, prudentia Medici fructuosius esse judicet. Ex emeticis ut tutissimum & optimum radix Ipecacuannæ, in pulvere data, præcipue locum habet, causa morbosa in primis viis adhuc obhærescente, &, quod notandum est, partibus solidis nondum affectis. Ita tempestivum, & pro morbi conditione iteratum quoque, ejus usum sæpenumero expertus, cau-

telas

telas in ea danda copiose enarrat. Ad alvum evacuandam tutissimum hic & selectissimum habetur remedium Rhabarbarum, quod simul leniter corroborat, imo specifica in biliosis præcipue dysenteriis virtute excellit. Rarius eo in pulverem redacto, creberrime tinctura ad mentem *Rolfinckii* parata, largiusque data, usus est, fluxu in plerisque sub hujus usu imminuto, ut proinde illam, ob præstantissimam in hoc aliisve morbis virtutem, remedium non humanum, sed divinum, appellet. Præmissis his, vel alterutro, vel utroque, ea in subsidium veniant, quæ acrimoniam biliosam porro infringant, corrigant, & simul læsionem, ab illa saburra inductam, tonumque intestinorum debilitatum, restituant. Primum vero erat, quo utebatur Noster, antidysentericum aliquod novum, scilicet cortex quidam Americanus, huc usque parum cognitus, Simaruba dictus, in *Historia Acad. Reg. Scient. Paris.* & *Commercio literar. Norimb.* commendatus. Drachmas ejus duas in s. q. aquæ simplicis, ad remanentiam unciarum octo decoxit, & terna quavis, vel quaterna, hora ad unciam unam, vel duas, pro circumstantiarum ratione, per aliquot dies continuos, seu ad plenam convalescentiam, propinavit. Effectus fuit lenis, et propemodum insensilis, ac, quamvis non tam festinus, ut Parisiis, quod tamen & vitio forsan Corticis debetur, tamen in morbo curabili utilis non vulgari modo, magis tamen in fluxu sanguinis, & materiæ purulentæ, quam biliosis excretionibus, compescendis. Interdum ex tinctura Rhabarb. decoctum hoc sociavit Autor, pulvere corticis nunquam usus, de quo plura hic & copiose exponuntur. Quibus incassum adhibitis, ubi ob tonum intestinorum nimis debilem flaccidumque, & fluxum magis passivum, usu potius roborantium, aut fortius adstringentium, opus fuit, Cort. Cascar. vel in pulvere, vel tinctura, atque, hoc etiam irrito, succum Catechu vel in pulvere, vel tinctura, reliquis formulis adjunxit. Quod ad medelam symptomatum attinet, adversus torminum atro-

ciam præcipue remedia oleosa, inprimis oleum lini, item clysteres lacteos & oleosos, item Gummi Arabicum & Tragacanth. felici utplurimum successu, in usum vocavit. Omnibus tamen palmam præripuisse videbatur remedium plane novum, & paucissimis adhuc Medicis notum, mucilago nempe radicis Salab. Nulla facile ejus radicis in Medicorum libris mentio exstat, præterquam quod in *Alberti Seba Thesauro rerum naturalium* variæ ejus species describuntur. Specie externa quammaxime tam ratione magnitudinis, quam figuræ, inter se discrepant hæ radices. Quædam enim illarum oblongæ dactylum quodammodo referunt, eo tamen minores existunt. Quædam, his ipsis minores adhuc, fructui Cacave, aut etiam fabis Arabicis Coffe, forma & magnitudine sunt similes. Aliæ cordis, aliæ alias, habent figuras, easque informes. Colore sunt vel albicante, vel subluteo, aliquantum pellucidæ, nulla pelle tectæ, odoris expertes, nec alio sapore præditæ, quam viscosa & mucilaginosa, nec aliter hæc, perquam tamen lente, in ore contra radicum naturam totæ liquescunt, diuque palato adhærent. Specie externa fructum magis referre videntur. Si hujus radicis, in subtilissimum pulverem redactæ, drachmæ uni unciæ octo aquæ calidæ affunduntur, leni calore supra ignem ea solvitur, &, per linteum expressa, a paucissimis fæcibus repurgatur. Ita abit in pulcherrimam gelatinam mucilaginosam. De hac singulis 2, 3, vel 4, horis capiatur cochleare dimidium, vel plus minusve, prout necessitas exigit. Hæc acrimoniam biliosam commode involvit, temperat, doloresque lenissimo modo mulcet, & mitigat, partibusque solidis adhærescens, arrosa intestina, tanquam balsamo lenissimo, delinit. Adversus alios etiam morbos commendatur, digna utique diligentiori experimento. Narcotica Noster admodum suspecta habuit, atque lenissima etiam, ut Sirup. Papav. alb. & Theriacam, non admodum tuta comperit. In dysuria, vel strangiis, Balf. Sulph. simplex vel Anis. in motibus febri-

febrilibus lenia diaphoretica præcipitantia atque absorbentia, adversus abdominis spasmos doloresque, & alvi fluxum, nonnulla externa, neque tamen hæc cum adeo singulari efficacia, adhibita fuerunt. Hinc vero diætæ regiminisque rationem, & medelam adversus morbi reliquias, ulcera intestinorum fœtida, maligni moris, cancrosa, in quibus Gummi Arabicum præcipue egregie valuit, item cœliacam, œdemata pedum, & abdominis tumorem, enarrat, methodumque suam tutam fuisse, & ab aliis quoque Medicis absentibus cum fructu adhibitam, tribus præcipue casibus testatur, empiricas & tumultuarias curationes & remedia domestica longo ordine percenset, ac dijudicat, pauca etiam de remediis, A. 1702 usurpatis, subnectit. *Caput IV* curationem prophylacticam complectitur, putatque Noster, iisdem remediis averruncandum esse morbum, quibus curatur. Quapropter eo etiam consilio ex remediis tincturam Rhabarb. plurimum extollit, alias vero separationem infectorum a sanis quammaxime præ ceteris omnibus commendat. Quæ vulgo etiam hoc fine crebrius adhiberi solent, commemorat simul, & sub examen revocat. *Capite* denique *V* cautelas & observationes tradit, & permulta, quæ ad morbi indolem, & remediorum tam noxios, quam salutares, effectus, pertinent, persequitur, erroresque ac præjudicatas opiniones notat, ac de dysenteria extremum Campensi & Ripenensi paucis agit. Post hanc traictationem tristissima contexitur historia matronæ nobilis, cui a circulatore ignarissimo & audacissimo mercurius sublimatus valde enormi & indefinita quantitate externe cum emplastro femori applicatus fuit. Quo facto, statim corpori adhæsit, & in duobus diversis locis partes corrosit, erosit, magnumque vulnus, ac super hoc escharam, cum tumore & inflammatione adeo ingenti, excitavit, ut etiam tumorem cum eschara post ipsum ægrotæ decessum, atque adeo post intervallum tot dierum, duorum pugnorum magnitudinem æquaverit.

rit. Atque ita non tantum intolerabiles cruciatus concitavit, ſed etiam ulterius in corporis & ſanguinis maſſam penetrans, genus nervoſum ingentibus ſpaſmis & convulſionibus afflixit. Sic progrediens in interiora, inprimis in ſtomachum & fauces ſe inſinuavit, ibique multarum turbarum origo exſtitit, nempe cardialgiæ, nauſeæ, vomitus, anguſtiarum, & ardoris ſummi, tumoris & inflammationis in capite & collo, difficultatis loquendi & degluitiendi, vacillationis dentium, ſalivationis immodicæ, ſalivæ primo limpidæ, deinceps cruentæ, hæmorrhagiæ oris & faucium notabilis, exulcerationis in partibus ſolidis, denudationis in oſſibus & maxillis, lapſus dentium ſpontanei, oris & fæcum alvinarum fœtoris ſummi. Tandem mercurius ſublimatus in ipſas cerebri membranas penetravit, ibique vim ſuam exercuit inſignibus capitis circa tempora doloribus, vigiliis continuis, abalienationibus mentis, & deliriis levioribus, ſuſcitatis. Hæc ſecuta eſt ſumma virium imminutio & ceſſatio, angores animi, ſudor frigidus, utpote indicium gangrænæ & ſphaceli in partibus internis, donec tandem mors luctuoſæ huic tragœdiæ finem attulit. Cel. itaque Autor initio tractationis vehementer, at juſto ardore, nebulones illos medicaſtros, præcipue tonſores, inſectatur, deinde noxas Merc. ſubl. etiam externe applicati luculente commonſtrat, tum univerſi tragici caſus hiſtoriam, per dies ſingulos eundo, exponit, tandemque reſponſum Ordinis Medicorum Halenſium repetit, quo circulator ille luctuoſæ mortis cauſa declaratur.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD diverſos (familiares vulgo vocant) Libri XVI. Recenſuit, novis argumentis, quæ Commentariorum loco eſſe poſſunt, ſuisque critico-antiquariis obſervationibus, illuſtravit, JO. NIC. FUNCCIUS, Marpurgenſis.

Marpurgi Cattorum, literis et ſumtibus P. C. Mulleri, 1739, 8. Alph. 2 plag. 17.

Plu-

Plurimi sunt, qui *Ciceronis* has Epistolas jam antea nobis illustratas dederunt. Exstant *Victorii*, *Corradi*, *Manutii*, *Gronovii*, *Grævii*, *Cellarii*, & complurium aliorum, commentationes. Isti omnes, pro suo quilibet genio ac modulo, conatus suos præclarissime impenderunt. Neque tamen verendum est, ne ita quælibet exhauserint, ut nihil addendum reliquerint eruditissimo *Funccio*. Veterem is cum *Cellario* servavit Epistolarum ordinem, quem procul dubio a *Tirone*, *Ciceronis* liberto, secundum eos, ad quos scriptæ fuerint Epistolæ, institutum esse, arbitratur. Fuerunt autem, qui *Tironis* istius nodi operam negligentiæ accusarent, &, secundum annos ac tempora, quibus ad diversos essent datæ, Epistolas, mallent, dispositas fuisse: quod ita melius de ipsa historia constaret. Hinc etiam Noster *Hieron. Ragazonii* conjecturam, quo Epistola quæque scripta sit ordine, ad calcem addidit libelli. Contextum præterea illibatum, &, qua fieri potuit, cura & solicitudine quam emendatissimum exhibet. Codices manuscriptos haud pervestigavit; neque enim credidit, post exantlatos tot ac tantorum interpretum labores denuo quidquam observandum fuisse, quod opus jam absolutissimum non attereret magis, quam illustrius atque ornatius redderet. In plerisque igitur secutus est *Petrum Victorium*, *Jo. Georgium Grævium*, atque *Christophorum Cellarium*. Variantes lectiones ex aliis indicavit. In annotationibus suis præcipuam operam dedit, ut, quæ linguæ Latinæ sunt propria, explicarentur, ac demum ut, quæ ad historiam & prudentiam civilem spectant, constarent. Sed agedum, has ipsas paululum consideremus. Ad *Lib. I Ep. 1* annotatur, *Lentulum*, ad quem Epistola scripta est, cognominatum fuisse *Spintherem*, quod, ut apud *Festum* legimus, genus est muliebris armillæ. Propter similitudinem *Spintheris* cognomen accepit ab histrione, ita vocato. *Tullius* autem, cum videretur contumelia, nunquam eum ita compellavit, quod *Cæsar* tamen fecit *de Bello civili Lib. V*, & *Sallustius* in *Bello Catilinario*. Ad *Lib. II Ep. 3 munus* vocatur,

catur, quodcunque per liberalitatem ac benevolentiam alteri datur. Vulgo, qui opibus valebant, ad rogum in funere parentum dare solebant gladiatorium munus: quo adeo Diis Manibus litari credebant, simul atque gratiam captabant populi. Neque solum gladiatorum præbebantur certamina, verum & alia spectacula, maximis sumtibus & ambitiosa liberalitate apparata. Et numos distribuere, & epulum dare, & alia magnifice ad luxum comparare, studebant. Pantherarum pariter in ludis frequentior usus. Quicquid etiam hac Epistola monuerit *Tullius*, *C. Curio* funebri patris munere, cum opibus & apparatu *Scaurum* superare non posset, ingenio magis utendum putavit. Theatra duo juxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque, antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ, & repente circumactis ut contra starent, postremo jam die descendentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Vid. *Plinius Hist. natur. Lib. XXXVI Cap. 15*. Et hujus theatri *Cœlius* meminit *Lib. VIII Ep. 2 n. 4*. Atqui ad hos ludos etiam *Patiscus Curioni* decem pantheras misit: quas ipsas, & alias Africanas decem, *Cœlio* donavit *Lib. VIII Ep. 9 n. 7*. Ad *Lib. III Ep. 8* de voce *præclarissime* notatur: Cum vocis significatio ipsa compositione augeatur, ut præclare idem sit, quod clarissime, vel Autoris scriptum incuria, vel insolens verbum *præclarissime* videretur, istud nisi & aliis locis reperiatur, *Orat. pro Milone Cap. 35*, & apud *Hirtium* in *Bell. Alex. Cap. 30 & 47*. Ad *Ep. 8* ad loquendi modum, *domum ad meos literas mittam*, quasi, inquit, *ad me*, eamque lectionem, quam *Victorius* primum invenit, maximi quique Critici non modo veterum Codicum genuinam asseverare, verum & in ea tantum elegantiæ *Tullianæ* notam jactitare, conantur. Neque, ut *Gebhardus* loquitur, hujus venustatis vim capiunt, qui scripturam istam agnoscere & amplecti nolint. Scio, Latinos aliquando ex metonymia adjuncti possessorem cum re possessa, adeoque haud raro pronomina *ego*, *tu*, *sui*, & *meus*, *tuus*, *suus*, commutare. Ita *Plautus Pseud. II 4, 45, a me possum dare; Trinum. I, 1 2, 145, a me argentum d. di; Persius Satyr. IV* extr. *tecum habita; Plautus Menæchm. V, 1, 1, repente expetit me ad sese irem; Cicero Orat. pro Milon. Cap. 19, divertit Clodius ad se ad Albanum.* Hoc vero loco nihil mutandum censeo. Obstat veterum librorum fides, loquendi ratio, & perpetua ipsius *Tullii* consuetudo, contra quam nulla potest valere figura; sententia ipsa, ecquis enim, si vel maxime omnes *Tullii* veneres possideret, *literas*, scripserit, *domum ad me mittam?* quod tautologum esset; *ad meos* ubique obvium. Atque ex istis paucis exemplis ad reliquorum conditionem consequentia facile valebit, indidemque, quod sub initium percensionis scribere meminimus, nemo non Lectorum, non temere collocasse operam suam Cl. Editorem, vel sine admonitionibus nostris, colliget.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio X.

A NEW PANDECT OF ROMAN CIVIL Law, as anciently established in that Empire, and now received, &c.

hoc est,

JO. AYLIFFE, LEGUM DOCTORIS, Novæ Pandectæ Juris Romani Civilis, uti olim in isto imperio est constitutum, & nunc in Europa receptum.

Volumen I.

Londini, apud Thom. Osborne, 1736, fol
Alph. 6 plag. 15.

Est hoc opus triginta annorum, cujus *Volumen primum* Doctissimus Autor erudito orbi hic offert, eo animo, ut completum Juris Romani Civilis Corpus & Systema exhibere possit. Dici autem vix potest, quam alte hoc Jus Romanum dictus Autor in toto suo libro extollat, asserens, id quidem primario ac primum soli populo Romano proprium & peculiare fuisse, sed propter insertas prudentes regulas, ac civiles institutio-

nes, partim a Græcis acceptas, partim ex ſana ratione & conſenſu totius generis humani, petitas, jus univerſale totius orbis & legem legum merito audire. Et hac occaſione præmittit integram tractationem de origine & progreſſu Juris Civilis Romani, in quo docet, tum, cum urbs Roma condita fuerit, nullas plane ſcriptas leges exſtitiſſe, ſed omnia adminiſtrata & peracta eſſe *manu regia*, & ſecundum Regum liberum arbitrium usque ad eorum expulſionem. Poſtea A. U. C. 300 decretum a Senatu Romano ad inſtantiam *Titi Romilii* & per Plebiſcitum autoritate publica conſtitutum eſt, ut decem viri in Græciam mitterentur, qui leges omnium optimas, inprimis Atheni nſium & Lacedæmoniorum, tranſcriberent, & poſt reditum in XII Tabulas dividerent: id quod fundamentum fuit & materia prima omnium Legum Romanarum Civilium. Cum autem Leges hæ XII Tabularum non ſufficerent ad decidendas omnes in univerſum obvenientes cauſas, auctum fuit hoc Jus Romanum partim per Plebiſcita, quæ in ſeceſſione vel in montem ſacrum, vel in montem Aventinum, vel Janiculum, plebejo magiſtratu interrogante, conſtituta ſunt, eaque, lege *Hortenſia* lata, non minus valere, quam leges, cœperunt, partim per Senatusconſulta, quæ Senatus juſſit atque conſtituit, partim per Edicta Prætorum annua primum, poſt ex Lege *Cornelia* perpetua, partim per interpretationem Prudentum, partim per actionum formulas ſolennes in judicio, partim per Reſponſa Prudentum, & eorum, quibus permiſſum erat de Jure reſpondere. Ita Jus Romanum comparatum erat, ſecundum noſtrum Autorem, in ſtatu populari & durante Republica libera; ſed longe aliam induit faciem in ſtatu monarchico, in quo tres cumprimis notandæ veniunt epochæ, quarum *prima* eſt gentilium Imperatorum usque ad *Conſtantinum Magnum*, ſeu A. 306, *ſecunda* a *Conſtantino M.* usque ad *Theodoſium* Juniorem, ſeu A. 435, *tertia* ſequentium Imperatorum usque ad *Juſtinianum*, ſeu A. 527. Circa has imperii conſtitutiones obſervat Autor

tor noster, quod illa Rescripta, quæ ante tempora *Constantini*, & donec sedes imperialis Romæ fuit, emissa fuerunt, longe concisiori, elegantiori, & nervosiori, stilo scripta sint, quam ea, quæ post translocationem sedis imperialis Constantinopolin factam condita, sicuti videre est ex Constitutionibus *Martiani*, *Zenonis*, *Anastasii*, *Justini*, atque *Justiniani*. Tandem recenset Interpretes atque Commentatores Juris Romani, inter quos Seculo XIII eminuit *Accursius*, coryphæus Glossatorum, & Seculo XIV *Bartolus* & *Baldus*, ac post hos Duumviros *Angelus Perusinus*, *Baldi* frater, *Salycetus*, *Alexander*, *Paulus de Castro*, *Franc. Aretinus*, *Decius*, & alii.

Hoc præliminari sermone satis amplo finito, transit Autor ad rem ipsam, & dispescit totum Opus in *IV Libros*, quorum *primus* a *pag.* 1 usque ad *pag.* 58 generalia complectitur de justitia & jure tam publico, quam privato, de jure Naturæ primævo & secundario, de consuetudinibus, rescriptis, & privilegiis, de æquitate in genere, tam naturali, quam civili; deinde tria objecta juris, ad mentem *Justiniani* & *Triboniani*, commemorat, ac *Lib. II pag.* 59 — 260 incipit de *primo*, nempe personis, agitque de statu, qualitate, & conditione hominum, quem statum variis modis considerat, vel ut *civilem* respectu libertatis, civitatis, & familiæ, vel ut *naturalem* respectu sexus, nativitatis, ætatis, atque generationis, cui pluribus subjungit materiam de magistratibus Romanis tam in genere, quam in specie, de Imperatoribus, Regibus pluribus & Principibus, de Romano Dictatore, de Consulibus, de Præfecto urbi, de Prætoribus, de Censoribus & Quæstoribus, de Romano Senatu, & in fine de Legatis, ac eorum prærogativa, privilegiis, & admissione, multum differit. Porro *Lib. III* considerat res, tanquam alterum objectum juris, agitque de rerum divisionibus, quas dividit 1) in eas, quæ in patrimonio hominis sunt, & quæ non sunt, 2) in res sacras, sanctas, & religiosas, 3) in res corporales & incorpo-

rales, 4) in res legitimas & illegitimas, & 5) in res ordinarias & extraordinarias; deinceps loquitur de bonis tam mobilibus, quam immobilibus, de dominio, peculio, servitute, & usufructu, nec non de donationibus, de testamentis, substitutione, & successione ab intestato, atque exhæredatione. Tandem *Lib. IV* a *pag. 419* usque ad finem agitur de obligationibus in genere, earumque divisionibus, de contractibus, ac eorum variis speciebus, ut & delictis publicis pariter & privatis. Non autem animus fuit, omnia, quæ ab Autore adducta sunt, hic percensere & excerpere, tum quia hoc nimis longum, & scopo nostro plane adversum, esset, tum quia multa trita sunt, & in omnibus fere Compendiis Juris exstant.

JOANNIS PHILIPPI HEINII, S. TH. Doct. & Prof. Rect. Gymn. Regii Joachimici, Dissertationum sacrarum Libri duo.

Amstelodami, excudunt Jacobus & Gerardus Borstius, 1736, 4.
Alph. 2.

Cum haud vulgarem merentur laudem Viri docti, qui in observationibus & animadversionibus suis sacris evulgandis nostra ætate maxime elaborant, quibus sæpe illa, quæ in grandioribus voluminibus intacta manserunt, cum studio excutiuntur; tum vel maxime præconio nostro dignus videtur Cel. *Heinius* editis suis, de quibus jam dicturi sumus, Dissertationibus. Summa cum laude is munere Professoris in Gymnasio Joachimico, quod Berolini est, fungitur, qui antea de Gymnasio illustri, quod Halæ Saxonum floret, historiam & antiquitates sacras docendo, bene meritus fuerat. Ibi jam Seculi hujus anno decimo sexto Observationes nonnullas, dilucidandis rebus sacris idoneas, prelo paraverat. Molitus enim tum erat bibliopola quidam Halensis novam variorum scri-

ſcriptorum collectionem, per faſciculos edendam, quibus & edita & inedita insererentur. Huic collectioni nonnullas obſervationes ſacras adjecerat S. Rev. *Heinius*; diſplicuit ipſi tamen poſtea, ut in Præfatione fatetur, hoc inſtitutum ideo, quod libelli grandiores faſciculis adſuerentur, qui mole ſua Diſſertatiunculas ipſius obruebant, & lectorum quaſi oculis ſubtrahebant. Meliori propterea conſilio illas, quas poſtea elaboravit, Diſſertationes miſit Amſtelodamum edendas, editasque tractationes interea cum ineditis combinandi conſilium cepit, ut adeo poſt varios caſus Diſſertationum *Volumen* hoc *primum* prodierit. In *duos Libros* diviſit has lucubrationes, ex quibus octo priores *Libri I*, & *Diſſertatio XI* & *XII Libri II*, novæ ſunt. Non negamus, varia in his laboribus Viri Cl.i occurrere, quæ ſatis venuſta & utilia ſunt ſacrarum rerum ſtudioſis; nec tamen diſſimulare poſſumus, varia etiam in his deprehendi, quæ propter novitatem, & ingenii abundantiam, ſeſe non omnibus commendabunt eruditis. Sed non multum movebitur Cel. Autor aliorum diſſenſu, ſiquidem ipſe in Præfatione monet, ſe ſuas ſententias nemini obtrudere, &, ſi quis ſuis argumentis non convincatur, illi diſſentiendi libertatem tribuere, nec cum quopiam contentionis ſerram velle reciprocare. *Alterum* præterea *Volumen* retractationes & illuſtrationes harum Diſſertationum, cum novis argumentis, ſuo tempore edendum, continebit. Ut Lectores vero noſtri, quid in his inſit Diſſertationibus, intelligant, operam dabimus, ut potiora momenta paucis repetamus, & modeſte conſideremus. *Libri primi Caput I*, quid miniſterium ſolis & lunæ ſit *Gen. I, 14*, declarat, &, quid per ſigna & ſtatuta tempora intelligendum ſit, exponit. Initio refert Cl. Autor, interpretes per אותות intellexiſſe vel miracula, quæ in ſole ac luna contingunt, vel portenta, quæ malum orbi portendunt, vel ſigna prognoſtica ſerenitatis, aut tempeſtatis, pluviæ, &c. vel ſigna, quæ coloni in ſerendo & metendo, nautæ in navigando, obſervare de- Pag. 1.

 bent,

bent, vel momenta, quæ alias horarum minuta vocantur, vel quatuor anni tempeſtates. Sed omnes has ſententias rejicit, & potius eclipſes, ſeu deliquia luminarium, intelligit, nec curat, quæ contra hanc ſententiam diſputaverit *Scaliger*. מועד tempus ſtatutum certum notat, &, h. l. deſignari, credit Autor novilunia & plenilunia, & ſynecdochice ipſos menſes, reliquosque fere omnes inter-
Pag. 9. pretes reprehendit. *Cap. II* magna probabilitatis ſpecie adſtruere laborat, parentes generis humani unum modo diem in Paradiſo commoratos fuiſſe. Argumentis undecim hoc probare conatur, & quidem initio ex ſermone diaboli, illius quæſtionis ſenſum eſſe, putat, num Deus omnibus arboribus edendis illos interdixerit, cum vidiſſet, illos omni alimentorum genere abſtinuiſſe. Ex quibus concludit, primos parentes non ultra diem in horto Edenico ſubſtitiſſe. At, cum ille ſenſus verbis ſerpentis temere & præter Scripturam affingatur, nobis hoc argumentum non illud probare videtur, quod Autor contendit. Ejusdem quoque generis reliqua ſunt argumenta, quibus ſuam ſententiam fulcire laborat, ubi producit 2) reſponſum *Evæ*, quæ de futuro tempore locuta fuerit, נאכל, *comedemus*, &c. 3) *Evæ* appetitum, 4) quia primi parentes ab arbore vitæ abſtinuerant, 5) opportunitatem temporis urget, 6) teſtimonium Chriſti, qui, ἀπ' ἀρχῆς homicidam diabolum fuiſſe, aſſerit *Jo. VIII*, 44. 7) neglectam ſeminis propagationem, 8) & 9) ſilentium *Moſis*, 10) *Pererii* ſententiam, & 11) comparationem Chriſti cum *Adamo*. *Adamus* ſexta die eſt creatus, & ſimul lapſus, inde & Chriſtus ſexta die paſſus eſt. Interim tamen negat, hujus ſententiæ poſſe ſubſidium peti ex *Pſ. XLIX*, 13. אדם ביקר בל ילין. Tandem *Pererii*,
25. *Burmanni*, & *Gatakeri*, objectionibus reſpondet. *Cap. III*, ſerpentem, autorem lapſus & peccati, diabolum fuiſſe, nec tamen ſerpentis exuviis ut larva tectum comparuiſſe, aſſerit. Hac meditatione demonſtrare ſtudet Autor,

tor, serpentem, cujus *Moses* in historia tentationis meminit, neque fuisse spectrum serpentis, cujus figuram Satan induerit, nec serpentem verum, sed ipsissimum Satanam, qui suo veneno totum genus humanum infecit & afflixit. Variis sententiis eruditorum rejectis, non satis liquere putat, qua forma diabolus *Evæ* apparuerit, probabile tamen videri, eodem modo diabolum *Evam* allocutum fuisse, quo Deus hominem compellaverat, ut homines, illum unum ex angelis esse, hariolari potuerint. Diabolum etiam tum in censu angelorum fuisse, nec adhuc ex cohorte cœlestium in tartara detrusum, sibi persuadet S. Rev. Autor. *Caput IV*, *Enochum* non de judicio novissimo, sed diluvio, tellurem *Noachi* ævo inundaturo, vaticinatum, adstruit. Rem valde claram esse, ostendit Autor, mıraturque, eam viris doctis non animadversam. Supponit 1) tanquam certissimum, *Judam* suæ Epistolæ materiam & argumentum ex posteriori *Petrina* depromsisse. Deinde 2) ex eo probat, quod Prophetæ soleant ea judicia, quæ proxime instant, tanquam longo post tempore futura, prædicere; 3) ex nomine filii *Methuschelah*, 4) ex antiquissima traditione, 5) ex ipsis vaticinii verbis, ubi ἰδὲ rei accelerationem innuit, &c. Tandem & antediluvianos ab atheismo, idololatria, & hæresi, liberat, concedens tamen, illos profanos, impios, luxuriosos, & violentos, fuisse. *Cap. V* docet, præter octo animas, quas Scriptura S. expressit, in arca *Noachi* alias quoque servatas fuisse. Cl. Autor pro sua opinione maxime urget, *Noachum* virum magnæ autoritatis, magno servorum numero stipatum, fuisse; probabile esse, quod uxor, nurus, & filii, delicate educati fuerint, labori non assueti, & ministerio ancillarum & servorum usi; porro in *Noachi* gratiam Deum servis quibusdam vitam donasse. Respondet simul objectionibus, quæ desumuntur e silentio Scripturæ S., & exempla adducit, ubi Scriptura mancipiorum non faciat mentionem. Numerum expressum semper exactum esse, demonstrat, &, servorum vilissimam conditionem, ministerium arcæ,

Pag. 54.

73.

arcæ, item artes post diluvium excultas, servitutem postdiluvianam, gentium servarum ortum, pro se pugnare, existimat.
Pag. 85. *Cap. VI* agitur de velo, quo Sanctum a Sanctissimo separabatur, ubi multis erroribus & fabulis ejus historia purgatur. Prolatis variis hujus veli nominibus, locum *1 Reg. VI, 31*, ubi de velo in *Salomonis* templo agitur, explicat. Postea traditionem sistit Judæorum de velo duplici templi secundi. In hac tamen traditione observat Cl. Autor, temere fingi crassitiem muri intergerini, dubitationem architectorum, duplex velum, veli crassitiem, annuam reparationem, spatium intermedium, & conspergendi rationem.
92. *Cap. VII* eruuntur ex *Jobo* historiæ antiquissimæ notabilia fragmenta, adstruendæ veritati scriptorum *Mosaicorum* valde idonea. Cl. Autor in hac observatione sibi visus est varia momenta *Mosaicæ* historiæ in libris *Jobi* invenisse, huncque virum illius veritatem & certitudinem designare, ostendit. Itaque deprehendit in *Jobo* historiam creationis *Cap. XXXVIII, 4, Adami* historiam *Cap. XV, 7, XX, 4*, præceptum divinum, *Adamo* datum, *Cap. XXVIII, 27*, lapsum *Adami Cap. XXXI, 33*, *Abelis* cædem *Cap. XVI, 18*, diluvium *Cap. XII, 15*, turrem Babylonicam *Cap. XII, 14*, eversionem Sodomitarum *Cap. XV, 27 — 30, XVIII, 15—21, XXXVI, 14*, *Pharaonem* Israelitas persequentem *Cap. XII, 23—26, XXII, 16—20, XXVII, 20*, &c. ubi etiam contra *Spanhemium* disputat. Forte in his nonnulla, vidit Autor, quæ alii viderunt nunquam, nec videre etiam facile possint, de quibus hoc in loco disputare, nihil attinet.
107. *Cap. VIII* evincit, *Achmetam*, *Esræ VI Ecbatanam*, Medorum metropolin, designare. Inprimis id demonstrat ex etymologia, rejectis multorum eruditorum sententiis. *Achmetam* quoque memorat non designare lagenam, nec scrinium, nec locum tutum, sed esse nomen proprium.
119. *Cap. IX* proponitur aræ *Mosaicæ* exterioris nova delineatio, qua varii nonnullorum præsertim Iudæorum errores confu-

confutantur. Varie interpretes circa descriptionem aræ *Mosaicæ* errare, cum deprehenderet Autor; operæ pretium esse duxit, illam paullo curatius considerare. Nominibus hujus aræ explicatis, locum & partes ejus expendit. Altitudinem aræ trium cubitorum haud accurate facere Rabbinos, & vehementer in illa definienda *Lundium* errare, multis argumentis contendit. Idem fatum *Relandus* & *Lundius* experti sunt, ubi de reti altaris agunt. Tandem & Rabbinorum placita circa ignem sacrum exploduntur. *Cap. X* etiam nonnullos Judæorum er- Pag.134.
rores & mendacia in rebus antiquitatis convellere laborat. Ostendit vero errorem Judæorum in definienda crassitie auri, quo tabernaculum obductum: qua item occasione *Lundium* perstringit. Porro confutat operculi arcæ fœderis palmarem crassitiem, falsam labri positionem, candelabri aurei altitudinem, mendacium de crassitudine tabularum legis; negat, templum *Salomonis* gemmis fulsisse; sanctitatem templi, a Judæis fictam, canonem Judaicum de summo Pontifice, artibus illiberalibus dedito, non constituendo, explodit; falsum esse tradit, Pontificem Maximum nocte diei expiationum a somno abstinuisse; misericordiam erga damnatos Judæorum, a Rabbinis traditam, qua etiam damnatis vinum myrrhatum dederint, inficiatur, &, quæ de lapidatione traduntur in Talmude, rejicit, subinde *Lundium* eosdem errores errare, observans. Sed pergimus ad *Librum II*, in cujus *Capite I* no- 148.
dum valde perplexum *1 Sam. XIII, 1*, ubi *Saul*, regno admotus, unius anni fuisse asseritur, nova conjectura Autor solvit. Locus ita sese habet: שאול בן שנה־בכלכו, quæ verba reddit Autor noster: *Saul* annum natus erat, cum inciperet regnare. Interpretes Rabbinos in consilium advocat, *Lutherum* reprehendit, & tavtologiæ accusat, aliosque non verum horum verborum sensum esse assecutos, putat. Non quidem negat, *Saulem* natu jam magnum, & non puerum, fuisse, cum regnum capesseret, sed credit, inter בן & שנה notam numeralem esse omissam, putatque, fieri non potuisse, ut, cum reliquorum Regum æ-

tas ſatis diſtincte fuerit annotata, ſolius *Saulis* fuerit o-
miſſa; inde concludit, ſacrum Scriptorem, ſcribentem
בן, hæſiſſe, quot annos fuerit *Saul* natus, & propterea
lineam duxiſſe, in cujus locum aliquando voluerit annum
ſubſtituere, qui, cum monumenta vetera perquireret, nihil
invenit, tandem, antequam ſupplere locum poſſet, mor-
tuum eſſe Prophetam: quo facto deinde illa linea in line-
am *Maccepb* fuerit mutata. Nos valde dubitamus, an
hoc modo iſte nodus poſſit ſolvi, &, quamvis neget Au-
tor, hunc locum corruptionem, aut mutationem, eſſe exper-
tum, tamen non videmus, quomodo cum hac ſolutione
θεοπνευςία Spiritus Sancti, & integritas Scripturæ, con-
ciliari poſſit; quæ tamen hoc in loco uberius diſputare,
Pag.162. noſtri non permittit inſtituti ratio. *Cap. II* iterum a
vulgari opinione recedit, de ænei diametro maris diſſerit,
oſtenditque, illam non eſſe diametrum peripheriæ 30
cubitorum ejusdem maris. Contra illos potiſſimum diſ-
putat, qui Scripturæ in hac re errores objiciunt, hæ-
retque in ea ſententia, diametrum a Scriptura non ha-
beri pro diametro peripheriæ 30 cubitorum, ſed aliam
eſſe diametrum labii, ſeu marginis, aliam medii maris.
167. Tandem *Spinozæ* impia vox refellitur. *Cap. III* er-
rores Judæorum in antiquitatibus ſacris reprehendit, quod
jam *Lib. I Cap. X* fecerat. Reprehendit ſomnia illo-
rum circa pœnam combuſtionis, male illos aſſerere, docens,
ſummum Pontificem, ſacro dum perungeretur oleo, crucis
forma in fronte fuiſſe inſignitum. Porro commenta eſſe
Rabbinorum, quæ de numero aromatum ſacri ſuffitûs tra-
dunt, quæ de hirco *Azazel* ſcribunt, de vitta coccinea,
quæ propter formam vocabatur lingua; hircum, de mon-
te Zuck præcipitatum, eſſe ἔυρημα Rabbinorum; tandem
narratio ridicula de promo condo theſauri ſacri exploditur.
181. *Cap. IV*, *Azazelem*, oſtendit, eſſe ipſum hircum emiſſa-
rium, examinatis Judæorum, *Abarbanelis*, *Bocharti*,
Deylingii, aliorumque, ſententiis, quibus etiam ſa-

tis-

tisfacit, ex sua sententia, non ita modeste hos excipiens,
ut solet alios, inprimis cum non deessent, quae ipsius o-
pinioni possent opponi. *Cap. V* locum difficilem Pag. 192.
Gen. III, 22, exponit; illumque sarcasmo destitui probat;
verbum הָיָה per *fuit*, vel *erat*, reddit; *Adamum* fuisse
ante lapsum, instar Dei, non posse negari, demonstrat.
Cap. VI circa etymum vocis Ægypti est solicitus, &, exa- 206.
minatis doctorum sententiis, credit ex S. Scriptura de-
rivationem petendam, & quidem ex אי כפתור. Caph-
tor fuisse, putat, insulam Ægypti, littoribus vicinam, אי
vero designare insulam: ex quibus duabus vocibus dein-
de Ægyptus fuerit corrupta. *Cap. VII* multis ratio- 214.
nibus asserere conatur, *Adamo* Deum adduxisse animan-
tia, non ut nomina illis imponeret, sed ut conjugem e-
ligeret, id quod ex ipsis verbis *Mosis* elicere laborat.
Cap. VIII disquirit, quae Cadytis Syriae urbs Pa- 232.
laestinae sit, cujus *Herodotus* & *Stephanus* mentionem
fecere, nullamque aliam, quam Hierosolymam, esse, osten-
dit, examinatis atque rejectis *Perizonii*, *Simsonii*, *Cle-
rici*, *Lightfooti*, *Relandi*, sententiis. *Cap. IX* contra 241.
Autorem Observat. Halens. disputat, qui, maxillam, qua
in percutiendo *Simson* fuit usus, militarem cohortem fuisse,
existimaverat. *Cap. X* ostendit, idoli, quod apud *Ter-* 261
tullianum Christianis affingitur, verum nomen esse *Ono-
nychotus*, ubi eruditorum variae sententiae examinantur ac
refelluntur, tandemque, *Onychotus* legendum esse, statuitur.
Cap. IX ex transfigurati Servatoris historia monstrat, 277.
Mosen, ex mortuis suscitatum, non secus ac *Eliam* cum
corpore aeterna beatitudine frui. *Cap. XII* disquirit, 299.
an liceat, Christum agni figura depingere: quod negat,
& variis argumentis, ex Scriptura & antiquitate ecclesia-
stica desumtis, perperam fieri, concludit, si Christus for-
ma agni depingatur. Facile perspicient Lectores no-
stri, in hoc libro non vulgaria deprehendi, Autorem-
que sua laude non esse defraudandum; nec tamen quis

 nega-

negabit, hinc inde occurrere plane singulares sententias, quas nostras facere nunquam audebimus.

EXAMEN DU SENTIMENT DES SS. PERES, & des anciens Juifs, sur la durée des Siecles, &c.

hoc est,

EXAMEN SENTENTIÆ SS. PATRUM, & antiquorum Judæorum, de duratione seculorum; in quo exponitur de conversione animi Judæorum ad Christum, & refutantur duæ Commentationes, una de fine mundi, & altera de reditu Judæorum.

Parisiis, apud Ph. Nic. Lottinum, 1739, 8.

Alph. 1 pl. 1.

Jam olim mortales incessit cupiditas sciendi diem mundi, seu terræ, supremum, ac ruinæ illius documenta, quæ vicem signorum præbent, præcognoscendi. *Malvenda* sub initium operis *de Antichristo*, & *Cotelerius* ad *Patres Apostolicos pag. 44 — 47.* plures laudarunt Scriptores, qui hoc argumentum tractarunt. Ut Autor, nobis, ni sit ipse Dominus *de Dez pag. 520*, adhuc incognitus, huc symbolam conferret, in causa fuit liber, cui est inscriptio: *Le Traité de la Fin*
Pag. 2. *du Monde & des Evenemens qui doivent l'accompagner*, & quem ipse susceperat refellendum. Solent & Orthodoxi & Fanatici consensum Patrum primæ ecclesiæ prædicare, sibique vindicare, quoties de fine mundi commentantur. Hanc ob causam Autor in eo est, ut opiniones Patrum quinque primorum Seculorum exquirat, ac cum eis in contentionem sententias Judæorum adducat. Hæc est summa *Partis prioris*. Cum vero vicissitudi-
4. nem Judæorum lætam soleant Patres & Theologi in hunc usque diem inter prænuntios novissimi diei referre; *Parte*

poste-

posteriori de conversione animi Judæorum ad Christum disserere studuit. *Priori parte* passim revincit ac confutat libellum, ante commemoratum, A. 1737 luci datum, Figuristis oppositum, cujus Autorem errorum arguit, ac criminis, quod plagium appellant, condemnat. Hic e- Pag. 6.
nim cum *Sam. Basnagio Perpetuam* inseruerat numero prophetidum Montanisticarum; in Æonibus Valentinianorum recensendis fuerat halucinatus; ac alia peccaverat. Quo nomine ab Autore recentiori castigatur. Ille omnino ex *Ebr. IV, 3*, opinionem de sex millenniis mundi perperam exsculpere tentaverat. Id tamen inficiari haud licet, veteres ecclesiæ doctores octo periodos constituisse, sextam die novissimo claudendam, septimam a die mortis ad resurrectionis diem, octavam a resurrectione usque ad 30.
perpetuas seculorum decursiones. Differt autem hæc opinio ab illa sex millenariorum sententia, si Autoris calculus fuit recte subductus. *Irenæo* sex illa millenaria fuerunt prolata *Lib. V contra Hæres. Cap. 28 n. 3 pag. 327*, licet nec ipse, nec alii, in enumerandis fidei capitibus eorum meminerint. *Lactantius* opinionem eandem fuit 41.
affectatus. *Cyprianus* ad eandem inclinavit opinionem, ratus tamen, septimum millennium jam ætate sua iniri, ac sex millennia esse completa. De sex millium annorum 47.
summa meminit etiam *Hilarius* in *Matth. Cap. 20 n. 6 p. 709*, alibique, licet ipse eam, ex judicio refutatoris, haud sit amplexus. Si quid judicando assequi valemus, uterque disputatorum contraria nimis amant: prior Patribus plerisque opiniones tribuit, non satis evidenter ubique demonstratas; posterior eas illis nonnunquam detrahit, quibus ipsi fuerunt addicti. *Hilarius* enim omnino favit illis sex millenniis, licet, diei novissimi diem incognitum esse, fateatur. Id vero negare non licet, dispu- 53.
tatorem priorem *Menardum*, *Cotelerium*, *Calmetum*, aliosque, strenue transscripsisse, ac sæpius rem ipsam pervertisse. Posterior vindicat solide *Hieronymum*, *Am-* 56.

brosium, *Augustinum*, *Methodium*, & *Gregorium Nyssenum*, a sex millenniorum opinione. Ab ea omnino plurimi Patrum fuerunt immunes, plures illius veluti conje-
Pag. 96. cturæ meminerunt, pauci ipsam miri fuere. At Judæi veteres ei calculum album adjecerunt, *Eliam* quendam, 152 annis a condito templo secundo florentem, secuti. Autor contendit, A. 1413 Judæos, Tortosam, seu Dertosam, convocatos, opinioni illi favisse, & commemorationem de Synodo illa defensum it adversus *Basnagium*. Objicit antogonistæ plagia, & linguæ Hebraicæ ignorantiam. Annos regni Messiæ ex calculo Judæorum esse
168. incertos, ostendit. *Sohar* liber in sectione *Toledoth Gen. XXV*, A. 1648 Messiam esse venturum, demonstravit, vel potius fabulatus fuit. Autor nil facit reliqui, ut cogat conficiatque, errorem millenariorum a Judæis
183. haud manasse, sed a *Papia* quodam Christiano ortum, qui exstiterit Episcopus Hierapolitanus. *Quarto Libro Esdræ* commentitio errorem illum niti negat, & contrarium
206. tenet. *Hieronymus* in *Jesaiæ Cap. LXV pag. 492* luculente: *Hebræi hæc ante resurrectionem in mille annorum regno per terram futura contendunt.* Idem in *Catal. Script. Eccl. pag. 109* de *Papia*: *Hic dicitur mille an-*
209. *norum Judaicam edidisse deυτερωσιν.* Autor hæc ita exponit, ut priori loco *Hieronymus* numerum certum pro incerto posuerit, & posteriori *Papiam* opinionis illius autorem primum designaverit. At fidem & judicium tuum, Lector, exoramus. Nonne hæc expositio est contorta & violenta? Qui *deυτερωσιν* edit, nonne is repetit opinionem vulgatam? Christiani quidam, hanc opinionem, existimarunt, tradi *Apoc. XX*, ac inde ipsa in ecclesiam Christianam progressum tentavit. Num vero hinc sequitur, Judæos ante hos eam haud fovisse? quæ Autoris est sententia. Ipse de Alabastri *Tuba pulchritudinis* varia affert,
238. lectu non injucunda. *Parte posteriori* Autor ostendit, futuræ Judæorum ad Christum conversioni favere *Erasmum*,

num, *Arnoldum*, *Nicolium*, *Simonem*, *Bossuetum* *Maldonatum*, *Estium*, aliosque Romanæ ecclesiæ Doctores, immo primos ecclesiæ Patres summos. Id autem obelo dignum est, quod perhibet, *Lutherum* & Lutheranos fere omnes huic sententiæ reclamare. Impugnat Auctor Scriptorem libri *Traité du Retour des Juifs*, qui, Patres ei opinioni refragatos fuisse ex parte, tradiderat, eamque refutandam susceperat. Exponit pro Judæorum salute instauranda *Caput XI Ep. ſ. ciæ ad Romanos*, & objectiones dissolvit. Tandem despicit ac refellit calculum quendam, A. 1739 epistola expositum, qua Judæorum conversio ad annum 1748, vel annos proximos, affigitur. Ad calcem suffigit additiones, supplementa, vindiciasque, Vir sane doctissimus, ac in lectione Patrum aliorumque Scriptorum longe versatissimus. 271. 433.

HISTOIRE D' EPAMINONDAS, GENERAL DES Thebains, &c.

hoc est,

HISTORIA EPAMINONDÆ, DUCIS THEBAnorum bellici per Abbatem SERANUM DE TURRE, cum annotationibus criticis & historicis, atque observationibus Equitis, DE FOLARD cognominati, ductoris copiarum pedestrium, in præcipuas Epaminondæ pugnas.

Lugduni Batavorum, impensis Balduini van der Aa, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 3, cum Tab. Geogr. 1.

E*paminondam* scientia, cumprimis bellica, ad æthera & perennem posteritatis memoriam evexit. *Plutarchus* vitam ejus scripserat. At hæc dudum intercidit. Continuator *Amioti*, *L' Ecluse*, jacturam hanc Seculo XVI reparare contendit, licet id haud studuerit, ut fontes,

tes, unde sua hauserat, indicaret. Decerpsit sua Noster ex *Xenophonte*, *Polybio*, *Pausania*, *Justino*, *Plutarcho*, *Cornelio Nepote*, *Diodoro Siculo*, aliisque Autoribus fide plenis, atque in complexum artuumque compagem construxit hortatu nutuque Cancellarii, qui Galliis præsidet. *Librum primum* fere ad finem perduxerat, cum comperisset, Abbatem *Gedoynum* in eodem sudare clivo. Eum propterea adiit, ne uterque simul eandem tunderet incudem. At *Gedoynus* Ven. ei significavit, sibi animum haud esse, in lucem dare plenam de *Epaminonda* rebus expositionem. Orationem hic recitavit de *Epaminonda* in Academia humaniorum literarum ac inscriptionum. Evulgata est hæc, & toto cœlo ab hac historia discrepat. Scripsit idem Historiam *Scipionis Africani*. Monuerunt ad eam nonnihil eruditi. Fatetur Autor ingenue, duos exstitisse *Scipiones Africanos*, ac sese de seniori disseruisse, licet id differentiæ in titulo libri fuisset designandum. Conferri hic dignus est locus *Eutropii IV*, *5*. Fatetur idem, *Horatii* ac *Lucilii* testimonia ad juniorem esse referenda, quæ ipse ad seniorem retulerit. Sed ad *Epaminondam* lubet redire. Chartam geographicam, qua illustrantur ejus facinora, *Bellinus* adornavit. Repræsentat illa Græciam australem, littoribus, nova prorsus ratione conformatis, insignem. Littorum flexus ad notitias nautarum exactus fuit. Corinthum Sicyone tribus leucis Gallicis absfuisse, ex eo conficit *Bellinus* in Epistola, ad Autorem data, Historiæ huic præfixa, quod *Sponius* ab uno horum locorum ad alterum venit tribus horis. Chalcidem inter & Thebas idem sex horarum iter fecit. Unde *Bellinus* colligit, id intervalli duntaxat ad 5, vel 6, leucas patere. *Bellini* epistolam excipit Diss. Abbatis *de S. Petro* de differentiis, quæ virum inter magnum ac illustrem intercedunt. Notæ, viris magnis propriæ, sunt hæ: 1) Magnitudo animi, superandis difficultatibus majoribus accommodata, 2) magnitudo ambitio-

tionis nonullorum, & aliorum fervor maximus, bono publico amplificando invigilans, 3) magnitudo utilitatum, aut benefactorum, quibus ipsi fuerunt usui vel hominibus generatim, vel civibus sigillatim. Ven. Abbas comparat *Alexandrum Magnum* cum *Epaminonda*, ac, hunc illo majorem fuisse, docet, eo quod hic impedimenta majora superavit, ac fructuosiores suis civibus exantlavit labores. In scenam producit *Cæsarem*, *Syllam*, *Catonem*, *Scipionem*, *Cartesium*, *Henricum IV*, Galliæ Regem, aliosque. Viros vero magnos esse illos, docet, qui aut per methodos, aut veritates maximi ponderis, universo generi humano, aut nationi uni, insignia beneficia præstiterint, tum mala propulsando, tum bona procurando. Inter Musicos dari viros in scientiæ suæ limitibus magnos, affirmat; dari illustres, negat. Paulo post vero, veluti sui oblitus, ita disserit: *Homo magnus est nunquam non illustris, sed homo illustris non est semper magnus.* Digna est hæc Dissertatio, quæ, pauculis ad vivum resectis, Parallelis *Plutarchi* præmittatur. Vita *Epaminondæ* ipsa sic est scripta, ut punctum ferat eruditæ civitatis. Notat merito Ven. Autor *Xenophontem* eo nomine, quod hic *Agesilaum* laudibus ita extulit, ut nonnulla *Pelopidæ* & *Epaminondæ* facta egregia silentio Pag. 68.
involverit. *Epaminondæ* nævum haud dissimulat, a studio gloriæ inconsiderato paulo post pugnam Leuctricam contractum. Quo ipso Autor, herois sui sese virtutes exponere, nec tamen imbecillitates tacere, ostendit. Nec omittit de *Pelopida* & *Agesilao* exponere, quorum quippe res gestæ in idem tempus incidunt, ac cum *Epaminondæ* factis conjunctissimæ fuerunt. Fontes raro indicavit, licet eos haud abhorruerit. Gravitatem scripturæ pragmaticam cum elegantia copulavit, nihilque fecit reliqui, ut lectorem permulceret retineretque. Nobis haud 103.
vacavit, sententias singulas ad fidem veterum explorare. Id vero pronuntiare audemus, vitam hanc suffragio com-

Pag.299. muni ſtaturam, ornatam quippe adjecta comparatione, *Epaminondam* inter & *Scipionem Africanum* ſeniorem
305. inſtituta, jam olim a *Plutarcho* tentata. *Epaminondæ* Autor tribuit principatum, quantum & ad artem erudiendi & formandi milites attinet. *Scipio* certe videtur *Epaminondam* in plerisque imitatus. *Folardi* Diſſertationes, quibus prælium & Leuctricum & Mantinæum illuſtratur, ſunt prorſus ad amusſim factæ, ac *Xenophonti* ſuperſtructæ. Vicit *Epaminondas* in utroque loco acie per modum veru inſtructa, ac in medium exercitus hoſtilis adacta. Morem eundem ſervavit Suecorum Rex, *Guſtavus Adolphus*, aciem in Lutzenam inſtructurus.

ANTIQUI ROMANORUM PONTIFIcum Denarii, a BENEDICTO XI ad PAULUM III, una cum Nummis, S. P. Q. R. nomine ſignatis. Nunc primum prodeunt notis illuſtrati a BENEDICTO AB FLORAVANTE.

Romæ, ex typographia Bernabo, 1738, 4.

Alph. 1 plag. 7, Tabb. 34 num. æri inciſ.

Triginta Pontificum Romanorum hic exhibentur Denarii, lætisſima luce perfuſi ac illuſtrati. Initium recenſionis Ven. Abbas isque Autor, fecit a *Benedicto XI*, & in *Clemente VII* ſubſtitit; opus autem ipſum Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi *Annibali Albano*, Cardinali Epiſcopo Sabinenſi, R. E. Camerario, inſcripſit *Philippus Floravantes*, Abbatis *Benedicti* frater, ante *ſecundam* hanc operis *Partem* editam defuncti. *Partem primam* celebravit dudum Italia, auſpiciis Eminentiſſimi *Joannis Antonii de Via* in lucem emiſſam. Probabile eſt, exſpectari poſſe *Partem tertiam*, atque ſpicilegiorum ad *Partes priores* copiam haud contemnendam. Id Au-

tori

tori defuncto laudibus est vertendum, quod opus ipse tentavit & difficile, & a nemine antea tentatum, si unicum *Joannem Vignolium*, Præsulem amplissimum, exceperis, qui superioribus annis de antiquioribus Pontificum Romanorum Denariis scripsit, quod opus Abbas *Benedictus* aliquot abhinc annis denuo formis publicis describendum curavit, tertiam partem a sese auctum. Diplomata Ven. Abbas continuationi, seu *Parti* huic *secundæ*, in qua dijudicanda versamur, inseruit nonnulla, atque *Sergii IV* denarium *pag.* 2 veluti supplementi loco dedit. Conspicitur in eo monogramma *Sergii* in area, in margine autem leguntur hæc: ✠ SALVS PATRIÆ & ✠ SCS. PETRVS; in medio legitur ROMA. Subjicit ei numo Ven. Autor numos duos, in quibus nullum Pontificis nomen habetur. In prioris antica apparent claves duæ ac perigraphe: *Sanctus Petrus*; in postica præsto est caput *Petri* cum perigraphe eadem. In posterioris antica Pag. 3. æque exhibentur claves duæ & perigraphe: + BEATI PETRI, in posticæ medio crux enitet, quam cingit perigraphe: PATRIMONIVM. Hosce numos Ven. Autor in ea Tusciæ parte, quam *Petri patrimonium* vulgo appellant, cusos putat ob insignia duarum clavium erectarum, quæ in *Benedicti XI* denario, ibidem percusso, videre licet, paulo post quam ea regio a *Mathilde*, Comite ditissima, in honorem Apostoli *Petri Gregorio VII* A. 1077 fuerit donata, unde regio illa *patrimonium* fuerit dicta. Eos vero numos, qui Senatus Populique Romani nomina referunt, refert ad temporis intervallum, quod *Paschalem II* inter & *Benedictum XI* interjacet. Concordiam, A. 1188 6. inter Papam *Clementem III* & Senatores populumque Romanum super regalibus aliisque dignitatibus Urbis initam, producit post *Baronium* ex Codice membranaceo *Cencii Camerarii*, integriorem *Baroniana*. *Innocentius III* hanc Romæ monetam sibi vindicavit in Episto- 12. la ad Rectores & Consules Campaniæ A. 1208, *Tom. II Lib. II pag.* 203 inter Epistolas *Innocentianas*, a *Balu-*

zio editas. Senatus Romanus poteſtatem cudendi, judi-
ce *Floravante*, involavit, *Innocentio II* Romanæ eccleſiæ
præſidente, ſuaſu *Arnaldi Brixienſis* in ſchisma prola-
Pag. 16. pſus. *Veronicam ſanctam* eſſe idem, ac *veram iconam* Chri-
ſti, *Mabillonio* accredit, addens, *Joannem VII* orato-
20. rium exſtruxiſſe in honorem B. *Mariæ* Virginis, ibique
ſacram Domini noſtri imaginem condidiſſe. *Julius* cer-
21. te *III* Pontifex, electus A. 1550. numum argenteum, qui
quadrantem majoris numi argentei, cui *Julio* eſt nomen,
exæquat, ſacri vultus imagine ſignavit, addita epigraphe:
vultus ſanctus. Imago Romæ Chriſtianæ vexillo liberta-
tis fuit inſerta, fœminæ habitum præferens, duobus leo-
nibus inſidentis, manibusque globum palmamque tenen-
tis. Romani, abjecta aquila, leonem ſelegiſſe videntur;
26. eo quod Gibellini aquilam pro inſigni habebant. Vexil-
lum illud libertatis erat amplisſimum, rubrum, aureisque
literis conſpicuum. Romanus populus aluit ad magnifi-
centiam oſtentandam Seculo XIV in Capitolinis ædibus
27. leones. *Carolus* Andegavenſis, utriusque Siciliæ Rex,
cudendos curavit numos non ſine ſuo ac Romæ, quos
Autor exhibet, ratus, eos a *Carolo*, qua Romanæ ur-
bis Senatore, fuiſſe percuſſos. Conſpiciuntur in eorum
antica inſcriptio: ✠ KAROLVS S. P. Q. R. & leo
gradiens, ac ſuperius parma gentilitia, in cujus area vi-
ſuntur tria Francica lilia; in poſtica autem perigraphe:
✠ ROMA CAP. MVNDI, imago Romæ, nempe
mulier coronata ſedens, dextera globum, ſiniſtra pal-
mam, tenens. Hoſce numos Autor æri inciſos pro-
duxit, ratus, jam tunc tria lilia fuiſſe inſigne Galliarum,
licet numerum illum ternarium *Labbeus* ad *Carolum VI*
demum retulerit, ac falli Dominum *le Blanc*, qui Regi-
bus Galliarum iverit vindicatum poteſtatem cudendi Ro-
mæ numos. In numis iſtis *Karolus* ille nunc vocatur
29. *Rex*, nunc *Rex Senator urbis* appellatur. Ipſe profecto
A. 1265, 21 Jun. in Cœnobio Capitolino Fratrum Mino-

rum

rum suscepit ex manu Pontificis Senatorium munus, cui inhiaverat *Manfredus*. *Carolo* Regi jam renuntiato A. 1266 in die Epiphanias intra basilicam Vaticanam regia imposita sunt diademata. Tunc videntur numi cu- Pag. 31.
si, in quibus nude *Rex* vocatur. Ipse A. 1278 munere senatorio sese abdicavit, illique successit *Jo. de Columna* & *Pandulphus Sabellus*. De reliquo, *Carolum* non suo, sed Pontificis, nomine cudendos Romæ curasse numos, *Martini IV* epistola, ad *Philippum de Caven* A. 1282 missa, est indicio luculento, quam Ven. Autor protra- 34.
xit in lucem. *Palumbes, rosæ insidens*, in denariis est insigne gentis *Sabellæ*. *Honorii III* Papæ frater *Pandulphus* ex hac familia fuit procreatus, electus in Senatorem sine collega A. 1291. Insignem hic usum præstat 36.
series Senatorum urbis, ab *Hyacintho Lilio* primum concinnata, ab aliis deinceps aucta, quam edidit *Joannes Marius Crescimbenius* in conscripta Italice *Historia Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin, III, 4, pag. 134*. Simul ac vero in denarios incidimus, a familiis Senatorum cusos, quorum diversa fuit ætas, aqua nobis hæret, siquidem ab eis denariis annus Christi abest. *Ladislaus*, utriusque Siciliæ 43.
Rex, A. 1405 & 1413 Romam occupavit, novamque monetam ibi constituit, cudique fecit. Ven. Autor numum ejus, Romæ cusum, attulit in medium, dignum inprimis, qui attente inspiciatur. Videtur *Ladislaus* sibi illud a *Carolo Magno*, *Ludovico Pio*, aliisque Galliarum Regibus, adhibitum Romæ jus ivisse novo hoc numo assertum. Præmissis *paginis 44*, in quibus de denariis Senatorum differitur, ad *Benedictum XI*, A. 1303 Pontificatu potitum, atque A. 1304 Non. Jul. defunctum, accedit, docens inter alia, post Secu- 46.
lum XII patrimonii ecclesiæ nomine venisse eam Etruriæ Suburbicariæ partem, quæ hinc a reliqua, fluviis Tiberi & Marta, sejungitur, inde ad mare usque protenditur, cujus provinciæ caput est Viterbium, in qua urbe numi

Pag. 48. jam Seculo XIV ſunt percuſſi. Ad numum *Clementis V*, antea *Bertrandi* dicti, ac Archiepiſcopi Burdegalenſis, exhibet notitiam de tempore, quo Comitatus Venaiſinus, in quo *Clemens* ille fuit commoratus, in poteſtatem Pontificum pervenit, ſubjectus quippe ad annum usque 1176 Comitibus Toloſæ. Anno ſcilicet 1228 *Raimundus* junior, Comes Toloſæ, ob Manichæiſmum & Waldenſium doctrinam infeſtatus, urgente Pontifice, debellante eum Galliarum Rege, Romano Cardinale conditiones pacis ſanciente, cedere coactus fuit Comitatu illo, eumque ſedi
49. Pontificiæ tradere. Tabulas concordiæ, Pariſiis confectas, edidit *Labbeus Concil. Tom. XI col. 419.* Recepit eum *Raimundus* jure beneficiario, in maſculos prorogando, defunctus A. 1271, prole maſcula nulla relicta. Occupavit illum tunc *Philippus Pulcher*, eumque A. 1273, *Gregorio X* flagitante, Pontificatui reddidit. *Jo-*
52. *annem XXII* ex Pontificibus Romanis fuiſſe primum, qui aureum cuderit numum, Autor ſibi perſuaſit. In medio ejus eminet flos, ad lilii Francici fere formam effictus, clavesque ibi viſuntur decuſſatæ. Flos ille, a Flo-
56. rentinis primo adhibitus, nomen *floreni* peperit. Primus vero Florentiæ florenus fuit percuſſus A. 1252.
58. Tiaram Romanorum Pontificum ante *Bonifacium VIII* una tantum corona redimitam fuiſſe, Autor e monumentis numisque Pontificum comprobat. *Nicolaus I* Seculo IX tiaræ, in pilei formam jam Seculo IV redactæ, circulum addidit aureum, qui *regni* putatur geſtaſſe nomen. *Bene-*
62. *dictus XII* tertiam illi coronam addidit poſt celebrem de animæ ſtatu poſt corporis mortem ſententiam promulgatam. *Clemens VI* in denario vocatur Comes Venai-
65. ſinus, Avenionemque A. 1348 ditioni ſuæ adjecit, pretio
67. ſatis caro emtam, quæ Noſtri eſt opinio. *Carolus IV* Imperator Gorlicii ad Cal. Nov. ejusdem anni ampliſſimum edidit diploma, quo eam divulſit ab imperio, Pontificique penitus ſubjecit. In numis *Innocentii VII* quibusdam denuo

denuo visitur in postica id perigraphes: ✠ *Sanctus Petrus S. P. Q. R.* circa claves & stellam. Ipse enim Ro- Pag. 92.
manis Senatoribus, pacis amantissimus, facultatem feriundi numum impertivit. Officina monetaria olim exstitit in Capitolino monte, *Livio* teste *Lib. VI pag. 187*, e conspectu Traumatocomii & templi B. *Mariæ Consolationis*. Inferiori ævo a Capitolino magistratu monetaria 93.
officina ad Capitolii radices prope *Severi* arcum ac templum SS. *Sergii & Bacchi* constituta fuit. Medio Seculo XV, 94.
sublata Senatoribus ac Triumviris Capitolinis monetæ cudendæ facultate, & Pontificibus unice reddita, officina monetaria e regione Æliae arcis ob majorem securitatem constituta fuit: deinde ad Vaticani collis radices prope hortos Pontificios ab *Alexandro VII* ranslata anno 1665. Aliam adjunxit monetariam officinam in eorum vico, qui sphærulas precatorias vendunt, in eodem palatio, in quo *Sixtus V* montem Pietatis, paupertati subventurus, locaverat. *Pius II*, in expeditionem contra Turcas profecturus, venerabile secum sumsit sacramentum, numoque id exprimendum curavit, paullo post destinationi cœptæ immortuus. *Xisti IV* nomen in numis exprimitur constanter per *Sixtus*. In aureo ejus denario primum visitur *Petri* imago 127.
in navicula, tenentis retia in mare projecta, qualis imago in annulo piscatoris exstat. Memorabilis est formula 137.
concordiæ, Columnenses inter & Ursinos A. 1511, 28 Aug. Romæ initæ, quæ hic primum evulgata conspicitur. In *Leonis X* denario quodam in postica legitur perigraphe: *Lux vera in tenebris lucet.* Idem *Leo* id digni- 162.
tatis concessit Cardinali Camerario, ut huic, sede vacante, liceat numis adjungere suum insigne. Omittimus quam- 205.
plurima alia, memoratu haud indigna, unicum illud appendentes, librum perspicue solideque ac modeste scriptum esse,

esse, ætatemque laturum, in suo quippe genere & unicum, & virtute sua excellentem.

HERMANNI BOERHAAVE, PH. ET M. Doct. in Acad. Lugd. Bat. Med. Prof. Celeb. Acad. Reg. Scient. Par. & Soc. Reg. Lond. Socii, Opuscula omnia, quæ hactenus in lucem prodierunt, ea quidem prius sparsim edita, nunc vero in unum collecta, atque digesta.

Hagæ Comitis, apud Joannem Neaulme, 1738,

4 maj.

Plag. 18.

Inter principes nostræ ætatis Medicos aliquem suo jure locum tenuit *Hermannus Bœrhaavenius*, immortalibus in rem medicam meritis per totam Europam clarus. Sive enim accuratam, & maxime exquisitam, eorum, quæ in corpore humano, bene valente, & morboso, eveniunt, observationem & experientiam, sive cautam & subtilem omnis Philosophiæ, & præcipue naturalis, atque Matheseos, ad ea explicanda & proponenda applicationem, sive præclarissimam veterum Medicinæ Autorum, atque adeo omnium artis salutaris vicissitudinum, intelligentiam, sive denique mirificam illam in vera Medicinæ natura & indole, universoque ambitu, accurate & uno velut obtutu cognoscendis & dijudicandis perspicaciam & acumen, respicias, ubique magnum *Bœrhaavenium*, & sui similem, fuisse, animadvertes. Recte de ejusmodi hominum opusculis universim dicitur, quod *Bosium* de *Joachimi Camerarii* scriptis sæpius pronuntiasse ferunt, se scilicet quodvis, quod a tanto viro conscriptum esset, folium, si jacens in platea pedibus conculcaretur, sublaturum diligenter esse, quia certo credat, fore in eo, quod, antea sibi incognitum, inde addiscat. Quamobrem & nos publice collaudamus id institutum, quo *Bœrhaavenii* opuscula, sparsim olim edita,

edita, atque nunc vix amplius ære comparanda, jam conjunctim uno fasciculo collecta, publico usui exponuntur, cum selecta maxime argumenta pertractent, omnique *Boerhaaveniana* doctrina, & reliquis tanti ingenii dotibus, exsplendescant. Primo loco Orationes solennes Academicæ leguntur, quæ res minime pervulgatas, aut ex trivio desumtas, persequuntur, eas pro dignitate explicant, rationum pondere non minus, quam laconica & tersa dictione, animos capiunt, ut dignæ suo merito nobis videantur, quarum summam hic studiose enarremus. Oratione *prima, de commendando studio Hippocratico,* habita, cum publicum Institutiones medicas prælegendi munus in Academia Lugduno-Batava auspicaretur, *Hippocratem* Autor omnibus fere, qui unquam fuerunt, Medicis præferendum, adeoque diurna nocturnaque manu versandum esse, pronuntiat, quod is in observandis describendisque naturæ *φαινομένοις* maxime fuerit assiduus & accuratus, ab omni etiam præjudicatarum opinionum amore immunis, præterea vivaci, nullisque laboribus fracta, attentione ad omnia oculos animumque converterit, admirabili diligentia, quicquid ea dignum est, perquisiverit, ac summa benevolentia & fide omnia communicaverit, in praxi ipsa medendi vias, profunda sapientia a se exploratas, summo animi candore posteris aperuerit, omniaque brevi & perspicuo simplicique sermone explanaverit. Oratione *secunda, de usu ratiocinii mechanici in Medicina,* habita, cum tertii suæ stationis anni labores auspicaretur, demonstrat, Mechanices in Medicina usum esse summum, necessitatem maximam. Corpus enim humanum verum est corpus, quale Mechanici contemplantur, & simile reliquis in tota rerum natura, nihilque habet præ ceteris eximii, nisi quod ex pluribus diversisque machinis, influxu humorum agitatis, fuerit conflatum, ea conditione, ut consociatarum partium effectu plures excitentur, iique perquam varii, motus, qui mechanica valde evidentia ex mole, figura, firmitate, & nexu,

partium inter ſe conſequuntur. Ut proinde eadem lege, qua mathematicum illud corpus, humana etiam hæc machina ab arte geometrica explicari queat, a modo pro datis aſſumantur, non quæ arbitrium mentis ex infinita rerum poſſibilium varietate confinxit, ſed ſenſuum uſu probe compertæ dotes ejus peculiares & proprietates; quarum multas detegunt anatome, microſcopium, & liquidorum ſcientia, quæ humorum, per vaſa noſtra circumactorum, ingenium, impetum, directionemque, determinat. Ex contemplatione totius corporis, & omnium ejus partium quoque, eruitur, corpus id ſimplici ratione compoſitum & machinam eſſe, ſolidas ejus partes alias vaſa eſſe liquidis coercendis, dirigendis, mutandis, ſeparandis, colligendis, & exercendis, idonea; alias vero inſtrumenta eſſe mechanica, quæ figura, duritie, nexuque ſuo, fulcire alia, vel definitos motus exercere, queant, adeoque hæc omnia optime a Mechanicis intelligi & explicari, & viſum quoque auditumque tot machinis perfici. Quod ad fluida attinet, conſtant illa corpuſculorum minutorum & agitatorum congerie. Eorum unum ſi ſpectatur, rationem habet ſolidi, adeoque mole, motu, figuraque, quicquid agit, efficit. Quare itidem effectus, qui ab una fluidi parte oriuntur, ſoli Mechanico patent, experimentorum ſucceſſu. At, ſi totam fluidi molem ſimul conſideramus, gravitatem fluoremque communes habet cum quolibet ſublunari liquido proprietates. Virtute autem elaſtica, ponderis, ſpiſſitudinis, fluxilitatis, nixusque in contactum, variis gradibus, momento impetus, quo fertur, & itineris directione, præcipue fluida inter ſe diſtinguuntur. Horum vero omnium tanta efficacia eſt, ut infinita, quæ ſanis contingunt, non aliunde oriantur. Nemo autem proponere, explicare, & demonſtrare, vim earum valebit, qui Hygroſtaticen, quæ ſubtilis Mechanices pars eſt, ignorat. Porro cuncta fere, quæ vitam ſanitatemque noſtram vel efficiunt, vel ſubſequuntur, debentur motui illi,

li, quo humores per vasa agitatione plane mutua moventur, & vicissim agunt. Hujus effectus legesque soli Mechanici in Pnevmaticis atque Hydraulicis intelligunt, explicant, atque demonstrant. Simplici etiam & plano negotio omnes functiones mutationesque corporis nostri procedunt: quod longe clarius perspecturi essemus, si exactam solidarum partium structuram magis adhuc perspectam, sensilemque humorum naturam plenius adhuc cognitam, haberemus. Satis quoque usum Mechanices comprobant fructus, a Medicis Mechanicis, *Malpighio*, *Borello*, *Bellino*, *Pitcarnio*, aliisque, allati. Verum, uti in theoria, ita in praxi quoque, usum habet insignem. Quodsi enim vitæ quis sanitatisque causas recte jam perspexit, is ex harum defectu ortos quoque morbos, &, causa morbi recte intellecta, ei medendi rationem, optime cognoscit. Præterea in Chirurgia, & maxime in oculorum morbis, manifesto Mechanices emolumentum proditur. Morborum, a fluido etiam ortorum, causa pendere utplurimum solet a vitiato ejus per vasa transfluxu, sive is propter languorem virtutis impellentis, sive propter contractionem vasculorum convulsivam, sive propter peccantem liquidorum copiam, motum, spissitatem, vel tenuitatem, turbetur. Quæcunque igitur dicta malorum capita removent, ea præcipuam quoque opem ferunt. Adeoque omnia mechanice eveniunt. Et videntur utplurimum simpliciores esse, ac magis mechanicæ, morborum, maxime compositorum, causæ, quam ullus Medicorum cogitat. Et, quamvis nonnulli morbi a mentis in corpus potestate proficiscantur, virtus tamen cogitationis, simul atque in corpus influit, totum, quod in eo producit, corporeum, adeoque legi mechanicæ obediens, efficit. Oratio *tertia*, qua *repurgatæ Medicinæ facilis asseritur simplicitas*, habita, cum Medicinæ & Botanices Professionem Autor susciperet, ostendere laborat, artem medicam non esse adeo diffusam, adeoque difficilem, ut vulgo opinantur. Si ex scri-

ptis veterum Græcorum, Arabum, posthæc *Cartesianorum*, Chemicorum, aliena, & quicquid sectis proprium fuit, exterminentur, solaque ea retineantur, quæ proprie ad medicinam pertinent, & quæ idonei omnes judices nunquam fidei suspecta habuerunt, sed communi suffragio semper receperunt, Medicina, quæ aliena turgebat mole, ad suum reversa habitum, in parvam illico recidet magnitudinem. Neque periculum esse videtur, ut in posterum recte exculta augeatur. Una tantum cuilibet rei propria est & sua natura, quam qui pulchre tenuit, de alia re nunquam cogitabit. Sed, qui de incognitis multa præceps disputat, eo plura coacervabit, quo minus vera attulit. Sapientiæ igitur in Medicis perfectio, quo veritatem felicius, eo pulcrius sibi simplicitatem conciliabit. Fabrica corporis humani per anatomen & microscopiorum usum magis cognita, multa figmenta evanuerunt. Neque tam varii in corpore circumfluunt succi. Ejusdem enim liquoris eadem actio, si diversis applicatur corporis canalibus, effectus suos mire variat. Nec adeo magna morborum reperitur cohors. Simplicissimæ enim partis labes simplicissimæ suæ actionis defectu morbum efficit proprium, qui ipso nexus vinculo vicina simili contagio facile inficere valet. Sed eo solo actiones earum partium, quas obsidet, impediuntur. Quod impedimentum cum novus morbus vocetur, planum est, ex una læsione affectus certos plurimos varia sub specie ut distinctos offerri. Medicationis quoque ratio ad paucas redigitur indicationes, quas paucis & simplicissimis medicamentis assequi licet. Laboriosæ præparationes alterant sæpius medicamentum & enervant. Oratione *quarta, de comparando certo in Physicis*, habita, cum Rectoratum Academiæ deponeret evincere conatur Autor, rerum principia omnino nobis esse abscondita, solis autem sensuum observatis eas eorum dotes addisci, quæ experiundo innotescant, quæque ex his, una tantum hac via prius explora-

tis,

tis, geometrica ratiocinii firmitate elici queunt. Ad naturam primorum principiorum pertinet, ut, quicunque, hæc sibi perspecta esse, vera cum ratione asseverat, necessario in se expertus fuerit ideas talium rerum, quarum contemplatio ipsi exhibere queat omnia, quæ unquam fuerunt, sunt, & erunt. Alias non principium, sed ejus tantum umbram, attigit. Scilicet necessario intelligitur, eum, qui causæ indolem perspexit, ita mente assequi omnia, quæ in illa continentur, quemadmodum hæc ex ea emanant. Agit enim causarum quælibet ex vi suæ naturæ. Quam itaque qui perfecte capit, ille pariter effectus ejus omnes, ut dotes illi proprias, penitus cognoscit. At vero quis præter Deum hæc omnia animo suo complectatur, futurosque eventus prædicat? Falsum itaque est, causas universales physicas exiguis arctari posse mentis humanæ cancellis: id quod clarius apparebit, si sub examen revocentur ea, quæ pro veris principiis rerum sapientissimi mortalium identidem ostentaverunt, sive ea in extensione, sive spatio inani, sive gravitate, sive attractione, collocarint. In his enim omnibus nihil certum atque evidens inest, sed incognitum quoddam, nec sensuum beneficio pervestigandum, ex quo effectus pendere creduntur. Cum corpora singularia vegetabilia atque animalia, fortassis etiam mineralia & metalla, ex suis nascantur seminibus; hæc supponunt, præexstitisse jam similia corpora, unde prognata fuerint, singula autem quæque sibi propria habere, hæc vero tam varia, quam multiplices existunt corporum formæ, & proinde infinita, ac nunquam addiscenda, esse, nisi quatenus singulatim fido naturæ experimento evolvuntur. Humani corporis particula, ut pilus, a tot aliis, singulatim definitis, pendere observatur, ut principiorum universalium usus nihil huic intelligendo prodesse queat, nec omnis Medicorum sapientia unum capillum, radicitus exstirpatum, reficere, nec unius pili incrementum mutare, imo ne colorem quidem

ejus variare, valeat, si ex principiis, evidenter comprehensis, inprimis hoc tentaverit; sola autem exempli præmonstratione fabricam capilli patescere. Docuit etiam experientia, lubricæ disciplinæ eam fuisse inconstantiam, ut, quod uni præ ceteris egregie probatum est, illico alteri fuerit repudiatum. Quantum ex assumtis principiis augeri Physicæ dignitas queat, *Cartesius*, *Hugenius*, aliique, in tractandis rebus Mathematicis accuratissimi, at in Physicis sui plane dissimiles, declarant. Unde concluditur, omne id, quod a nata Philosophia in hunc usque diem bene certum apud Physicos reperitur, præter sola experimenta uni deberi Geometriæ, nihil ex principiis, universim cognitis, rite eductum fuisse. Oratio *quinta, de Chemia, suos errores expurgante*, habita, cum Professionem Chemiæ auspicaretur, comprobat Autor, errores, a Chemicorum arte sparsos, a sola Chemicorum industria felicissime expugnatos esse. Chemici nonnulli, inania portentosæ cogitationis ludibria mysteriis miscendo, fœde omnia contaminarunt, ipsa etiam sacra volumina ex principiis & elementis chemicis interpretaturi. Sed hanc labem absterserunt, erroresque tam detestandos suis conatibus expunxerunt, duo præclari Chemici, *Rogerius Baco*, atque *Robertus Boyle*. In explicanda natura rerum multos omnino errores introduxerunt Chemici, quorum caput fuit, quod, quoties experiundo observaverunt propriam singulari cuidam corpori actionem, statim illam naturæ viam, quam hic detexerunt, universalem habuerunt, omnibusque eam aliis corporibus ubique communem audacter asseruerunt. Nulla fere sententiarum malo huic attulit remedium, sed ars chemica, alienis destituta auxiliis, suis se repurgavit, ut ex *Hombergianis* atque *Boyleanis* laboribus, item ex Commentariis Germanorum, Gallorum, atque Britannorum, patet. Multum Chemia ad eam opinionem, ac si ignis non corporeæ, sed sublimioris, & velut inter corpus spiritumque mediæ, naturæ esset, & errores inde secu-

secutos, contulit. Sed, quicquid hic peccatum fuit a Chemicis, ab iisdem expiatur per ipsorum placita de natura solis, lucis, ignis, ut in Commentariis Academiæ Scientiarum evulgantur, invictissimis argumentis comprobata, item per *Verulamii* sententias de indole flammæ & ignis, chemicis maxime nixas experimentis, *Boylei*, aliorumque Britannorum Philosophorum, subtilissime dictis de purissimæ flammæ, mira indagine captæ, pondere. Error fuit Chemicorum, quando ut certissimum assumserunt, similia suis inventis & operationibus in natura rerum atque corpore humano fieri, qui error, late serpens, Medicinam theoreticam æque ac practicam infecit. Plura etiam medicamenta universalia, itemque alia chemica, ob rationes plane ineptas, ex Chemia mutuo sumtas, commendarunt. Verum & hos errores Chemia sustulit. *Libavius*, *Boyleus*, *Bohnius*, aliique præter illos plurimi, tandem solius Chemiæ artificio proprio demonstrarunt, aliena esse, quæ ars parat, ab iis, quæ natura efficit, & actiones Chemicorum distare immensum ab iis, quas natura molitur, neque ab illis ad has esse arguendum, nisi aliunde constiterit. Chemici etiam prudentes Medicos, remediis chemicis abutentes, in viam reduxerunt. Et, quod usu hodie præ ceteris præstet, in tanto præstantissimorum Chemicorum proventu, nec abusu amplius noceat, utrumque beneficium suis acceptum fert cultoribus. Oratione *sexta, de vita & obitu Bernardi Albini*, ex decreto Magnifici Rectoris & Senatus Academici habita, majores, studia, ingenium, mores, dignitates, merita, libros, familiam, varia atque suprema etiam fata, Celeberrimi Medici tam graviter, docte, ornate, eleganterque, enarrat, ut felices merito putemus *Albinianos* Manes, quibus tantus suarum laudum præco obtigit. Summa vero Orationis repetere non attinet, cum præstantissimi Viri memoria aliorum jam annalium monumentis mandata, & velut immortalitati consecrata, conservetur. Oratione *septima, habita*,

bita, cum, honesta missione impetrata, Botanicam & Chemicam Professionem publice poneret, vitæ suæ Autor & studiorum, munerumque, in Academia administratorum, quasdam rationes breviter exponit. Ex qua hic tantum excerpemus, *Bœrhaavenio* rem angustam domi paternæ magno ad virtutem & laborum constantiam fuisse incitamento; posthæc ipsum Academicum doctorem, per viginti annos continuos, quotannis rem herbariam, chemicam, praxin, & institutiones medicas, absolvisse. Inter alias Botanicæ laudes & hanc memorat, quod cultorum suorum mores, animique motus, fingere videatur, ut Botanici ament virtutem, & incorruptam fidem, vitamque fallere nesciam, & secura quiete fruantur, quod exemplo *Caroli Clusii* & *Guilielmi Sherardi* probat. Neque minus & hoc in Botanicis jucundum esse animadvertit, quod, re & disciplina sua ita exigente, literarum commerciis & necessitudine arctius inter se devinciantur, collaudatque celeberrimos omnium provinciarum Botanicos, a quibus semina & herbas accepit. Oratione *octava, de Honore Medici servitute*, habita, cum iterum poneret Rectoratum Academiæ, contendit, honorem Medici eo contineri solo, quod naturæ imperanti serviat. Per naturam hic ex *Hippocratica* sententia intelligit summam requisitorum, omnibus ut muneribus suis corpus expedite, sine dolore, satisque constanter, defungi queat. Huic itaque Medicus servitutem suam addicit. Omnis ea scientia, quam de fabrica corporis sui generatim, tum de quacunque ejus etiam exilissima particula, nanciscitur, doctrina nititur solius naturæ, nec quidquam is intelligit, nisi quod naturæ in acceptis refertur: quatenus per sensus, & anatomes ministerium, observandi copia ipsi facta, isque adeo naturæ ductu eruditus fuit. Neque præter id, quod natura edocet, addere quidquam & comminisci licet. Porro natura omnes corporis succos humoresque suis in locis, recondita arte, nullo usa magistro, perficit, secernitque, Quicunque hanc

viam

viam naturæ diligenter contemplatus, imitatur constanter, is demum lætus confidat, vere se sanitatem tueri posse. Sed præter solidas fluidasque partes requiruntur etiam motus varii, itidem naturæ subjecti. In cognoscendis his motibus, & salutari regimine, potissima artis cura & opera exercetur. At vero hic etiam nudo naturæ obsequio Medicum proficere videas. Natura observanti suas dictitat leges, quibus affixa, ciet motus, sustinet, mutat. Nec quidquam acutissimæ mentis valet hic acies intensissima, ut ex se eas intelligat. Harum legum cognitione, præstitoque cognitis obsequio, vitam conservat artifex, sanitatem tuetur, morbos sanat, & ad illum vitæ terminum, quem natura patitur, perducit. Remedia agunt in corpus, quatenus a natura humana, ejusdemque reliquiis, accepta motaque, inde suos in actus demum deducuntur, ut ita horum adjumento natura morbos sanet medicabiles. Is itaque apte dixerit de viribus medicamentorum, qui mutatam ab his applicatis naturam, & mutantem alia, caute observavit. Nihil hic ex ingenio vel solertissimo fingere licet. Pariter quoque ad venena intelligenda natura humana venenis obnoxia, toxicorum in illam facultas, quid corporis nostri in eam valeat potestas, & quænam doment maligni virulentiam, explorentur. Ita sollicita demum legis, a natura latæ, observatio Medicum ad necessariam scientiam perducet. In sanandis tandem morbis principatum tenet natura, in quibus præcipue eam sequi Medico convenit. Hinc modos sanandi naturæ consuetos in acutis præcipue morbis juvet, in chronicis autem, siquidem fortunatum exitum exoptet, diligenter imitetur. Quodsi ergo rei ex officio bene gestæ justa debeatur gloria, verus honor Medici erit, si, serviendo liberaliter, & jussa exequendo, fidelem se præstiterit naturæ servulum. Hactenus de Orationibus Cel. Autoris elegantissimis. In reliquis, quæ adjuncta illis videmus, opusculis jure utemur nostro, ti-

tulum tantum cujusvis adscripturi, cum eorum summa olim jam in his *Actis* copiosius sit enarrata. Exstat igitur loco IX *Opusculum anatomicum de fabrica glandularum, continens binas Epistolas, quarum prior est Herm. Bœrhaavii super hac re ad Frid. Ruyschium, altera Fr. Ruyschii ad Herm. Bœrhaave, qua priori respondetur*, de quibus in *Actis A. 1723 pag. 103* egimus; X *Atrocis, nec descripti prius, morbi historia, secundum medicæ artis leges conscripta*: XI *Atrocis rarissimique morbi historia altera*, de quibus binis historiis *Suppl. Tom. X pag. 23* dictum est; XII *Tract. medicus de lue aphrodisiaca, quem Præfationis loco editioni Lugduno-Batavæ Aphrodisiaci præfixit*, & cujus nos olim Gallicam versionem recensuimus; XIII. *Dissertationes duæ de Mercurio quarum prior Societati Scientiar. Anglicanæ, altera Parisiensi*, tradita fuit, de quibus & ipsis suo loco, quod satis est, commemoravimus.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM LIterariam Anatomes, seu Conspectus plerorumque, si non omnium, tam veterum, quam recentiorum, Scriptorum, qui primis artis medicæ natalibus ad hæc nostra usque tempora Anatomiam operibus suis illustrarunt, una cum Indice nominum rerumque locupletissimo; Autore ANDREA OTTOMARO GOELICKE, Med. Doct. & in Viadrina Regia P. P. Ord.

Francofurti ad Viadrum, apud Jo. Godofredum Conradi, 1738. 4.

Alph. 3 plag. 6.

Quod in regnorum civitatumque florentissimarum consideratione summæ Politicis laudi vertitur, si non in præsentis tantum status contemplatione subsistunt,

ſtunt, ſed, a quibus principiis ortæ, quibusve ſubſidiis ſucceſſu temporis ad tantum pervenerint faſtigium, curioſius inquirant; illud non minori cum voluptate atque utilitate ab eruditis in evolvenda ſcientiarum hiſtoria ſuſcipitur, quæ pariter ab obſcura primum rudique cognitione lætiora ſenſim incrementa ceperunt, &, dum poſteri, priorum laboribus adjuti, nova indies detexerunt, ad illam, quam in pleriſque admiramur, perfectionem deductæ ſunt. Anatome ſane tot Celeberrimorum Virorum laboribus ita exculta eſt, ut parum in illa ſupplendum ſupereſſe videatur; unde merito laudandum Cl. Autoris inſtitutum, qui hiſtoriam hujus ſcientiæ literariam pleniorem hoc, quod Lectoribus noſtris commendamus, opere exhibere laborat. Eundem laborem jam anno hujus Seculi duodecimo ſuſceperat, cum Hiſtoriam Anatomes antiquæ ac novæ in forma minori, quam octavam dicunt, publicæ luci exponeret. Cum vero, multa adhuc deficere, intelligeret, de novo manum operi admovit, atque, conquiſitis undique Scriptoribus Anatomicis, omiſſa ſupplere, quæ ab aliis de labore ſuo monita ſunt, vel mutare, vel in notis adjunctis defendere, ſtatuit, unde hoc opus triplo priori auctius atque emendatius enatum eſt. Ita in tradenda Anatomiæ hiſtoria verſatur Cl. Autor, ut non ſolum viros de illa bene meritos, & eorum ſcripta, ſecundum temporum ſeriem recenſeat, ſed potiſſimum, quid novi a quocunque ad incrementum artis detectum & evulgatum ſit, commemoret. Prima Anatomes veſtigia apud Ægyptios reperiri cenſet, quorum in his peritiam contra *Conringium* & alios, qui parum magnifice de his ſentiunt, pluribus argumentis defendit, nixus potiſſimum etiam *Plutarchi* teſtimonio, qui teſtatur, Ægyptios menſæ convivantium σκελετον, ſive, ut alibi loquitur, νεκρον ἀσαρκον, inferre conſueviſſe, quæ compages oſſium ſine cognitione anatomica parari haud potuerit, ut alia argumenta jam taceamus. Minus vero in Anatomicis Sinenſibus tribuit, etſi alii,

 circu-

circulationem sanguinis illis dudum cognitam fuisse, nullo tamen, ut putat, idoneo argumento, asseruerint. Certioribus indiciis constat, magna cum cura a Graecis cultam fuisse, ubi per longum tempus in schola *Asclepiadea* floruisse, *Galeni* testimonio Autor confirmat, etsi nulla illorum scripta exstent, cum in hac familia, cui propria erat medicinae scientia, a parentibus statim structura corporis explicaretur. Primum vero, qui scripta anatomici argumenti consignaverit, fuisse *Hippocratem*, fatetur, etsi illa partim cruda ac rudia, partim falsa, aliena, & confusa, partim titulos, libris praefixos, argumento, in illis tractato, rarissime respondere, arguat; hinc contra *Almelovelnium*, aliosque, nimium scientiam ejus in his extollentes, & multa recentiorum inventa, inprimis circuli sanguinis notitiam, illi vindicantes, insurgit, &, frustra in illius scriptis talia investigari, contendit. syllogen tamen scriptorum, ad Anatomen spectantium, & potiora ex is momenta, exhibet. Paucos post *Hippocratis* tempora fuisse inter Medicos, qui in Anatomicis eminuerint, neque ullius exstare amplius scripta, monet, sed, quicquid de illis constet, soli *Galeno*, qui illorum in scriptis suis mentionem injecerit, deberi. Paulo liberalius a Philosophis illorum temporum tractatam esse, quorsum *Democritum Abderitam*, *Herophilum*, & *Erasistratum*, ob vivorum hominum dissectionem infames, *Aristotelem*, *Alexandri* jussu & impensis in historia animalium contexenda occupatum, aliosque, refert. Majora esse *Galeni* in Anatomen merita, profitetur, & commune opprobrium, a *Vesalio* primum ei objectum, ac si brutorum tantum corpora secuerit, removere laborat, inde integrum Anatomiae *Galenicae* systema contexit, &, quantum in singulis ejus partibus praestiterit, fusius commemorat. Post *Galeni* tempora pauci Graecorum fuerunt, qui monumenta quaedam anatomica reliquerunt; cum vero & hi *Galeni* fidem dubiam reddere ausi non fuerint, sicque rem anatomicam parum

pro-

promoverint, strictim saltem de iis agit Cl. Autor. Neque melius de arte anatomica meriti sunt Arabes Medici, vel prorsus ab illa abstinentes, vel iis minimum, quæ a *Galeno* tradita erant, contenti. In *Rhasis* tamen, *Albucasæ*, & *Avicennæ*, operibus aliqua adhuc, ad structuram corporis illustrandam spectantia, reperiuntur, apud reliquos altum de illa silentium, unde per plura secula neglecta mansit. Neque aliud judicium de Medicis Latino-barbaris ferendum esse censet, ex quibus exempli loco *Mundini* Anatomen adducit, in qua etsi multa jure desiderentur, illud tamen laudandum, quod primus in illa barbarie de Anatome excolenda cogitare cœperit. Paucis deinde eos, qui per illa tempora nomen aliquod inter Anatomicos obtinuerint, commemorat, & ad illa feliciora tempora, quibus Anatomia altius evehi, solidiusque primum ab Italis, mox etiam ab aliarum nationum Medicis, excoli cœpit, properat. Quam periodum a *Jacobo Carpo* auspicatur. Cum vero ab illo tempore numerus virorum, certatim in perspicienda Anatome occupatorum, insignis sit; quovis Seculo gentis cujusvis Autores sigillatim commemorat; initio ab Italis facto, quibus Galli, Angli, Dani, Sueci, & Germani, sub quorum nomine Belgas etiam comprehendit, ordine succedunt, atque, adductis illorum scriptis, quæ potissimum singularia & nova in iis deprehendantur, exponit. De quo labore, ad recentissima usque tempora continuato, plura in præsenti non addimus, siquidem, in tanta notatu dignorum copia selectum fore difficillimum, rati, nostro satisfecisse nos officio putamus, quod ordinem atque institutum Cl. Autoris Lectoribus exposuerimus, certi, illos, quibus hæc studia cordi sunt, majori cum voluptate ipsum librum evoluturos, in quo æquum satis de plerorumque meritis latum esse judicium, videmur nobis observasse.

FRANCISCI BLANCHINI, VERONENsis,

sis, Astronomicæ ac Geographicæ Observationes selectæ, Romæ atque alibi per Italiam habitæ, ex ejus autographis excerptæ, una cum geographica Meridiani Romani tabula a mari supero ad inferum, ex iisdem observationibus collecta & concinnata, cura & studio EUSTACHII MANFREDI, in Bononiensi Instituto Astronomi.

Veronæ, 1737, fol.

Alph. 3.

F*rancisci Blanchini* merita in astronomicas, nec non geographicas, scientias tanta sunt, atque tam varia, ut, quicquid novi in Astronomia nostris temporibus inventum est, id magna ex parte industriæ atque sagacitati hujus Viri debeamus. Neminem, qui Astronomiam a limine saltem salutavit, latere possunt egregia illa, quæ primus in Venere detexit, phænomena, quantumque observationibus ejus, quas omni, quanta in homines cadere potest, solertia instituerat, non solum Planetæ hujus theoria correcta sit atque exculta; sed quantos omnis Astronomia una cum Geographia exinde fructus etiam perceperit. Primus consilium cepit ducendi lineam meridianam per totam Italiam a mari supero usque ad inferum. Qui labor licet iis difficultatibus obnoxius fuerit, quibus tollendis unius hominis vires non sufficere viderentur, solus tamen ipse eas superavit, atque opus inceptum perfecit. Immoriebatur quidem Vir immortalis nominis huic rei, & actum cum Meridiano videbatur, eratque periculum, ne ipsæ observationes interirent, maximo illorum dolore, quos desiderium illius ceperat; nisi *Joan. Franciscus Musellus*, Cathedr. Veron. Ecclesiæ Archipresbyter, cui ipse *Blanchinus* maximam Bibliothecæ suæ partem testamento reliquerat, atque *Blanchini* patruus, *Joseph. Blanchinus*, Veron. Congr. Oratorii Rom. Presbyter, eas ex tenebris eduxissent, atque

Eusta-

Eustachio Manfredo, quicquid ad hanc rem pertinere existimabant, transmisissent, nihil magis exoptantes, quam ut illa quanto citius cum orbe erudito communicaret. Quibus precibus Vir iste, pro suo erga scientias amore, eo facilius locum dedit, quo majores ex hoc labore fructus ipse sperabat; suaque opera præstitit, ut observationes, quarum plurimas in adversariis *Blanchinianis* leviter saltem adumbratas inveniebat, ut tota res rudis indigestaque moles videretur, pulcherrimo ordine connexæ in publicum prodire potuerint. Quanto amore hos alienos & abortivos fœtus, non secus ac proprios, Illustris *Manfredus* exceperit, ex Præfatione, ipsis Observationibus præmissa, optime intelligere licet. Separavit calculum ab observationibus ipsis, quasque mancas & mutilas in adversariis deprehenderat, ex literis, quas *Blanchinus* ad ipsum scripserat, restituit; Veneris observationes, quas Autor ipse in Tractatu suo de novis Phosphori & Hesperi phænomenis jam cum orbe communicaverat, omisit, iisque saltem locum in hoc scripto concessit, quæ vel in ipso libro non continentur, vel postea institutæ sunt; ex observationibus autem meteorologicis eas saltem excerpsit, quæ tum Astronomis usui esse, tum ad historicam observationum integritatem aliquid conferre, possunt, quibus que locis quælibet observatio instituta fuerit, diligenter admonuit. Tabulam quoque Meridiani Romani, huic operi adjectam, industriæ atque studio Illustris *Manfredi* debemus, quam a Viro eximio non infelici successu ope observationum *Blanchiniarum* quanta potest accuratione confectam esse, in Præfatione ipse testatur. Initium est Observationum ab anno 1702, neque finem earum nisi tres, vel quatuor, dies ante ipsam *Blanchini* mortem, quæ d. 2 Martii A. 1729 contigit, invenies. Tanto enim ardore cœli phænomena observandi indies flagrabat, ut neque itineris molestiæ, neque accerrimi morborum cruciatus, ipsum a cœlo spectando abstra-

abstrahere possent. Observavit quidem *Blanchinus* multos annos antea, quam hæ initium suum cepere, sed nihil plane de istis observationibus ad manus *Manfredi* pervenit; quæ vero antea in *Actis* nostris *A. 1684* & *1685 pag. 189* de Cometa, nec non de nova methodo *Cassiniana*, observandi parallaxes, *A. 1685 pag. 470*, ipse *Blanchinus* publicaverat, ea una cum reliquis, quæ, opere hoc jam absoluto, in libris nonnullis miscellaneis *Blanchini*, ab anno 1683 usque ad 1694, inveniebantur, huic monumento inseruit. Nihil in cœlo contigit, quamdiu *Blanchinus* vixerat, in quod non attentionem suam omni cura dirigeret, adeo ut in hoc libro omnium ferme mutationum cœli accuratissimas & quam maxime singulares invenire liceat observationes. Solis Lunæque ecclipsium, quas observavit, integrum catalogum condere possemus, si longiores esse vellemus. Macularum solis situs atque variationes quam diligentissime determinavit, multisque schematibus illustravit; inprimis autem Lunæ phases, earumque mutationes, omni solertia examinavit, atque suis observationibus circa maculam *Aristarchi*, in quam tubum 50 palmarum D. *Campani* direxerat, quæque *pag. 125* describuntur, docuit, quam varia adhuc in Luna a posteris detegi possent. Occultationes cum stellarum fixarum, tum Planetarum, per discum Lunæ sedulo observat, neque in observando transitu Mercurii per solem anno 1723 d. 9 Nov. diligentiam suam desiderari passus est. Omnium Planetarum situs respectu fixarum, conjunctiones, & oppositiones, quam accuratissime investigavit, &, quam egregia & nova in quolibet illorum corpore detexerit, exemplo esse possunt, quæ uberius *pag. 181* de Martis figura recensentur. Cometarum trium singulares & uberiores descriptiones, schematibus illustratas, nobis reliquit, quorum primum a die 20 Julii 1683 usque ad 1 Septembr.. Veronæ observavit, alterum Romæ a 22 April. A. 1702 usque ad 7 Maj. tertium partim Albani, partim

Romæ,

Romae a 17 Oct. usque ad 10 Nov. 1723 in Asterismo Aquarii. Denique, ut taceamus innumerabiles, quae ope Gnomonis *Clementini*, in thermis *Diocletianeis* Romae erecti, circa meridiem & Tangentes rite determinandas, singulis fere diebus instituerat, notanda omnino sunt, quae de stellae ζ Lyrae, prope fidiculam, quae duplex apparere solet, mutationibus *pag.* 208 ab ipso referuntur: *Per vices*, inquit, *videbatur stella* *a *b, *quae major est, bifariam dividi, & ex una stella fieri duplex; nonnunquam stellula una & altera videntur eam circumire hac illac. Ita enim evenit* a, *quae per vices minus lucet, imo & aliquando fere exstinguitur, aut saltem languidissime lucere adspicitur, licet sit aer omnino serenus. Observatio facta est pluribus telescopiis palmarum* 22. 23. 25. *D.* Campani, *aliisque*. In omnibus fere eodem modo semper visa. Stellulam Nebulosam, quam *Bayerus* notat inter Sagittarii η antepedis laevi, & duas extremas caudae Scorpionis, λ & υ dictas, cum per tubum 20 palmarum die 11 Jul. A. 1725 conspexisset, *Blanchinus* observavit plus quam triginta stellas, quarum situm atque magnitudinem peculiari Schemate *pag.* 231 expressam videmus.

A METHOD OF STUDY, OR AN USEFULL LIbrary, &c.
hoc est,
METHODUS STUDIORUM, CUM APPARATU utilium librorum, Autore JO. BOSWELLO.

Tomus I.

Londini, 1738, 8 maj.
Alph. 1 plag. 3.

Etsi tantus est his nostris temporibus hominum studia tractantium numerus, tamque strata ad optimas

quasque artes via, ut nunquam nec major ille, nec hæc commodior, fuisse videatur, sitque summa & librorum copia, & frequentia scholarum, & magistrorum in instituendo contentio; tamen, nescimus quo malo sive literarum, sive reipublicæ, fato, fieri videmus, ut infinitis quidem homunculorum, literarum nomen præ se ferentium, gregibus prematur terrarum orbis; contra eorum, qui ad probabilem aliquem literarum modum pervenerint, vix mediocrem numerum procreet; excellentes autem ingenio, ac doctrina viros singulos singulis seculis ferat. Cujus rei cum variæ afferantur causæ, varia quoque a multis proposita remedia sunt; quæ, in suo tanquam circulo, non omni quidem caruerunt fructu, generatim tamen amplum justis querelis locum reliquerunt. Magnæque adeo debentur doctis viris laudes & gratiæ, qui propiores mali causas partim acumine detexerunt, partim consilio represserunt.

Atque in his *Joannes* quoque *Boswellus* vel maxime e republica fecisse censendus est, qui, cum post alios, ratione potissimum tranctandarum literarum, videret, rem illam totam contineri, de ea sic perscripsit in libro, cujus titulum exhibuimus Lectori, ut & nos libentissime his in paginis ejus faciamus mentionem, & studiosi literarum ii, qui hocce duce usuri sunt, consilii videantur sui non posse fructus non ferre amplissimos atque jucundissimos. Ita enim hunc de via ac ratione in studiis tenenda locum tractavit, ut merito judicarit in Præfatione, illos, etsi doctissimos, homines, qui ante se in ea re versati essent, tamen suis etiam monitis aliquem reliquisse locum. *Pentonum* enim, summum illum quidem suo tempore virum, maxime id egisse, ut scholasticæ disciplinæ, quæ etiam tum multum valebat in Anglia, (est enim *Apparatus* ejus *ad Theologiam* A. 1688 editus,) ex altera parte usum, ex altera vero abusum, exponeret. Jam *Bennetum*, cujus liber exstat, *a Method of study* inscriptus, stricte non nisi

Theo-

Theologiæ ſtudio leges dediſſe, eumque, quem inſtituat, futurum Theologum, in omnibus eruditionis partibus, quibus præparari animus ad ſacra ſtudia debet, probe jam verſatum exercitatumque ſibi finxiſſe. Itaque non tam ſtudiorum tractandorum genera, quam XXXIX Articulorum Anglicanorum rite legendorum tradidiſſe μέθοδον. *Lockium* autem non carere quidem ſalubribus ad hanc rem præceptis; negari tamen non poſſe, librum illum, quem *de Educatione* fecerit, magis ad formandam ætatem puerilem, quam ad provectiore ætate ac ſtudio juvenes, dirigendos, jamque quaſi perficiendos, pertinere. Optima quoque monita eſſe, quæ *Artic. XLIII Reipublicæ literariæ* reperiantur; ſed breviate laborare, neque ſatis exponere modum oculis, quo variæ eruditionis partes aptæ inter ſe connexæque ſint. *Clarkii* deinde, cui idem ſecum propoſitus ſit finis, librum, de his rebus ſtriptum, *(an Eſſay on ſtudy* titulus eſt,) nec viſum a ſe, niſi multum jam provecta opera ſua, eſſe, & præter cetera eo quoque laborare, quod librorum laudet egregiam quidem per ſe ſupellectilem, non vero eam, quæ facultatibus reique familiari plerorumque, qui ad literas ſe darent, æqua ſit & accommodata; prætereaque laudationem potius literarum, quam juvenum inſtitutionem, in oculis habere. Denique *Rollini* opus plurima laude dignum eſſe, inprimisque facere tum ad pretium literarum omnium demonſtrandum extollendumque, tum vero ad juvandos in inſtitutione ſuorum magiſtros; nihilo minus tamen eo peccare, quod primo elegantius, quam planius ordinatiusque, perſcriptum ſit; deinde, quod ſcriptor non magis, quid aptum ſit ad tirociniorum commodum, quam quid palato hominum in ſtudiis jam excellentium conveniat, quæſiviſſe videatur; tum quod utiles ac neceſſarias diſciplinas, unam, quæ de deſcriptione terrarum orbis agit, alteram autem eam, quæ exponit de ratione temporum, vix leviter attigerit. Igitur, quæ in his omnibus aut deſiderata ſunt, aut notata, ea

Boswellus, ut res postulare visa est, aut supplere studuit aut evitare. Cursum autem propositi sui tenuit hunc, ut *altero Volumine* eas complecteretur disciplinas, quibus imbutum animum habere futurum literatum quemque decet; *altero* autem, de quo alio tempore dicemus, speciatim exponeret, qua via & ratione in sanctioris doctrinæ studio sit procedendum. Sed jam tempus est, ut accedamus propius, &, quid sit *priori* illo *Volumine* dictum, paucis more nostro doceamus.

Itaque, ex mente Autoris, post recte jacta in Græca Latinaque lingua fundamenta, omnium primo Dialecticæ Ethicæque præceptis, ac Metaphysicorum Physicorumque institutionibus, futurus literator ingenium imbuat; deinde ad Geographiam accedat, temporum discat rationem, cujusque causa hæc utraque tractanda sunt, Historiam sibi reddat familiarem, tum ad veterum Græcorum Latinorumque libros studiosius legendos animum applicet, atque inde in naturalium rerum scientia diligentius versetur; hæcque communia sibi cum literatis omnibus & plane tenenda esse putet, antequam singulari alicui doctrinæ vitæque generi se dedat.

Geographiæ autem operam navanti hæc sint proposita, ut usum discat Globi terrestris, ut situm plagamque regionum, magnitudinem item divisionesque, cum maribus, montibus, fluviis, memoriæ mandet, & antiqua locorum nomina cognoscat. Ad quæ obtinenda commode, (*Boswelli* enim personam gerimus, merito Anglis suis Anglorum potissimum scripta, tanquam maxime parabilia, commendantis,) his, tanquam adminiculis, libris utatur: *Gordoni* Grammatica geographica, (*Gordon's Geographical Grammar*,) *Harrisii* Descriptione atque usu Globorum, (*Harris's Description and use of the Globes and Orrery*.) *Mollii* Systemate Geographiæ, (*Hermann Moll's System of Geography*,) *Cellarii* Notitia orbis antiqui, *Relandi* Palæstina, *Cluverii* Introductione in universam Geographiam, *Wellsii* Geographia

phia antiqua & nova, (*Wells's ancient and present Geography,*) quodque speciatim ad Britanniam attinet, *Camdeni* Britannia, & *Horsleji* (*Horsley's*) Britannia Romana.

Tum in Chronologiæ studio hæc attendat. Primo Arithmeticæ, Geometriæ, atque Astronomiæ, elementa discat. Post hæc generales illas cognoscat partes, in quas omnis temporum decursus divisus est; inde naturam usumque *Periodorum Cyclorum*que, quos ars induxit, perceptam habeat; præterea principia teneat, quibus *Æræ*, ut vocantur, *Epochæ*que continentur, modumque eas conciliandi, faciat, ut sciat: denique ipsam temporum notationem seriemque, quibus quæque res magna notatuque digna gesta est, memoria amplectatur, atque ad hæc sibi commendatos habeat cum *Harrisio Wellsium*, tum in eo libro, quem *the Young Gentleman's Course of Mathematicks* inscripsit, tum in Chronologiæ Compendio, deinde *Keilium*, cujus exstat Introductio ad veram Astronomiam, & Atlas cœlestis Autore *J. Flamsteedio*, *Strauchium*que, a quo relictum Breviarium Chronologicum habemus.

Quibus rebus si bene præparatum ingenium habeat, ad Historiam ipsam sic accedat, ut, nisi etiam *Hearnii* Ductorem historicum, & *Rawlisonii* Methodum Historiæ tractandæ, (*Method of studying History,*) antea legat, primam tamen curam habeat hanc, ut, præeuntibus *Lewisio*, Originum Hebræarum, *Pottero*, Antiquitatum Græcarum, *Kenneto*, Romanarum, Autoribus, mores veterum ac consuetudines perlustret. Inde, lectione *Hindii*, & *Echardi*, quorum ille Græciæ, hic Romanorum, Historiam fecit, præmissa, tum ipsos libros sacros, tum *Shuckfordi* & *Prideauxii* verset volumina, quibus illi sacras profanasque Seculorum ultimorum res descripsere; inde *Justinum*, *Herodotum*, *Thucydidem*, *Xenophontem*, *Diodorum Siculum*, & *Q. Curtium*, aut *Arrianum* de expeditione *Alexan-*

dri, Vitasque *Plutarchi*, ad amplius cognoscenda Græciæ fata adhibeat; rerum autem Romanarum Autoribus, *Floro*, *Livio*, *Sallustio*, *Cæsare*, *Suetonio*, *Tacito*, utatur, atque, ubi hi deficiunt, defectum suppleat *Cap. III, IV*, & *V Volumine*, quæ sunt *Echardi* Historiæ adjuncta, seriemque rerum gestarum ad captam a Turcia Constantinopolin deducunt. Quæ autem propiora nostræ ætati sunt, hæc aut summatim e *Pufendorfii* Introductione, *Salmonis* Historia nationum omnium, similibusque libris, aut diductius ab *Echardo*, & *Rapino de Thoyras*, Anglicæ Historiæ Scriptoribus, *Buchanano*, Scoticæ, *Clerico*, Belgicæ, *Daniele*, Gallicæ, Hispanicæ *Mariana*, Lusitanicæ *le Quien* & *Vertoto*, accipiat. Ac, ne, tanquam sine gubernatore navis in pelago, sic in his legendis feratur historiarum cupidus, quammaxime ipsi videndum est, ut, dum iter ingreditur, probe jam certum habeat, & quid sit id, quod præcipue sibi ex tanta rerum copia notandum tenendumque sit, & qua possit illud ipsum fieri ratione commodissima. Ad quorum illud quidem prius hoc præceptum pertinet, ut non modo suum ipsius vitæ genus considerans, quæ sunt huic potissimum propria & convenientia, sic attendat, prout ipse sive ad rei civilis habitum, sive bellorum disciplinam, sive ad naturalium rerum ac Philosophiæ cognitionem, sive ad rationes grammaticas, sive ad antiquariam scientiam, sese applicuerit; sed generatim etiam ubique, quid sit verum, quærat; mores populorum cognoscat; causas prosperarum adversarumque rerum bello & pace eruat; scrutetur, qua animi indole & gentes integræ, & singuli viri, rebus gestis clarentes, fuerint; vitæ præcepta notet; religionumque, quæ ubique fata & conditio fuerint, observet. Adminicula autem sui studii adhibeat hæc: Omnem temporum complexum in certas partes dispescat; in legendo ad manum habeat & chronologicas tabulas, & geographicas; quæ maxime sua recordatione digna putarit, hæc,

aut

aut ſcribendo in adverſariis, aut relegendo, menti imprimat; numos denique, itemque memoriales rerum verſus, in auxilium adſciſcat.

Et hæc quidem ad dirigendum, & cum fructu tractandum, Hiſtoriæ ſtudium pertinent; quæ omnino probe eſt in memoria atque in pectore habenda, antequam poſſit tractari accuratior veterum lectio utiliter. Sic enim tenendum eſt, ſine luce Hiſtoriæ, Græcæ quidem inprimis ac Romanæ, multum ejus pulchritudinis, cujus pleni ſunt antiqui Scriptores, effugere legentis ſenſum, multa obſcure, multa dubie, dicta videri, multa difficilia, quæ Hiſtoriam probe callenti venuſta, clara, atque aperta, ſunt.

Non enim, qui ad excellentem aliquem doctrinæ gradum adſpirant, in eo acquieſcere debent, ut, quæ inferiorum ſcholarum cura eſt, Latinos Græcosque libros ſic ſatis intelligant grammatice; ſed eo anniti, ut omnem eorum venuſtatem pernoſcant, ſcribendi genus, ingenium, & eloquentiam, in ſuasmet ſcripturas transferant, ac veluti ſeſe totos in elegantiam gravitatemque ipſorum transforment. Hæc enim Philoſophum ornant, juvant Hiſtoricum, faciunt Oratorem. Nomina autem deſiderat aliquis ſcriptorum, de quorum recta lectione tam magnifice promittimus? Primo loco hæc ſunto: e Graecis *Novum Teſtamentum Græcum. Homeri*, *Platonis*, *Demoſthenis*, *Æſchinis*, Opera, *Xenophontis* inſtitutio *Cyri*, *Plutarchi* opera; e Latinis vero *Ciceronis* opera, *Livii* Hiſtoria, Commentarii *Cæſaris*, *Salluſtii* Hiſtoria, *Virgilius*, *Horatius*, *Terentius*. Ex Anglis autem commendabiles ſunt volenti ex his proficere, *the Spectators*, *Addiſon's Works*, *Pope's Works*, *Milton's Paradiſe loſt*, *Atterbury's Works*, *Bakers Reflections upon Learning*, *Clarendon's Hiſtory*. Quibus, qui procedere volent amplius, addant reliquos, claſſicorum Græcorum & Romanorum nomine notos, & ex Anglis *Raleigh's Hiſtory*, *Tillotſon's Sermons*, *Sherlock upon Prophecy*,

phecy, the Trial of the Witnesses, the Tatlers, the Author of the whole duty of man's works, ut alios taceamus. His cum viris quomodo prudenter conversari deceat, inprimis *Blackwallus* (in *the Introduction to the Classics*), *Popius* (in *Essay upon Criticism*), & *Rapinus* (in *his Critical Works*), præterea vero *Aristoteles*, *Longinus*, *Dionysius Hal.*, *Cicero*, *Horatius*, *Quintilianus*, *Bossu*, *Boilavius*, *Dacerius*, *Felton*, *Trapp*, *Constable*, ceteri, docebunt.

Jam vero etiam eam scientiam aggrediatur, quæ naturalis Philosophiæ nomen hodie obtinet, deque proprietatibus atque operationibus mundi, qui e materia constitit, exponit, atque secreta naturæ, universi pulchritudinem, atque admirabilem in his providentiæ sapientiam & industriam sectatur. In qua recentiorum, quam antiquorum, studium majus extitit, inprimisque diligentia prædicanda, & libri laudandi sunt, utriusque *Baconis*, *Cartesii*, *Newtoni*, *Gravesandii*; & commendandum, quicquid præterea studii ad hoc scientiæ genus *Boylius*, *Derhamus*, *Niewentyt*, *Rajus*, *Grajus*, *Halesius*, *Lowthorpius*, *Jonesius*, *Reidius*, contulerunt. Per quos omnes ire, si aut res, aut tempus, non permittat, satagat aliquis duos hos libros legere, quorum unus *Martin's Philosophical Grammar*, alter *A View of Sir Isaac Newton's Philosophy by Dr. Pemberton*, inscribitur.

Huc autem si quis bene processerit, & tum Philosophia, tum etiam locorum ac temporum cognitione, institutione historiæ, eloquentia & literis veterum, studioque rerum naturalium, formatum habuerit & exornatum ingenium; tunc vero securus esse de optimo successu sive in divinis literis, sive in legibus & jure populorum, sive in mortuorum curationibus, discendis potest. Hæc autem præparantia negligere, nescio stoliditatis, an ignaviæ, majoris est: quanquam nec alterum, id est, pluribus hæc cumulare, expedit, estque cum ad necessitatem superfluum, tum ad animum cupiditatemque tædiosum. Quodsi quid tamen delicato & impatienti pecuniosorum quorundam palato dandum est, ne studii eos satietas capiat; ars pictoria, architectura, quæque Heraldica vulgo dicitur, adhibendæ maxime sunt, quibus mitigetur, & tanquam intertexatur, solidiorum literarum severitas. Itaque & harum rerum tractationem, quæ satis sit, appendicis loco in *Capite VII* legendam dedit *Boswellus*. De cujus *priori* hoc *Volumine* satis, opinamur, dixerimus, si adjunxerimus id unum, sic esse hanc ejus de studiorum ratione institutionem perscriptam, ut vel propter eas res solas, quæ propriis præceptis non continentur, sed tanquam obiter passim admistæ sunt, homini literarum amanti lectio ejus & utilissima, & jucundissima, esse possit.

(o)

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio XI.

EPITOME HISTORICA REGII LIBERI, exemti, in regno Bohemiæ antiquissimi, celeberrimi ac amplissimi, Monasterii Breunoviensis, vulgo S. Margarethæ, Ordinis S. Benedicti prope Pragam; Autore R. P. MAGNOALDO ZIEGELBAUER, Ordinis S. Benedicti Professo in Imperiali Monasterio ad duplices aquas.

Coloniæ, apud Gotthard. Joannem Puttner, 1741, fol.

Alph. 3 plag. 19.

Cujus Autoris jam olim *Novum rei literariæ Ordinis S. Benedictini Conspectum* Lectoribus pro dignitate commendavimus, ad ejusdem *Historiam Monasterii Breunoviensis* perlustrandam jam convertimur, & maxima ex parte collaudandam. Rem per se præclaram præstitit Autor, cujus exemplo, optandum, ut & alii excitarentur, ad similium Monasteriorum origines, fundationes, privilegia, immunitates, casus & eventus, Abbatum & illustrium virorum vitas, & quæ sunt alia peculiari commemoratio-

ratione digna, æterna tamen quasi oblivione sepulta, plenius diligentiusque persequenda. Ita enim futurum esset, ut multa, alias peritura, & nunquam satis dolenda, injuriæ ætatis eriperentur, inque ipsorum Monasteriorum utilitatem & famam, commodumque posteritatis, servarentur. Fata ergo *Monasterii Brzenaviensis*, seu *Breunaviensis*, *Capitibus XVIII* adumbravit Cl. Autor, quæ jam suo ordine, ut moris est nostri, delibabimus.

Cap. I fundationis Autor *originem & historiam* inquirit.
Pag. 1. Situm est hoc Monasterium ad pedem montis albi, loco peramœno, dimidio fero lapide ab urbe Praga; cujus prima fundamenta jecerunt S. *Adalbertus*, secundus Episcopus Pragensis, Hungariæ, Poloniæ, & Prussiæ, Apostolus, & *Boleslaus II*, Bohemiæ Dux. Uterque, Autore ita tradente, somno a Deo separatim admonitus fuit, ut eum locum condendo Monasterio deligerent, ubi fontem, ex quo cervus frigidam hauriret, reperturi es-
2. sent. Ut per somnum imperatum, ita factum, & templum A. 993 a D. *Adalberto* sacris S. *Benedicti*, Patris Monachorum, & SS. *Bonifacii* Martyris & *Alexii* Confesso-
6. ris, consecratum fuit. Duplici utitur Monasterium hoc insignium genere. In Abbatis enim clypeo ramus decussatim positus spectatur, qualis prope fontem, ex quo cervus aquam hauserat, humi stetisse, &, radio cœlesti super eum relucente, locum Ecclesiæ designasse, creditur. Conventus vero tribus rosis, in albo campo rubescentibus,
7. utitur. *Caput II dotis, seu fundationis, instrumentum* a parte *Boleslai*, Ducis, comprehendit. Quæ enim ex ipsius *Adalberti* liberalitate in Monasterium profluxerunt, per partes definire Autor non potuit, cum maxima monu-
17. mentorum supellex interierit. *Caput III Bullas Summorum Pontificum, Chartas Episcoporum, Diplomata Imperatorum, Regum, ac Ducum, quibus dos & fundatio Monasterii vel confirmatur, vel augetur, jura autem & bona ejus indemnia redduntur*, sistit. Præcipua omnium est Bulla *Joannis XV*, P. M., quæ Monasterium

sub

ſub immediatam Sedis Apoſtolicæ tutelam ac præſidium recipit; Abbati uſum Pontificalium indulget; eandem Eccleſiam caput & magiſtram in correctione & reformatione omnium in Bohemia Ordinis S. *Benedicti* Monaſteriorum conſtituit; primum locum poſt Epiſcopum Pragenſem habere Abbatem, ſimulque liberrimam ejus electionem eſſe, jubet. In dubium quidem haud ſemel vocata eſt Pag. 20.
Bullæ hujus fides; at modis omnibus vindicare & reſtituere eam contendit Autor. Sequuntur aliæ Bullæ *Gregorii IX* & 38.
Benedicti XII, poſſeſſiones, privilegia, exemtiones, aliaque jura, a quocunque huic Monaſterio conceſſa, confirmantes, quas inter & referenda illa *Bonifacii IX*, quæ 39.
Monaſterium ab omni jurisdictione Archiepiſcoporum, Legatorum natorum, & quorumcunque, eximit. Accedunt porro Diplomata *Ottocari*, Bohemiæ Regis III., 40.
anni 1213, quo Prioratum Policenſem, a ſe fundatum, Monaſterio Brzevnovienſi pleno jure incorporavit; *Wenceslai* Regis IV de anno 1234, *Joannis* de anno 1335, *Caroli IV* Imperatoris de anno 1351, *Sigismundi* de anno 1436, aliorumque, quibus ſingulis jura & poſſeſſiones repetuntur, ac denuo confirmantur. *Caput IV immunitates & privilegia* Monaſterii recenſet. Gaudet enim præter ea, 44.
quæ Bullis Papalibus confirmata diximus, jure monetandi & ſanguinis in bona, quæ poſſidet, aliisque. *Caput V Benefactores Monaſterii præcipuos*, eosque variæ dignitatis, 50.
laudat. *Caput VI ſeriem XLIX Abbatum Brzevnovienſium* recenſet, ex quibus *Anaſtaſius*, ordine primus, gente Romanus, 59.
illuſtri loco natus, a S. *Adalberto* Cœnobio præfectus, tantaque ſanctitate conſpicuus, fuit, ut & mortuum diſcipulum precibus ſuis ad vitam revocaverit; tandem a S. *Stephano*, Hungariæ Rege, ad Colocenſem Epiſcopatum evectus. *Mainhardus*, ſecundus ſtatione, actui illi interfuit, 61.
quo A. 1086 *Engelbertus*, Archiepiſcopus Trevirenſis, Pragm miſſus eſt, ut Duci *Wratislao* regium diadema imponeret: primæ enim partes Epiſcopo manſerunt. De *Triſtano*, qui Amor fratrum dictus 65.

eſt, ſpes omnium inde a morte ejus, qui in annum 1292 incidit, fuit ex eo, quod cœlo vicinior ſederet S. *Benedicto*, ac vivens virtutes Patriarchæ ſui Ordinis ſtu-
Pag. 68. dioſe fuerit imitatus. Sub *Sigfrido*, ab anno 1409 Abbatis dignitate fulgente, turbæ *Huſſiticæ* ſub-
69. natæ; ſub *Nicolao* vero monaſterium ab Huſſitis A. 1420 adverſa quæque & crudelia expertum eſt, ſolo æquatum, monachis vel expulſis, vel interfectis, vel Pragæ igne combuſtis. Sed *Joannes I* monaſterium
72. deſtructum e ruderibus inſtaurare cœpit. *Martinus II*, ex Ordine, quod mireris, S. *Dominici*, *Rudolphi II* Imperatoris autoritate Abbatis dignitatem obtinuit, quem ut avariſſimum, diſciplinæ monaſticæ negligentiſſimum, aliisque vitiis conſpurcatum, ideoque tandem dignitate ſua
74. privatum, depingit Autor. Sub *Wolfgango* motus Bohemici exorti, occaſione templi, quod Auguſtanæ Confeſſioni addicti, vi literarum majeſtaticarum, a *Rudolpho II* Imperatore obtentarum, Braunæ ædificare ſunt conati. Ubi quidem omnes modeſtiæ fines transgreſſus Autor, *virum hunc zeloſum modis omnibus Braunæ idolum Dagon deformatæ ſectæ collocari vetuiſſe*, ſcribit. O deteſtabile effatum! Trinunum Numen, quod adorant Evangelicæ religioni addicti, & cujus cultui templa dicant, cum Dagone comparari; religionem, ſaluberrimis & ſapientiſſimis S. R. I. Conſtitutionibus fundamentalibus firmatam, *deformatam ſectam* appellari; talia num aliquis exſpectet a Theologo, Chriſti manſueti ac pacifici veſtigia premente, aut eruditione, humanitate, modeſtia, & morum
58. integritate, a plebis fæce ſe alienante? Sed mittamus hæc, bonis omnibus abominanda. Ultimus numero, A. 1738 ad Abbatis dignitatem elatus, Reverendiſſimus *Benno II*, hodienum adhuc in vivis eſſe dicitur; Prior in Cœnobio ſuo modeſtia, comitate, humanitate, affabilitate, inſignis, litium fugiens, pacis amans, cujus præclaræ adeo virtutes aliis,
87. in ſimili dignitate viventibus, exemplo ut ſint, optamus. Ab his jam *Cap. VII* ad *Viros illuſtres*, qui monaſterium

in-

incoluerunt, se convertit Autor. Primum merito locum tribuit S. *Adalberto*, fundatori, Comiti *de Lybitz*, quem & Archiepiscopum Gnesnensem appellat, in quo tamen consentientes non habebit rerum notitia imbutos. Episcopatus enim Gnesnensis in Archiepiscopatum ab *Ottone III* Imperatore, postquam S. *Adalbertus* cruenta cæde apud Prussos jam interemtus fuerat, elatus est. Sequuntur ordine S. *Gerhardus*, frater S. *Adalberti*, S. *Anastasius*, alio nomine *Africus*, apud Hungaros postea clarus, S. *Bonifacius*, apud eosdem Martyr, aliique, quorum vitas nimis brevi recensione a nobis adumbrari, vix sufficeret Lectori. Legi præcipue adhuc merentur, quæ de S. *Pro-* Pag. 99.
copio narrat Autor. His ergo absolutis, *Cap. VIII sacras* 122.
reliquias, quæ in sacrario monasterii pie servantur; *Cap. IX cultum, ædes, & stationes B. V. Mariæ*; & *Cap. X sepul-* 130.
cra, epitaphia, & inscriptiones, recenset. Antiquitatem ac 136.
celebritatem monasterii, multorum item venerandas reliquias, Procerum haud paucos incitasse, ut hoc in monasterio dormitorium sibi procurarent, facile nobis persuaderi potest. *Nullum vero* (sunt verba Autoris) *sepulcrum, atque S.* Guntheri, *illustrius, magisque gloriosum, fuit. Erat hic summo loco natus, dives opum, armis inclytus. Ut in Principum Thuringiæ, majorum suorum, vestigia iret*, (sed bonum factum fuisset, si tribus tantum verbis prosapiam ejus indicasset Rev. Autor,) *castra sectatus est. Virtutem bellicam* Udalrico, *Bohemiæ Duci, probavit. Postquam vero cados mundi sat diu siccasset, nauseare demum fæce immunda plenos cœpit. Igitur, posito nitente ac purpureo sago, vilem togam Benedictinam induit. Cum virtutibus alios monachos longe anteiret, potestas ipsi facta est, e monasterio in eremum secedendi. Verum sanctitatis effigiem visurus, S.* Stephanus, *Hungariæ Rex*, Guntherum, *cognatum suum, ad se, missis legatis, invitavit. Ægerrime vero post trinam legationem venit. Epulo regio exceptus, ne carnes comedere cogeretur, assum pavonem, plumis subito indutum, in*

 aera

aera misit. In eremum redux, A. 1044 a monachis monasterii anxie rogatur, ut ejus habenas susciperet. Annuit tandem, & asello, quem monachi adduxerant, impositus, iter aggreditur. Sed hem! tibi prodigium. Asinus, dum versus Brzevnovium vestigia movet, ea perduræ rupi, haud secus atque mollissimæ ceræ, imprimit, infigit, pedibusque ita tenaciter inhæret, ut eis extrahendis haud par fuerit. Quo miraculo omnes attoniti, facile intellexerunt, divinam neutiquam esse voluntatem, ut Guntherus *monasterii fasces capesseret. Igitur hic in eremum, illi Brzevnovium reversi sunt.* Obiit A. 1145, & postea in Sanctorum numerum relatus,
Pag. 158. plurima miracula edidit. *Cap. XI Scholam, Bibliothe-*
162. *cam, & Archivum,* perlustrat Autor, sed dolet, Manuscriptorum supellectilem A. 1420 Hussitarum excursionibus maximam partem devastatam, & Vulcano immolatam fuisse. Interim ibi quoque Numophylacium, variis aureis, argenteis, & æneis, numinis instructum, custoditur. *Cap.*
164. *XII Observantium disciplinas monasticas, ritus veteres,*
169. *& antiquas consuetudines; Cap. XIII Brzevnovii excidium, ejusque instaurationem*, describit. Hussitarum præcipue ferocitatem expertum est monasterium, A. 1420 flammis eversum, & fere expilatum. Abbas *Nicolaus* ergo, necessitate coactus, sedem Abbatialem tunc temporis Braunaviam transtulit, ubi ad hæc usque tempora persistit. Inde fit, ut *Abbas* hodie inscribatur *Brzevnoviensis in Braunau.* Ipsum monasterium post reparatam quietem postliminii jure instaurari cœptum, successu temporis varie auctum, & A. 1722 tandem ad novum fa-
176. stigium perductum fuit. *Caput XIV Præposituris, seu Prioratibus, Brzevnovio subjectis*, seu quatuor filialibus, ut vocantur, Cœnobiis, Rayrhadio, Policio, Braunovio, & Wahl-
197. stadio; *Caput XV Monasteriis Ordinis S. Benedicti in Bohemiis, & Moravia, Abbati Brzevnoviensi ut Visi-*
214. *tatori Generali & perpetuo subjectis; Caput XVI*
Mona-

Monasteriis, in quæ e Brzevnovio primæ coloniæ inductæ fuerunt, dicatum est. Celeberrimum vero inter illa est Talense in Hungaria, prope Taurinum, in monte S. *Martini*, *Stephani*, qui primus inter Reges Hungariæ Christo nomen dederat, tempore fundatum. *Caput XVII* Pag. 222. *alia memoratu digniora*, *eventus*, *variosque casus*, complectitur. Notari meretur insignis monachorum numerus, qui olim Cœnobio interfuerunt, usquedum ab Hussitis dissipati & imminuti fuerunt. Probat hoc Autor ex Carmine quodam vetustissimo, ubi ita canitur:

Florente Brzevnovio quinquies centum in loco
Vixere fratrum in officinis in choro
Sophiæque cathedris sexies dein pares.

Sed en aliud, dignum, quod notetur: Adhortatus erat S. 225. *Adalbertus* A. 992 cives Pragenses, ne ob annonæ caritatem fruges in cerevisia coquenda consumerent; inobedientes vero ob lucri cupiditatem, excommunicaverat tandem; quæ vincula ad A. 1244 usque continuata sunt, quo anno demum ab *Innocentio IV*, P. M. relaxata fuerunt. *Ultimo Capite Conclusionem Epitomes historicæ* addit 230. Autor, *in qua ejus inscriptio dilucidatur*. In rubro enim monasterium Brzevnoviense appellavit 1) *regium*, ab *Adalberto*, Regum Germaniæ & Ducum Bohemiæ cognato, (uti Autor censet scilicet,) fundatum, & a Regibus Bohemiæ privilegiis & variis donationibus ornatum; 2) *liberum*; 3) *exemtum*, a jurisdictione scilicet Archiepiscopi Pragensis; 4) *antiquissimum*, quia omnia alia in universo Bohemiæ regno ætate & tempore antecedit; 5) *celeberrimum*, tam ob fundatorem S. *Adalbertum*, multarum gentium Apostolum, quam ob privilegia, libertates, immunitates, quatuor Prioratus, ipsi subjectos, viros illustres, qui in eo vixerunt, etc. 6) *amplissimum*. Absolutæ huic fatorum & eventuum monasterii recensioni, in *Parte secunda* Codicem probationum, seu Diplo-

ma-

matum, XXXI numero, annectit, fundationes, dotem, possessiones, immunitates, aliaque, in *priori Parte* asserta, corroborantium. Totum ergo Rev. Autoris hoc Opus ita comparatum esse judicamus, ut sua merito laude sit condecorandum, eleganti quippe stilo, bonoque ordine, pertextum & absolutum; optimis insuper Autorum & documentorum probationibus suffultum. Unum id dolemus, quod nimio erga dissentientes a Pontificiis sacris fervore incensus, præcipuam æquitatis naturalis legem: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, sæpissime violaverit, hocque modo officiis boni Historici, qui, rerum eventus recensendo, ab omni partium studio alienus plane esse debet, minus fideliter functus fuerit: quo quidem intempestivo Dei colendi modo non solum sacris illis, quæ ipse profitetur, sed propriæ etiam existimationi, apud æquos rerum æstimatores maculas haud leves inussit.

THE DIVINE LEGATION OF MOSES demonstrated, &c.

hoc est,

DIVINA LEGATIO MOSIS DEMONstrata, secundum principia religiosi cujusdam Deistæ, ex omissione doctrinæ de futuro statu præmii pariter ac pœnæ in Judaica disciplina, sex Libris inclusa, Autore GUILIELMO WARBURTONO, A. M.

Londini, apud Fletcher Gyles, 1738 & 1741, 8 maj. Alph. 2 plag. 12.

Clarissimus Autor, qui eximiam Diaconi spartam in aula Regii juventutis Principis Britannica adhuc ornavit, jam aliquot abhinc annis librum edidit, patrio suo sermone conscriptum, hocque indice: *Concordia ecclesiæ &*

& *ſtatus civilis*, inſignitum. Hunc ipſum librum amplificare ac dilatare, cum exiguæ molis eſſet, operæ pretium ſe facturum, exiſtimavit. Quam ob cauſam *bina* propoſitæ rei deſtinavit *Volumina*, & cavit etiam atque etiam, ne quid ei roboris deeſſet ac firmamenti. Vivunt in Anglia duplicis generis *Deiſtæ:* alii omnem ejuraverunt religionem, *athei* rectius nominandi; alii vero Deum recipiunt ac naturalem religionem, neque omnem hiſtoricam revelatæ veritatem in dubium vocant. Atque hi etiam præ ſe ferunt, *futura* dari *præmia* pariter ac *ſupplicia*, eamque ob cauſam *religioſi Deiſtæ* a S. Rev. Autore dicuntur. Solenne iisdem eſt, ut rationes ita ſubducant: *Moſes*, cum Judaicam firmaret religionem, de præmiis ac pœnis nihil decrevit futuris. Ergo perſpicue falſum eſt, eum eſſe Dei Legatum. Clariſſ. autem *Warburtonus*, eodem ſumto principio, repugnantem hanc valere cupit concluſionem; itaque verum eſt, divinam legationem obiiſſe *Moſen*. Omnis hæc ſcriptio *ſex* abſolvitur *Libris*, & *tribus* quidem *prius Volumen*, ac *totidem alterum*.

Præmiſſa eſt *priori Volumini* copioſa Autoris *ad Deiſtas* dedicatio, in qua uſus eſt ea diſſimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant. Dici non poteſt, quam ingenioſo & erecto dicendi genere moribus *Deiſtarum* illudat, & inficetas exprimat opiniones, pro quibus, tanquam pro aris ac focis, certare conantur. *Tria* potiſſimum ex eorum ſcriptis excerpſit *vitia*, quorum eos poſtulavit; Pag. 29.
unum eſt immoderatum, omnia ſine diſcrimine irridendi, ſtudium, quod divinæ veritates, & ſacri ordinis homines, adhuc inprimis experti ſunt. Quid? quod nec *Lockius*, Philoſophus acutiſſimus, hoſtilem *Collini* & Ill. *Schaftsburii* irriſionem poſt fata minime effugere 22 ſeq.
potuit. Et ille tamen *Lockio*, dum in vita manſit, familiariter uſus erat: hunc vero educaverat *Lockius*, ſemenque eximiarum ejus virtutum fuerat. Cauſa hujus erat irriſionis, quia *Lockius* nonnullis favebat ſententiis,

quæ malæ Deistarum causæ officiunt. Vid. *Jo. Clerici Bibl. choisie Tom. VI pag. 343*, & *Characteristics*
Pag.29,33. *Vol. I pag. 80, 299, 302*, ed. tertiæ. *Alterum* vitium est nimia affectatio alienas fingendi sumendique personas. *Libere cogitans*, qualem hodie cultissima fert insula, verus est *Proteus*; id quod coryphæi eorum, *Collini*, confirmatur exemplo. Nunc ab Ecclesia dissentit Anglicana, nunc Romani Pontificis se præbet assentatorem, modo Judæus est, modo *Mohammedis* amicus. Tandem, re melius putata, exitus docet, nihil eum esse, præter professum ali-
29,37. quem religionis omnis contemtorem. Accedimus ad *tertium* Deistarum vitium, quod est: amor contradicendi, qui eos impellit, ut, quoties eruditum aliquod adeunt certamen, ita se gerant, ut nunc sceptici, nunc vero dogmatici, esse videantur. His tribus vitiis omnes *artes disputandi* ac technas hominum *libere cogitantium* Cl. Autor putat contineri.

Ipsum *prius Volumen* necessitatem exponit religionis, generatim ac universe spectatæ, sigillatim dogmatis de statu futuro, prout ad civilem societatem refertur, hancque, cum ex rerum natura, tum ex communi generis humani consensu, demonstrat. Nullus non *Liber* in *Sectiones* destribuitur, & *primus* quidem *sex* in se continet. Hic totus *Liber*, quemadmodum doctrina de futuro statu, cum præmiorum, tum pœnarum, ad civilem necessa-
I. ria sit societatem, ex ipsa rerum natura demonstrat. Ac *Sectio* quidem *I introductionem* exhibet breviorem. Duo sunt argumentationum genera, quibus religionis revelatæ propugnatores usi sunt: unum est, in quo *interna*, alterum, in quo *externa*, elucet *evidentia*. Prior illa *interna evidentia*, quæ ex interiori rerum natura ducitur, multo est nobilior, veramque recipit demonstrationem. *Externa* vero *evidentia*, ex rebus quibusdam, extra rem ipsam positis, sancitur, & certa ejus, quæ videtur, ratio facile, occasione sic ferente, mutatur. S. Rev. Autor non sine causa *internam* adoptavit *evidentiam*, atque, ex omissio-

ne

ne futuri ſtatus in Judaica diſciplina, divinas ejus origines eſſe, planiſſimum fecit, eo quidem conſilio, ut Deiſtis o- Pag. 6.
ſtendat, 1) eam ipſam omiſſionem non imperfectionem Judaicæ religionis arguere, ſed, a Deo hanc profectam eſſe, magno potius eſſe argumento; 2) illos S. Scripturæ locos, quos illi obſcuritatis, injuſtitiæ, ac repugnantiæ, accuſant, luce ſua ſplendere, æquitati minime adverſari, & inter ſe amiciſſime convenire; 3) antiquitatem, quam ſibi fingunt, religionis, & eruditionem *Ægyptiorum*, quam, omni oblata occaſione, tanquam *primarium argumentum*, ſanctiori *Moſis* hiſtoriæ opponunt, ejusmodi eſſe, ut eam potius ita confirment, nihil ut ſupra ſit.
Tantam in demonſtratione ſua fiduciam ponit, ut, certam 7.
ejusdem rationem a mathematica parum diſtare, animum inducat. Unicam ſibi vult ſumtionem, quam *poſtulatum* vocat, concedi; præſertim cum nihil ea clarius ac evidentius fieri cogitarique poſſit. Hoc nimirum vult pro non amplius controverſo ſumi: prudens legislator, religionem aliquam, & civitatem, conditurus, certam animo metam deſignavit, certosque ante oculos fines habet poſitos; nihilque præpoſtere, ſibique obſequens, ſed deliberato cuncta conſilio, agit. Hoc dato, vim demonſtrationis omnem his *tribus* niti jubet *propoſitionibus*, quarum *prima* ita ſe habet: dogma de futuro ſtatu præmiorum ac pœnarum, civilis ſocietatis cauſa, neceſſario inculcandum eſt. *Altera*: omnes in univerſum homines, ſigillatim iis antiquiores populi, qui ceteros ſapientia & eruditione vicerunt, in eo conſenſerunt, ut crederent ac docerent, in civili hanc doctrinam ſocietate magnum habere uſum. *Tertia*: doctrina de futuris præmiis atque ſuppliciis in univerſa Judaica, quam *Moſes* condidit, civitate nec reperitur, nec vero ullam ejus partem conſtituit.

Ex illis enuntiatis, interuenientibus quibusdam mediis, uti vocantur, terminis, hanc tandem deducit concluſionem: ergo lex *Moſis* a Deo profecta eſt. *Sectio*, quæ ſequitur, *II Prop. I* cum ex *hominis natura*, tum 9.

ex *genio civilis* probat *ſocietatis.* Ratio docet hominem, ut ſui conſervandi curam habeat. Et prætérea cupiditas, qua omnia animalia ad ſui conſervationem impelluntur, in homine maxima eſt. Huic cum cupiditati, ſive ex abuſu libertatis, ſive alia de cauſa, nimium obſequeretur; accidit, ut ſibi quisque uni proſpiceret, ceterosque naturæ ſocios liberiori ejusdem juris uſura privaret. Hinc violentia, rapinæ, cædes, ortæ, quæ in ſtatu quidem naturæ non commode ſatis coerceri pote-
Pag. 10. rant. Et, quamvis religio homines immoderato ſui amore interdiceret, communis tamen deerat arbiter, qui regulam juris rite applicaret, &, quousque hominis cujusvis vires pertingerent, lege definiret. Ex quo perſpicua eſt civilis ſocietatis neceſſitas, ut quæ injuſtitiæ occurreret. Immo & magiſtratus civilis, ut æquale cuique jus vindicaret, requirebatur. Cum igitur civilis ſocietas
11, 12. erecta eſſet, inde ab eo tempore, ut Poeta canit:

\- - - - *abſiſtere bello,*
Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur eſſet, nec latro, nec quis adulter.

Sicut autem religio ſola vitiis mederi haud poterat; ita nunc ſocietas minime ſufficit, niſi religio in auxilium vocetur. Namque civiles leges 1) non niſi ab aperta juris
13. violatione homines abducere valent; 2) non niſi aperta punire crimina poſſunt; 3) ejusmodi ſunt, ut ſola, quia *perfectam* requirunt *obligationem*, urgere queant officia, iis vero, quæ *imperfectam* continent *obligationem*, officiis autoritatem conciliare nequeant; 4) novum, ex ſocietate manans, *imperfectæ obligationis* introducunt offici-
14. um, *pietatem* nimirum *erga patriam*; nec 5) irritamentis malorum, quæ cumulatiora in ſocietate, quam in ſtatu naturali, reperiuntur, efficacia ſatis habent remedia, quæ opponant. Reſtat magnum aliquid, quo civile caret imperium, *ſanctio præmiorum*, cujus nec, cum primum inſtitueretur, ulla fuit ratio habita, nec vero haberi

beri poteſt; primum, quod *motiva*, vel ſi mavis, cauſas actionum moventes, quarum notitiam præmiorum requirit diſtributio, nemo explorate ſcit homo; deinde, quoniam fons commodus excogitari nequit, unde præmia hauriantur civilia. Itaque ſola pœnarum ſanctio in civitate locum habere potuit. At vero religio ſupplet illa, quæ civitati deſunt. Ergo religio ad civitatem eſt neceſſaria. Sunt autem, qui hanc veritatem infirmare moliuntur, quorum petulantiam Rev. *Warburtonus* in *Sectione III* coercet. In his celeberrimi triumviri, *Pomponatius*, *Cardanus*, & *Baylius*, vulgo numerantur. Quod vero ad *Pomponatium*, familiæ Peripateticæ Seculo XV addictum Italum, attinet, hunc quidem invitum *Baylius* ad ſuas partes pertraxit. Scripſit ille A. 1534 in 12 libellum *de immortalitate animæ*, in quo vincit, animas hominum morte carere, ex *Ariſtoteleis* principiis demonſtrari minime poſſe. Idem vero *pag. 99, 119, 123 ſeq.* diſertis verbis faſſus eſt, ac præ ſe tulit, Philoſophis quidem, qui delectationem virtutis, ac miſeriam vitii, ſciant, hoc dogma non multum nocere, ad refrænandum autem diras aliorum hominum cupiditates datam eſſe ſpem præmii, & timorem punitionis. Quam animorum mortalitatem toti hominum generi non vult inculcari; verum agnoſcit ille uſum, atque adeo neceſſitatem, religionis in humana ſocietate. Ut igitur non faverit errori, qui omnem religionem ex civitate in exilium ejicit; ex charybdi tamen in ſcyllam, hoc eſt, ex minori illa in hanc majorem incidit aberrationem, ut, religionem callidorum hominum inventum eſſe, ſciſcat. Quam cum in dicto ſimul libello in lucem protulerit; mirum videbitur nemini, quod a nonnullis atheiſmi macula ipſi inuſta fuerit. *Cardanus*, qui non minus, quam *Baylius*, *Pomponatium* ſecum facere, putavit, immo nonnulla ex hoc argumenta petiit, omnes alios impudentia vicit, ac, religione ſocietati nihil capitalius accidere, profeſſus eſt, in *de Immortalitate animarum* libro. Lugduni apud *Gryphium*

Pag. 17, 18. — 20 ſeq. — 24. — 30. — 31.

Pag. 33. A. 1545 edito. Sequitur *Sectio IV*, in qua *Baylii* acumen laudibus in cœlum extollitur, tum vero ejus sententia, *de*
34. *atheismo, societatem non evertente*, sub judicium vocatur. *Baylius innocentiam atheismi* ex eo probat, quod homo, qui ei patrocinatur, notionem moralis
35. differentiæ boni ac mali habere possit, ad quam ipsum prima principia morum doctrinæ ac Metaphysices perducere valeant, unde ista differentia ducatur. Hæc ut
36 seq. funditus evertatur opinio, ipsum moralitatis fundamentum, longa instituta disputatione, investigatur, ac pererudite vincitur, istud nec esse *essentialem rerum differentiam*, nec *sensum*, quem vocant, *moralem*, verum unice *voluntatem Dei*, summi legislatoris, quæ una *moralis diffe-*
61. *rentiæ* causa sit. Qua quidem occasione, *Sectione V* causæ etiam erroris oppositi ex interioribus ducuntur principiis, & ad dubitationes, quæ adversus hoc moralitatis principium, in *Dei voluntate* quæsitum, moventur, accurate respondetur. Hactenus dogma vindicatum est, religionem ad civilem societatem esse pernecessariam. Ex quo sequitur, ut & virtus necessaria sit. Nemo hoc unquam negavit, præter lucifugum quendam Anglum, qui, in æternum cultissimæ insulæ opprobrium, separato scripto, *privata vitia publica beneficia* esse, ante aliquot annos orbi persuadere voluit. Huic *Fabulæ de apibus*
78. Autori *Sectio VI* opposita est, in qua docetur, quam multa perspicue falsa & absurda in hac enarrentur fabula. Verbis lusit homo, & vitia dixit, quæ per se ipsa in vitio minime ponenda erant. Falsas & absurdas rebus adaptat definitiones, quæ nihil nisi malitiam ingenio fre-
81. tam arguunt. Sic, verbi causa, *profusam luxuriem* cum licito *frugum naturæ* confundit usu. Hic reipublicæ prodest, non item illa, quæ hanc potius turbat, efficit-
86. que; ut nulla sit amplius. Romanorum hoc patet exemplo, cum Græciam subigerent. Namque *Livius*, *Ibi primum*, inquit, *insuevit exercitus populi Romani amare*,

amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata, mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Tandem vero

- - - - - - sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

His explanatis, in *Libro II Prop. II*, quæ hæc erat: O- Pag. 87.
mnes orbis nationes, saltem sapientiores, religionis in
societate usum fassi sunt, recepta & promissa consequitur
demonstratio, & quidem, cum ex institutis veterum legislatorum, tum ex opinionibus antiquorum literatorum,
ducta argumentatione. Hic itidem *Liber sex* complectitur *Sectiones*, quarum *I* generatim declarat curam civilis magistratus, in colenda religione adhibitam: 1) Nulla
unquam sub sole fuit religio, quæ non futura præmia & 88.
pœnas iis, quotquot in sacram ejus civitatem adscripti
fuerunt, diligenter inculcaverit. Verum omnem hanc 90.
doctrinam curæ magistratus acceptam veteres ferebant populi, qui ceteris cultiores erant. Nam, ubi nulla societas,
ibi nulla unquam exstitit religio; id quod veterum monumenta testantur. Ipsa 2) natura ethnicæ religionis huic 95.
præterea rei argumento est, sive *naturam Deorum* & *attributa*, sive *modum* ac rationem eos colendi ac venerandi, spectemus. Dii plerique omnes defuncti erant homines, iidemque reges, legumlatores, ac civitatum conditores. Nonne
horum reverentia, & memoria honore Deorum immortalium, ut *Cicero Lib. III de Nat. Deor. Cap. 19* lo- 96.
quitur, consecrata, nobis indicio sunt, ipsos civitatum rectores
hujus totius cultus causas & autores esse? Ἀποθέωσις hominum de republica bene meritorum in *Ægypto* nata, hinc 97.
in *Græciam*, reliquamque *Europam*, migravit, ipso Illustri *Isaaco Newtono* autore in *Chronologia Græcorum pag. 161.* Quale civile imperium erat: tales patrii confingebantur Dii. Illud ubi benignum erat, atque humanum, deitas etiam, quæ colebatur, benigna erat. Ubi vero severum & iniquum vigebat regimen, ibi etiam

Dii

Dii inexorabiles erant tyranni, variis expiationibus, lu-
Pag. 98 seq. ſtrationibus, collatisque ſacrificiis, placandi. Univerſa
hanc obſervationem confirmat antiquitas. Ipſæ ſacræ ce-
rimoniæ ad civitatem erant accommodatæ, quo continua
religionis & imperii civilis permaneret concordia &
101. amicitia. Hoc argumentum S. *Auguſtinus*, ſi quis alius,
intellexit; ut hæc ejus verba mentem Reverendi Præſu-
lis, in antiquitate verſatiſſimi, interpretantur: *Quod utique
non aliam ob cauſam factum videtur, niſi quia hominum
velut prudentium & ſapientium negotium fuit, popu-
lum in religionibus fallere - -. Homines principes ea,
quæ vana eſſe noverant, religionis nomine populis tan-
quam vera ſuadebant: hoc modo hos civili ſocietati ve-
luti arctius alligantes, quo ſubditos poſſiderent.* Inſi-
102. ſtimus porro Cl. Autoris veſtigiis, & in *Sectione II ſingu-
lares* contemplamur *artes*, quibus veteres legumlatores
ad id, quod moliebantur, conſequendum utebantur. Ac 1)
quidem in univerſum omnes divinam jactabant revelatio-
103 ſeq. nem & inſpirationem. Nomina cum vetuſtiſſimorum,
tum recentiorum, legumlatorum, civitatumque condito-
rum, & jam nota ſunt, & hic recenſentur. Cauſa erat
104 ſeq. vinculum religionis & ſtatus civilis. Solebant illi egre-
gii homines non tantum reverentiam ſuis conciliare le-
gibus, ſed cives etiam animum inducere cupiebant, Deos
res humanas curare. Non tam civili ſtatui, quam reli-
gioni, ſerviebant, divinam confingentes religionem.
Iidem 2) legibus, quas rogabant, doctrinam de provi-
111. dentia, interprete *Sectione III*, præfabantur. Sic *Archy-
tas*, Tarentinorum legislator, de quo *Ælianus Var. Hiſt.
Lib. III Cap. 17* exponit, in Fragmentis operis ſui *de Le-
ge*, a *Stobæo* ſervatis, hæc præcipit: Δεῖ τὸν νόμον τὰ
περὶ Θεὼς καὶ δαίμονας καὶ γονέας, καὶ ὅλως τὰ καλὰ
112. καὶ τίμια πρῶτα τίθεσθαι, *de Rep. Serm. 41*. Is *Pythago-
ræus* erat, ex ea Philoſophorum natione unus, ex qua celeber-
rimi quique civitatum rectores exierunt, & nemo eorum
civi-

civilia condidit institura, sine religiosa præfatione. Usitata hæc erat dicendi ratio, quam aptabant legislatori:
Διεκόσμει τὴν πολιτείαν, ἀπὸ Θεῶν ἀρχόμενος. Hæc,
ut videtur, occasionem huic antiquo præbuit proverbio:
A *Jove principium.* Præstantiores, quæ illuc pertinent,
reliquiæ, præfationes legum *Zaleuci* & *Charondæ*, legumlatorum Locrensium, & Chalcidicarum civitatum
Italiæ atque Siciliæ, & *Lycurgo* æquales, nominari merentur. Illas genuinas esse, adversus Cel. Criticum, D. Pag. 113 seq.
Bentlejum, multis rationibus planissimum fit. Ad artes 125 seq.
veterum, qui civitates condebant, 3) *mysteriorum* quoque inventio referenda est, *Sectione IV* duce. Hæc nimirum eo spectabant, ut fides status futuri præmiorum 133 seq.
ac pœnarum propagaretur. Eorum hic describitur origo
& progressus, natura item, ac finis, quo valebant, quin
etiam horum secreta, in lucem protrahuntur, & causæ,
cur a prima munditie paulatim recesserint, recitantur. Vir
doctissimus, perfectam lectori descriptionem mysteriorum ante oculos positurus, *Virgilii Æneida*, hoc est, 182-228.
Librum ejus *sextum*, exempli gratia profert, ostendens, descensum *Æneæ* ad inferos nihil esse aliud, quam
initiationem aliquam ac receptionem in mysteria eleusinia,
vividamque horum repræsentationem, quæ μῦθος κατ' ἐξοχὴν dicitur. Quæ quidem sententia exquisito elegantiarum Græcarum apparatu exornatur. Veterum arti
legislatorum 4) *publicis legibus confirmata* debebatur *religio*; ut in *Sectione V* docemur. Nullus erat in orbe anti- 231.
quo populus, quin religionem haberet, publicis *legibus* ac *privilegiis munitam*, atque a *tolerata*, quæ putabatur, religione
disjunctam. Illius potissimum curam magistratus gerebat, civilis societatis causa, quoniam in hanc, dici non potest,
quot & quanta inde redundent commoda. *Societas* est 235.
duplex, *civilis* & *religiosa*, quæ cum cura secerni debet.
Finis *civilis* societatis est *securitas temporariæ libertatis,*
propriarumque hominis possessionum. Verum ultimus 236 seq.
religiosæ societatis, sive ecclesiæ, finis est *salus animo-*

rum, cujus obtinendæ gratia fides & omnis Deum co-
Pag. 239 seq. lendi ratio pure servanda est. Quo Cl. Autor loco diffe-
rentiam pariter & concordiam religionis & status civilis
250 seq. ea declarat accuratione, nihil ut supra. Ex hac amicitia
& vinculo cum civili statu ecclesia & multum capit ipsa u-
tilitatis, & dat quoque civitati. Hujusmodi *nationalis* ve-
258. lut *religio*, ipsisque legibus *stabilita*, est universa vox natu-
ræ, quæ inter omnes orbis terrarum populos audita fuit.
Sic in democratia Atheniensium, omnes cives se
sacramento obstringere cogebantur, cujus formulam reci-
tavit *Stobæus de Rep. Serm. 41 pag. 243* ed. Lugd. 1608.
Ubi hæc, præter alia, verba usurpanda erant juranti:
Ἀμύνω δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν κ. τ. λ. ἱερὰ τὰ πάτρια τι-
μήσω κ. τ. λ. hoc est, *defendam ac proferam patriam
meam religionem! religionem patriam sancte colam!* Ita
259. Romani etiam patria sacra pro virili tuebantur. Exem-
plo esse potest oratio *Posthumii* Cos., quam *Livius* his
verbis expressit: *Quoties hoc patrum quorumque ætate
negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fie-
ri vetarent, sacrificulos vatesque foro, circo, urbe,
prohiberent; vaticinos libros conquirerent comburerent-
que; omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more
humano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi vi-
ri omnis divini humanique juris, nihil æque dissolvendæ
religionis esse, quam ubi non patrio, sed externo, ritu sa-
264 seq. crificaretur. Histor. Lib. XXXIX.* Causæ in promtu erant,
propter quas religio inter plurium Deorum cultores faci-
le olim stabiliri firmarique posset. Verum nec deerant
impedimenta, quæ obstabant, quo minus deliram for-
mam ejusmodi stabilita religio recipere valeret. Consenta-
neum 5) veteres putabant legislatores, omnium, a patria di-
stinctarum, religionum concedere *tolerantiam*, liberiusque
266. exercitium. Cui rei dilucidandæ *Sectio VI* destinatur. Causæ
267. inprimis binæ hos sapientes viros ad hanc impellebant
tolerantiam: una erat, quoniam, religionem, quam homo
coactus & invitus profitetur, vim nullam in ejus animum
exer-

exercere, perſpiciebant; altera, cum certi contra eſſent,
religionem toleratam plus habere efficacitatis in fingendis
animis moribusque hominum. Huc *Ciceronis* valet te- Pag. 268.
ſtimonium: *Si quidem & illud bene doctum a Pytha-
gora, doctiſſimo viro, tum maxime pietatem &
religionem verſari in animis, cum rebus divinis ope-
ram daremus, de Leg. Lib. II Cap. 11.* Ita effi- 270.
ciebat tolerantia, ut omnes gentium profanarum reli-
giones, licet diverſiſſimæ eſſent, inter ſe ſociabiles
manerent, neve ſacra gererentur bella. Credebant enim 275.
ethnici, ejusmodi concordiam, ac veluti concentum, Deo
cummaxime probari. Æquum eſt, inquit *Symmachus*,
quicquid omnes colunt, unum putari; eadem ſpectamus
aſtra, commune cœlum eſt; idem nos mundus invol-
vit, quid intereſt, qua quisque prudentia verum requi-
rat? Uno itinere non poteſt perveniri ad tam grande ſe- 276.
cretum, *Lib. X Ep. 61.* Gravius eſt ac majus, quod
Themiſtius ſcribit: Ταύτῃ νόμιζε γάννυσθαι τῇ ποικιλίᾳ
τὸν τοῦ παντὸς ἀρχηγέτην. ἄλλως Σύρους ἐθέλει πολι-
τεύεσθαι, ἄλλως Ἕλληνας, ἄλλως Αἰγυπτίους, *Orat. XII.*
Bernierius, cum ethnicis *Hindouſtanicis* de religione
colloquens, hoc ab iis reſponſum tulit: *Nos minime con-
tendimus, noſtram ad omnes legem pertinere, nec nos
veſtram credimus falſam eſſe. Fieri poteſt, ut Deus
plurimas diverſas vias in cœlum paraverit.* At *Ber-
nierius*, recentioris Philoſophiæ, quam antiquitatis, peri-
tior, ſingulare animi viſum hanc dixit eſſe diſtinctionem.
Vid. *Voyages de Fr. Bernier Tom. II pag. 138.* Res ſi
antiquas rectius calluiſſet; facile revocaſſet in memoriam,
omnes omnium ætatum homines iſtud recepiſſe princi-
pium. Ipſi olim *Judæi* ante Babylonicam captivitatem
externæ religionum communitati nimium favebant, im-
mo & *Chriſtiani* aliquandiu, dum inter ſimulacrorum 287 ſeq.
veneratores olim vivebant. Cum vero Chriſtiani religio-
nem ſuam omnibus obtrudere vellent, atque in eo elabo-

Pag. 281. rarent, ut religionum amicitia dissiliret: accidit, ut multorum experirentur odia. Illa religionum dissensio initium erat vexationum ecclesiæ Christianæ. Optimi quique Imperatores, *Trajanus*, *M. Antoninus*, aliique, inter vexatores Christianorum primum obtine-
282. bant locum. Ratio est manifesta; evertebant enim principium aliquod, totius ethnicismi fundamentum constituens, quodque in ipsa natura impressum censebant, *amicam* nimirum *cultus divini concordiam*. Hinc lucem capiunt *Plinii* junioris verba: *Neque enim dubitabam, quacunque esset, quod fateretur, certe pervicaciam, & inflexibilem obstinationem, debere puniri.* Hæc *inflexibilis obstinatio* non potest ad professionem novæ religionis restringi: hac etenim re nihil erat inter gentes usitatius. *Plinius* istud in mente habuit, quod Christiani omnem cum ethnicismo communionem respuerent. Nolebant proceres ethnicorum, ut Christiani suis renuntiarent sacris, sed, ut in amica secum societate viverent, cupiebant. Quanquam Christiani recte omnino faciebant, ut ab hac se abstinerent, quoniam, cum hominibus sese conjungere, qui plura Numina reverentur, idem est, ac religioni Christianæ renuntiare. Ex his patet inficetum *Whistoni* de his *Plinii* ad *Trajanum* verbis judicium, in *Prælim. Diss. VII ad Josephum pag. 127.* Namque ethnici non propter mentis recti bonique consciæ studium Christianos puniebant. Non, ut *errorem*, illam spectabant *obstinationem*, verum *improbitatis & criminis* loco eam habebant. Qui religionum communitatem ac tolerantiam oderant, eos odii humani generis arcesse-
283. bant. Sic enim *Tacitus* de Christianis aperte scribit: *Haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt.* Idem *Tacitus* Judæis *fidem obstinatam*, & *hostile odium*, exprobrat, verbis eadem signi-
284. ficatione sumtis. Omnis autem hæc tolerantia superiori virorum, qui rebus civium præsidebant, judicio subjecta erat. At *lenis* illa erat, quæ peregrinis religionibus adi-

tum

tum prohibebat, donec summum tribunal, *Areopagus* dictum, aditum illis patefaceret. *Tullius* in *Libris* Pag. 286.
Legum, quorum potiora momenta ex XII Tabb. petita sunt, hanc exhibet legem: *Separatim nemo habeat Deos; neve novos, neve advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto, Lib. II Cap. 8.* Sensus est: Nemo Deos clam colat, atque aliter, ac populus eos colere solet. Nec privati homines novum aliquod, aut peregrinum, suspiciant Numen, sine venia publice impetrata. Dii *noti* sunt ii, qui recens adoptati sunt, & *advenæ*, *noui jam Dii ac patrii aliatum provinciarum.* Interpretem legis ipsemet
se præbet *Tullius Lib. II Cap. 10: Suosque Deos aut no-* 287.
vos, aut alienigenas, coli, confusionem habet religionum, & ignoratas ceremonias: non a sacerdotibus, non a patribus, acceptos Deos, ita placeret coli, si huic legi paruerunt ipsi. Sententia hæc esse videtur: nam, si quisque suos privatim haberet Deos, aut novos coleret, aut ad-
venas, publica sine concessione, id quidem ad confun- 288.
dendam omnem religionem, atque ad introducendum cultum valeret clandestinum. Ac, si sacerdotes & patres majoresque nostri hanc, prout fas erat, legem ante oculos positam habuissent, nos nunquam id genus reverentiæ approbaremus, quam nunc Diis, inter nos introductis, exhibemus. Ita sensus obscuriorum verborum fugiet neminem. *Gruterus* de his fassus est verbis: ita me Deus amet, vix intelligo; hæreo, adhuc hæreo. Nemo Criticorum, præter *Petitum* in *Comment. ad Leges*
Atticas, sensum iis adaptare ausus est, sed invita is ipse, quod 292.
ajunt, Minerva. Diu ista religionum tolerantia sub au-
spiciis magistratus civilis duravit, tam diu nimirum, dum 293.
tota societas unius voluntati ac tyrannidi subjiceretur. Sic *Mæcenas* omnem in universum religionum tolerantiam *Augusto* dissuasit, adjuncta hac commemorabili ratione: ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει, *quoniam ista non potest ulla ratione cum arbitraria unius potestate consistere.* Vid. *Dio Cassius Hist. Lib. LII.* Et, *Augustum* istud

 se-

secutum esse consilium, *Suetonius* autor est in *Vita Aug.*
Cap. 93. Itaque non nova, sed antiqua jam, hæc
regula est civilis: *unus rex & una religio.* Quæ cum
ita sint, nemo dubitaverit amplius, civitatem cum
religione semper amico fœdere sociatam fuisse. Quin
etiam hoc inprimis perspicuum est, universam an-
tiquitatem in eo consensisse, quod doctrina de futuro
statu, cum præmiorum, tum suppliciorum, ad uti-
litatem societatis necessaria sit. Hujus quidem proposi-
tionis veritas duabus rationibus fulta est. Una est omnis
ratio, quam inibant veteres legumlatores, ac civitatum
conditores, societatem aliquam firmaturi. Sed hæc sub
judicium vocata est hactenus. Altera, quæ ab opinioni-
bus vetustissimorum sapientum, literatorum, ac Philo-
Pag. 295. sophorum, ducta est, *Libro III* proponitur, & *Se-*
ctio quidem *I* eorum exhibet testimonia, quæ vincunt,
dogma de pœnis ac præmiis futuris ipsos ad civilem socie-
tatem necessariam duxisse. Testes hanc in rem *Timæus*,
296. Locrensis, idemque genuinus Pythagoræus, *Polybius*,
Strabo, & *Plinius Major*, citantur. In *II Sectione*
303. declaratur, ut antiqui Philosophi ea de re aliter *publice do-*
307. *cuerint*, quam *animo* ipsi *senserunt*, cujus instituti ra-
tiones haud spernendæ adducuntur. *Scævola, Pontifex*
Romanus, inquit *Augustinus*, *expedire, existimat, falli in*
309. *religione civitates*, *de Civit. Dei Lib. IV Cap. 10.* I-
dem omnibus olim Philosophis, ex quacunque familia
essent, placuit. Loci horum sigillatim, in quibus, quid
de futura hominum post fata conditione decreverint,
in *Sectione III* cum cura delibantur, scholarum
325. philosophicarum, Eleaticæ, Italicæ, ac Ionicæ, veteris
item & novæ Academiæ, habita ratione. Quo etiam an-
336 seq. tiquarum fabularum, ac doctrinarum de *Metempsychosi*
& *Metamorphosi*, origines investigantur. *Sectio*, quæ sequi-
367. tur, *IV* extra controversiam ponit, veteres Philosophos ne
potuisse quidem futura præmia & supplicia credere, pri-
368. mum, quod, *Deum nec irasci, nec nocere*, crederent, (*Cic.*
Offic.

Offic. Lib. III Cap. 28,) deinde, quod animi naturam Pag. 380
humani non intelligerent, cujus tamen interior cognitio seq.
ad istam doctrinam necessaria erat. Hæc omnia eo sunt
consilio prolata, ut huic Deistarum occurreretur obje-
ctioni: at vero *Moses* hanc de futura felicitate ac infeli-
citate doctrinam non propagavit, quoniam non credidit.
Ex re igitur gesta, ipsoque facto, respondetur: increduli- 410.
tas tam utilis societati, doctrinæ non poterat legislato-
rem impedire aliquem, quo minus eam idcirco propa-
garet. Quamvis autem hanc negarent Philosophi, falsis
principiis inducti: hic tamen Philosophorum error, in-
dicante *Sectione V*, Christiano nihil officit dogmati. Est 411.
vero istud etiam, id quod *Sectione VI* probatur, falsissi-
mum, religionem in politicorum hominum inventis 415.
numerandam esse. Namque religio prior omni fuit ci- 417 seq.
vitate, civilique magistratu.

Accedentes ad *secundum Volumen*, ex *Præfatione* 3 seq.
statim intelligimus, Rev. *Warburtonum* hac sibi scriptio-
ne multorum peperisse odia, qui, editis in lucem variis
libris, ejus sententias carpunt, rodunt, refellunt, fa-
mamque obterere conantur. *Dedicatio*, cui deinceps locus
hic datur, ad Judæos scripta est, quorum binæ præjudicatæ
confutantur opiniones, *una*, religioni *Mosis* ad perfectio- 20.
nem nihil deesse, *altera*, prophetias V. T. quæ nos de Je-
su interpretamur, non nisi in sensu secundario ad Messiam 21 seq.
referri debere. Ipsa hujus *Voluminis* amplificatio *tres* in
se continet *Libros*, quorum *quartus*, qui ordine conse-
quitur, unus & solus prodiit, *quintus* autem & *sextus* se-
paratim publicati sunt, alia forte occasione a no-
bis recensendi. Robora hic leguntur *Prop. III*, cu-
jus hæc erat sententia: doctrina de futuro statu præ-
miorum pariter ac pœnarum nec reperitur, nec partem
efficit aliquam *Mosaicæ* disciplinæ. Præcipuum vero ro-
bur ex ultima antiquitate artium & imperii Ægyptiaci
ducitur, quæ veritatem *Mosaicæ* religionis illustrare &
con-

Pag. 1 seq. confirmare putatur. In *Sectione I*, quae introductionis
loco numeranda, considerat universum omnium desiderium
revelationis cujusdam. Hujus *duae* sunt *causae:* u-
3. na, sensus, quo ducuntur omnes, hanc sibi deesse; al-
tera, vetus traditio, majores aliquam a Deo nactos esse.
7. Ex quo concluditur, esse omnino revelationem quandam
divinitus indultam. Verum ex omnibus, quotquot
exstant, religionibus sola *Mosaica* hanc *notam* habet pro-
8. priam, ac veluti *characteristicam*, quod a causa prima
omnium rerum illius deducatur origo, ac religionem
17. quamvis aliam pro impostura & fraude habeat. Ergo
sequitur, ut sola religio Judaica falsa sit. Sed haec tan-
tum probabilis opinio esse videtur. Cl. Autor spondet
18. nobis demonstrationem dictae propositionis. Hac ille
19. mente praemittit *Mosaicae politiae* explanationem. Vix ex Ae-
gypto, cum *Lex* ei daretur, Hebraeus populus, una cum
duce suo, reverterat, ubi ille quidem misera oppressus
servitute vixerat, hic vero literas didicerat, quae
in hac vigebant regione. Utrumque sacrae nos docent
20. literae. *Stephanus* ait, *Mosen* in omni sapientia Aegy-
ptiorum eruditum fuisse, *Act. VII, 22.* Atque *E-
zechiel*, populum se omnibus superstitionibus Aegypti de-
vovisse, scribit. Ex ejusmodi locis religionis patefactae
hostes existimant sequi, *Mosen* divina inspiratione caruisse.
21. Theologi adhuc, qui sese his opposuerunt, satius duxe-
runt, negare *praemissas*, quam *conclusionem*, donec *Spen-
cerus rationem Legis* veram explicuit. Cl. Autor vero,
22. praemissis negatis, conclusionem minime sequi, demon-
25. strandum sumsit. Quo consilio has *quatuor propositio-
26. nes* & indicat, &, explicato hujus scripti titulo, ea ra-
tione, qua nos supra usi sumus, eas in sequenti vin-
cit corroboratque pertractatione. Tota vis demonstrationis
ultima Aegypti antiquitate nititur. *Propositio I* in *Sectio-
ne III* haec est: Aegyptiaca sapientia & superstitio, quam
S. Scriptura commemorat, ea ipsa fuit, quae in Graecis
scri-

scriptoribus, in honorem pariter ac opprobrium hujus
regni, describitur. Historia enim *Mosis* cum Græcis Pag. 31.
Autoribus omni ex parte consentit. Filum hujus dis-
quisitionis occasionem Cl. præbuit Viro, *de ortu ac pro-* 39 seq.
gressu artis medicæ copiosius, quam rei propositæ con-
sentaneum erat, agendi. Nec vero *sacra* tantum cum
profana convenit hac in re historia, verum origo etiam
Hieroglyphicorum eascam Ægypti confirmat vetustatem,
cui quidem disquisitioni *Sectio IV* destinata fuit universa, 66.
eademque satis longa & verbosa. Hieroglyphica non
sunt a sacerdotibus inventa: quem errorem in *Theatro*
suo *hieroglyphico Richterus* erravit. Binæ sunt viæ,
quibus animi cogitata homines inter se communicare pos-
sunt, vel per *sonos*, vel per *figuras* & *imagines* rerum. 67.
Prima & naturæ convenientissima via hæc altera erat, quæ
rerum figuris usa est. Et prima scribendi ratio nihil e-
rat, nisi *pictura*. Nimirum vetustissimi mortalium
pingebant figuram hominis, aut equi, horum animalium
notionem cum aliis communicaturi. Sic *Mexicani*
ejusmodi picturæ genere utebantur; cujus figura hic ex-
hibetur. Verum ista *simplex pictura*, quæ inter Chinen-
ses extremum floruit, paulatim exornata in Ægypto fue-
rat etiam arte aucta; ut figura ostendit adjecta. Postea 61 seq.
sensim a *pictura* ad *scripturam* ventum est, ac *literas*,
quamprimum inventæ, cum illis simplicis picturæ notis
congruebant. Hinc verbum γράφω & *pingere*, & *scri-* 78.
bere, significat. Varias hieroglyphicæ scripturæ species
ars sequitur *loquendi*, quæ parva & exilia habuit initia, 83.
tum vero in dies crevit, variis signis in auxilium voca-
tis. Ex Hieroglyphicis Ægypti manavit ars onirocriti- 159.
ca, & sacer item animalium cultus, cujus *sex* singulares 165.
causæ hic recitantur ac demonstrantur. Ergo sym- 176 seq.
bola hieroglyphica multo sunt vetustissima. Namque
brutorum cultus animalium jam *Mosis* tempore invectus
erat. Symbola vero illa ad usum Ægyptiacæ sapientiæ,
divinæ pariter & civilis, adhibebantur. Itaque Ægyptii

literatissima gens inde ab antiquissimis fuit temporibus. Sed huic antiquitati amicum sese non præbet *Isaac. Newtonus*, sed eam multo minorem regno Ægypti vindicat, qui
Pag. 206. in *Sectione V* ex instituto, & magno cum elegantioris doctrinæ apparatu, refellitur. Magnum, quo utitur ille,
208. argumentum, huic inclusum syllogismo, ita se habet: *Osiris* evehebat Ægyptum ex barbarie in politiam civilem. Jam vero *Osiris* & *Sesostris* diversa sunt ejusdem hominis nomina. Ergo Ægyptus evecta est e barbarie in civilem politiam *Sesostris* ætate. Sed minor negatur, ac vincitur, quod *Osiris* ac *Sesostris* non una, sed binæ sint
209 seq. personæ, quæ diversis vixerint temporibus. Nam præ-
255. missæ, quibus utitur, propositiones nulla valent demon-
280. strandi virtute. Ac consecutio conclusionis & S. *Scriptu-*
281. *ræ*, & ipsi *rerum* adversatur *naturæ*. Hæc igitur est certa propositionis recitatæ ratio. Tota *Ægyptiorum eruditio* in consummata civilis prudentiæ, & artium legumlationis, consistebat peritia. *Superstitio* vero cultus mortuorum erat hominum, in Deorum concilium cooptatorum. *Propositio II, Sectione VI* declarata, his effertur verbis: Populus Judaicus moribus Ægyptiorum nimis erat assuetus, sæpeque numero in eorundem incidebat superstitiones: ac multæ itidem leges, ipsis ministerio *Mosis* datæ, ejusmodi sunt, ut partim præjudicatis eorum opinionibus consentaneæ, partim vero superstitionibus oppositæ, reperiantur. Prior hujus *Prop.* pars nulla indiget demonstratione, cum & res ipsa loquatur, & sanctiores eam roborent historiæ, sacræ vetustatis nuntiæ.
297. Altera pars inde patet, quod *Marc. X, 5*, & *Matth. XIX, 8*, relatum legimus, *Mosen Judæis propter animi duritiem præcepta sua præscripsisse.* *Spencerus* hoc ar-
299. gumentum exhausit. Sed magna quoque ac miranda plane convenientia pariter & oppositio sacrorum Ægyptiorum ac Hebræorum illius *Prop.* confirmat verita-
306. tem. Hæc autem observatio ad *Prop. III* nos ducit, quæ ita

ita se habet: ista, quæ in *Mose* fulsit, Ægyptiorum sapientia, & leges, cum anteceptis populi sententiis consentaneæ, tum Ægyptiorum superstitionibus oppositæ, ejusmodi non sunt, ut, legationem *Mosis* divinam haud esse, vincant. Sermo hic est de *sapientia Mosis Ægyptia.* Quo nomine *civilis*, aut *politica*, designatur *prudentia*, ut sensus sit: *Moses in scientia legumlationis perfecte instructus erat. Stephanus*, Mosen *omnem* Ægyptiorum sapientiam calluisse, affirmat. Qua voce omnes unius Pag. 307.
generis partes intelliguntur, hoc est, artes regendi, & leges ferendi. *Moses* callebat τὸ πραγματικὸν τῆς 308.
φιλοσοφίας, ita ut δυνατὸς esset ἐν λόγοις, id est, *in persuadendi, legesque ferendi, arte*, καὶ ἐν ἔργοις, hoc est, *in armis*, *Act. VII*, 22. Ejusmodi sapientia necessaria erat 309 seq.
homini, quo Deus ad Israelitas in civilem societatem introducendos usurus erat. Nemo unus legationem S. *Pau-* 320.
li divinam in dubium vocat, qui præ ceteris Apostolis homo eruditus fuit, quoniam ad religiosam aliquam inter gentes societatem erigendam missus erat. Ita nec ex *Mosis* eru- 321.
ditione ratio capi potest, unde conclusio ducatur, hunc eximium Judæorum legislatorem a Deo missum haud esse. Finis Dei erat, ut populum a cultu plurium Deorum Ægyptio abduceret ac separaret. Itaque sapientia ejus dignum erat, leges suas & opponere Ægyptiis, & ad opiniones, quas Israelitæ ex Ægypto retulerant, ex parte accommodare. Hoc quo efficiat Cl. Autor facilius, *Her-* 328.
manni Witsii Ægyptiaca, *Jo. Spencero* adversa, sigillatim *Lib. III Cap.* 14, longo refutat ordine. In *Prop. IV*, eaque ultima, planum fit, & sapientiam *Mosis* Ægyptiam, & leges, ab eo dicta ratione institutas, magno esse argumento, *Mosen* divinum legatum exstitisse. *Moses*
scribit ex *religione* Ægyptiorum, eos, imperium orbis 344.
a summo Deo subordinatis, localibus, ac tutelaribus, Diis commissum esse, credere. Huic religiosæ sententiæ *Moses* se opponebat; &, non nisi unum Deum, orbis creatorem & conservatorem, colendum esse, profitebatur. Ægyptii porro futura præmia & supplicia docebant,

 sine

sine quorum fide nec religio, nec imperium, consistere pos-
Pag. 346. sit. *Moses* contra, iisdem Ægyptiis Judaicam disciplinam oppositurus, illam consulto doctrinam omisit, ne qua utriusque religionis confusio cooriretur. Ægyptii *Monarchiam* reliquis rerum publicarum formis anteferebant. Contra vero ea *Moses Theocratiam* erigebat. Ita repugnavit *Moses* humanis Ægyptiorum consiliis & institu-
351-357. tis. Quodsi humanus fuisset legislator, ad ea se accommodasset, quo facilius sibi devinxisset populum. Sed, cum ab iis recesserit, divinitas *Mosaicæ* missionis hinc confirmatur. Et, quoniam præterea instituta quædam *Mosaica* præjudicatis populi opinionibus sapienter erant conformata, reliqua vero Ægyptiæ superstitioni contraria, divina *Mosis* missio hinc iterum patet. Nam finis ejus erat duplex. Primum voluit, ut populus Judaicus cum Ægyptio ne amplius misceretur. Deinde, ut ab omni Deorum cultu avocaretur. Ad hos consequendos fines necessarium erat, ut principia prima, quibus respublica Ægyptiaca nitebatur, in Judaismo diversa & secreta essent. Ex his principiis & istud erat, quo futura præmia pœnæque ab Ægyptiis credebantur. Hoc ergo *Moses* sapienter omisit. Quare robur hinc divinæ *Mosis* accedit missioni. Sed hæc hactenus. Sunt, fatebimur enim, in his libris præclara, quoquo respicimus, elegantioris doctrinæ vestigia. Elucet in iis interior rerum antiquarum, inprimis Ægyptiarum Græcarumque, cognitio. Istud vero etiam identidem observavimus, Rev. *Warburtonum* sententiis suis nimium servire, veterumque locos ac opiniones iis adaptare. In Historia magnus est, non autem tantus in Philosophia. Nescit etiam, quid inter *probabilitatem* ac *demonstrationem* intercedat discriminis. Omnem rationum vim, qua utitur, *demonstrationis* loco vult haberi, quam tam certam esse cupit, ac si *mathematica* esset. At tota illa vis antiqua fulta est historia. In historia vero non demonstratio proprie sic dicta, sed unice

mora-

moralis probabilisque veritas, locum habere potest. Ac rationes historicæ non necessariam in se continent consecutionem, verum semper cum oppositi formidine conjunctæ sunt. Hinc & conclusio certior esse nequit. Purgata potius ratio sic colligit: quæcunque doctrina ad religiosam ac civilem societatem fundandam omnino est necessaria, illa est a vero Dei legato inprimis inculcanda. Jam vero doctrina de futuris pœnis præmiisque ita est necessaria: id quod sub initium operis sui Cl. Autor optime demonstravit. Ergo ista doctrina a Dei legato est inculcanda. Sed *Moses* hanc non inculcavit, ut idem vir decrevit egregius. Ergo nec *Moses* verus Dei legatus erit. At veteres illi legumlatores ac Philosophi istud inculcaverunt dogma, sed corruptum, incertum, suisque opinionibus maculatum. Ergo divina illis missio tribui nequit. Verum *Moses* ab ista corruptione hoc primus, inter Judæos, liberavit, ejusque veritatem ex interioribus deduxit principiis. Ergo *Mosis* divina ad Judæos missio vera est. Hoc modo si Vir doctissimus rationes subduxisset; non dubitamus, quin veritatem habuisset amiciorem. Quam infirma hæc sit demonstratio, in posterum perspiciemus, si *alteram secundi Voluminis Partem*, ex Anglia receptam, in hæc *Acta* nostra retulerimus, in quibus ultima, quæ princeps esse videtur, *Propositio* firmabitur, ac totus demonstrationis nervus colligetur. Libere, quod res est, præ nobis feremus: Vir doctus *Spenceriana* ἐυρήματα sumsit & ornavit, ingenio plus, quam limato judicio, tribuens; quo παράδοξον, id est, *novum eridos pomum*, haberet, quod spargeret. Verum nec male sentientes, id est, Deistas, nec recte docentes, amicos habebit. Illos enim male ubivis accepit, his autem magnum aliquod religionis Judaicæ dogma de manibus extorsit. Sapientius sibi & rebus suis consuluisset Vir doctissimus, si *historicum* se, non *dogmaticum*, præbuisset. Sed nostrum haud est, confutare, sed tantum indicare, literatissimorum virorum sententias, nostrarumque veluti

opinionum oblivisci. Ceterum facilis & elegans oratio, qua libri compositi sunt, nos mirum in modum cepit, dum in sedula eorum lectione versabamur.

DE RESURRECTIONE, SPECIATIM JOBI cum Sotere facta, ad finem libri Jobi, secundum septuaginta Meditationes: quas in luctum publicum conscripsit, nunc autem cum Paralipomenis MAGNI CRUSII, in Academia Georgia Augusta Doctoris & Professoris Theologi, & inedito POLYCHRONII in Jobum Prologo, ex Codice MSto Bodlejano & Coisliniano excerpto, emittit, DAVID OTTO WAHRENDORFF, Wildesbus. Rev. Minist. Cand.

Gottingæ, ex officina Abrami Vandenhoeck, 1738, 4. Plag. 18½.

Commentarium hunc, nitidissimis typis Gottingensibus excusum, sacrum esse voluit Autor tribus Status Ministris Regiis intimis per Electoratum Brunovico-Lunæburgensem, *Munchhusio* utrique & *Steinbergio*. In Præfatione laboris sui rationem reddit, atque declarat, destinasse se hoc pietatis monumentum memoriæ *Joannis Philippi de Hattorff*, M. Brit. Regi a Consiliis sanctioribus, qui A. 1737 Hamptoncourti diem obiit supremum, postquam eodem anno *Joannes Guilielmus Diedericus Diede de Furstenstein*, & *Rudolphus Antonius de Alvensleben*, ambo etiam intimi Status Administri, fato jam functi erant. Interea, dum per varias moras libri impressio diutius differebatur, accidit, ut Augustissima M. Britanniæ Regina, *Carolina*, quoque rebus humanis eximeretur: quare gravissimum hoc quidem publici luctus argumentum insalutatum relinquere noluit Autor, & ex suavissima futuræ resurrectionis spe multiplicis doloris remedia petiit. Ansam sibi, fatetur dedisse fragmentum illud, quod ad finem libi *Jobi* in versione Septua-

Septuagintavirali legitur, de resurrectione *Jobi* cum Domino agens: id quod antehac quidem a nemine sub examen ex instituto vocatum est. Quo lubentius hunc laborem suum fecit, & *duabus Sectionibus* totam rem ita conficere studuit, ut *Sectione I de resurrectione in genere* agat, idque ductu verborum *Pauli Act. XXVI, 8*, quæ curate explicat, simul in originem Sadducæorum inquirens; tum resurrectionis possibilitatem ac probabilitatem a priori ita demonstrans, ut præsertim argumenta illa, quæ personatus *Jacobus Massé*, (cui verum nomen *Simonis Tyssot de Patot*, & titulum Professoris Mathematum apud Belgas, reddit,) in libello, qui inscribitur: *Voyages & Avantures*, in contrarium profert, redarguat, suamque ipsius de simplicibus atque staminibus corporis demortui primis, quæ immutabilia & incommunicabilia censet, proponat setnentiam. Hoc facto, ad appendicem *Jobæam* parat transitum, deque hac ita *Sectione II* disputat, ut *Capite* ejus *I de Jobo, & illius libro in genere*, pauca quidem, sed ad scopum conducentia, exponat, in causas obscuritatis circa historiam *Jobi* inquirat, existentiam *Jobi* veram atque realem defendat, atque de origine, ætate, autore, idiomate, atque avthentia, voluminis, nec non de morbo *Jobi*, sententiam suam tradat. *Capite II* de *Fragmento Græco*, quod *ad finem libri Jobi* exstat, agitur: ubi verba Fragmenti Græce ex Codice Alexandrino, quem Autor sequitur, itemque ex Vaticano, illo *Jo. Terentii*, & *Sixti* quoque *Senensis*, afferuntur, collatis simul Complutensibus atque *Aldina* editione. Latinam interpretationem *Patricii Junii* adhibuit, una tamen in voce correctam. Hinc de autoritate Fragmenti dicturus, originem versionis Septuagintaviralis paulo altius repetit, atque, testimonio *Origenis* producto, sic tandem cum *Usserio* statuit, ad *Cleopatræ* saltem imperium protrahendam esse pericopæ hujus ætatem; nec tamen ex inspirato divinitus Hebræo Codice, aut ex

alia

alia quadam peculiari inspiratione, profectam esse: licet hoc non obstet, quo minus integra *Jobi* versio Græca ex Hebræo potius, quam ex Syriaco, instituta sit. Utrum vero Fragmentum illud desumtum sit ex *Jobi* adversariis Arabicis, an ex Samaritano Codice, an vero a Judæis Palæstinis additum, pro scopi ratione inquiritur, &, subductis rationibus, eo tandem res deducitur, ut appareat, neque idololatrarum alicui tribuendum esse, nec Christiano, sed Græco *Jobi* interpreti, aut *Aristeæ*, vel etiam *Aristobulo*, certe Judæo cuidam, qui pio animo contra Sadducæos, forte sub vexationibus *Antiochi Epiphanis*, adjecerit; qua in re temporis adeo rationes, & traditionum studia, & *Theodotionis* usus, conveniunt; nec minus magnum hic momentum trahit autoritas, quam Patres Ecclesiæ laciniæ huic tribuerunt. *Caput III* denique *Jobum cum Sotere resurgentem* sistit: & primo quidem argumentum pericopæ proponitur, &, qua occasione textui sacro attexta sit, disquiritur, maximeque probabilis ea judicatur conjectura, *Jobi XIX*, *25-27*, præcipuam huic additamento occasionem dedisse. Quamobrem illud vaticinium secundum Hebraicam veritatem, collata deinceps etiam Græca τῶν ό interpretatione, ita, ad normam constitutarum prius regularum hermenevticarum, explicatur, ut pateat, *Jobum* de suo cum *Sotere* ad vitam reditu omnino fuisse convictum. Hoc loco nova, eaque commodior, interpretatio *prioris hemistichii commatis 26* traditur, hunc in sensum: *& post evigilare meum, coagulata sunt unumquodque horum;* ubi præsertim de forma & significatione verbi נִקְּפוּ disputatur. Eadem in tractatione vocem אחרון adverbialiter sumendam esse, docetur. Transitu deinde facto ad expositionem loci *Matth. XXVII*, *52* & *53*, propugnat eam sententiam, qua Sancti, qui tempore morientis *Soteris* suscitati a mortuis fuere, demum post resurrectionem Domini exisse ex sepulcris putantur: item commentatur de scopo, quem Deus per resuscitationem

nem Sanctorum intenderit; de meritis eorundem, ac statu, nominibusque, & quæ forte fuerint causæ, cur hæc nomina reticuerit sacra Scriptura; denique de usu hujusce doctrinæ. Quibus præmissis, demonstrare studet, *Jobum* quoque in numero resurgentium cum Christo Sanctorum fuisse: ubi clarissimum *Suidæ* testimonium affertur, quo ille eandem rem tanquam manifestam narrat. Qui autem hoc modo resurrexerant Sancti, eos etiam in cœlum una cum *Sotere* adscendisse statuit, quicquid de reliquiis speciatim *Jobi* narrent Pontificii: quod vero hic iterum sileat Scriptura sacra, ejus rei probabilis redditur ratio. Suspicatur etiam, duos illos viros, qui adscendente Domino Apostolos allocuti sunt, ex horum Sanctorum numero fuisse. Disputatur item de aliis, quos præter eos, quorum in sacris literis fit mentio, jam olim in cœlum translatos, verisimile est: illos tamen, quos Christus a mortuis resuscitaverat, iterum morte naturali defunctos esse, contendit, Eadem in tractatione magnam verisimilitudinis speciem habere judicat eam opinionem, quæ statuit, resurrectionem particularem præcessuram esse universali: & in hanc sententiam interpretatur verba *Pauli Phil. III, 11.* Postremo, qua ratione quis funeri suo superesse queat, exequitur, &, propositis hanc in rem verbi divini promissionibus ac solatiis, eadem ad luctum publicum applicantur.

Ceterum varia passim, ac non vulgaris, eruditio, & allata librorum melioris notæ optimorumque Autorum testimonia, Commentationem hanc adhuc magis commendabilem faciunt: quibus accedit, quod nonnunquam aliorum quoque gravissimorum virorum sententiæ de rebus propositis, quarum sententiarum copiam Autor per literas nactus est, insertæ sunt, ut Cel. *Moshemii §. 36 not. & §. 46, Crusii §. 36 nota;* Summe Vener. *Menzeri §. 96.* Ex plurimis erudite pertractatis argumentis pauca quædam, exempli gratia, decerpta notare sufficiat. Sic *§. 5* reperitur observatio de *Anastasi*,

quam novam a *Paulo* Apoſtolo annuntiari Deam putaverint Athenienſes. *Paragr. 7 not.* ** refertur, R. *Iſaacum* in Munimine fidei, licet omnia N. T. dicta, quæ Judaicis opinionibus adverſantur, impugnaverit, tamen ea, quibus reſurrectio Jeſu Chriſti aſſeritur, intacta reliquiſſe. *Par. 18 not.* * magna veritatis ſpecie commendari judicat eam ſententiam, qua, animæ, poſt diſceſſum a corpore, ſubtiliſſimum aliquod, idque ex ſimplicibus illis atque immutabilibus humanæ compagis ſtaminibus compoſitum, corpuſculum hærere, nonnulli volunt. *Par. 19*, experientia conſtare, dicit, eos, qui propter ſuorum mortem magna ægritudine affecti fuere, maximum in ſpe reſurrectionis inveniſſe ſolatium. *Par. 28 not.* ** ex uſu *Sexti Empirici* (*Pyrrh. I, 70 & 238,*) nova proponitur explicatio verborum *Pauli*, quibus σκόλοπα carni ſuæ affixum ſcribit, ſignificati nimirum illo vocabulo fuſtem, cani alligatum. *Par. 33* ex Præfatione Bibliorum Complutenſium hæc adducuntur, illa in editione Latinam Vulgatam (ipſa ſunt Editorum verba) Hebræum inter & Græcum textum, tanquam Chriſtum inter duos latrones, collocatam eſſe: addita epicriſi, incertum eſſe judicium, utrum ridenda magis ſit ſtultitia, an audacia dolenda. *Par. 43 not.* **, item *§. 50*, obſervatur, Hebræam linguam aliquando vocatam eſſe Syriacam. *Par. 61* demonſtratur, *Lucianeam* LXX Interpretum reviſionem illam eſſe, quæ quoad librum *Jobi* in Alexandrino Codice exhibita ſit. *Par. 68*, τὸ γέγραπται adhiberi ſolere, tradit, quando textus Hebraicus allegatur; τὸ κεῖται vero, quando Septuagintaviralis verſio. *Par. 71 not.* * exponitur *Job. XXXIII, 24.* *Ibid. not.* **, totam fere juſtificationis doctrinam unico vocabulo *Goelis* ſignificatam, oſtendit; item *not.* *** vim vocis *Soter* indicat. *Par. 77 not* ** longior eſt diſputatio de identitate corporum reſurgentium. *Par. 90* obſervatur, τὸ φανισθῆναι & ἐμφανίζειν tantum dici de miraculoſa apparitione & illuminatione, ſtricte ſic dicta.

Par. 94.

Par. 94 existimat, sanctos Veteris Testamenti ideo voluisse, ui in terra promissionis sepelirentur, quo participes fierent resurrectionis cum Messia futuræ.

Subjecta sunt huic Tractatui Paralipomena Summe Reverendi in Academia Georgia Augusta Doctoris & Professoris Theologi, *Magni Crusii*: in quibus incorruptam primo textus Bibliorum originalis integritatem asseruit, Græcam vero LXX versionem multis modis ab Hebraica veritate recedere, variisque glossematis, textui sacro insertis, laborare, probavit; quam in rem pluscula additamentorum loca indicantur, & præsertim duplex lacinia, in libro *Jobi Cap. II v. 9*, & ad calcem libri, occurrens, notatur, quarum primam temeritati, alteram imperitiæ, librarii, qui scholion, in margine adscriptum, in seriem textus recepit, tribuendam esse, existimat. Dehinc meritas disquisitioni præcedenti Cl. *Wahrendorfii* laudes attribuit, quod ex instituto historiam criticam hujus Appendicis *Johææ* ea circumspectione executus sit, ut neque sacris Scriptoribus quidquam affinxisse, neque antiquitati ecclesiasticæ fidem historicam derogasse, videatur. Differit deinde de autoritate hujus Appendicis in ecclesia Patrum, simulque de genealogia *Jobi* supplementa quædam suppeditat ex rarissimo libro *Jacobi d' Auzoles la Peire*, cujus titulus est: *Job, ou sa veritable Genealogie, au discours de laquelle on voit, comme il est descendu de Nachor, selon les Hebreux & S. Hierôme, qu'il espousa Dina, fille de Jacob, suivant Philon: & ne fut jamais des descendants d'Esau, ni contemporain de Moïse, contre l'opinion commune. A Paris*, 1623, in 8. Similiter postea, ubi, quid de annis *Jobi* disputaverint Autores, explicat, Fragmentum aliquod *Cyrilli Alexandrini*, quod *Anastasius Sinaita* in Quæstiones suas & responsiones de variis argumentis *pag. 258* edit. *Gretser*. retulit, ex MSS. *Barocciano* & *Coisliniano* suppletur & animadversionibus illustratur. Accedunt porro circa hanc pericopam egre-

giæ obſervationes ex vetuſtiori illa Latina Bibliorum verſione, Italica dicta: quas partim ex *Joſ. M. Cari*, ſeu quod verum ipſius nomen eſt, *Joſephi Mariæ Tomaſii, Collectione veterum titulorum, ſeu capitulorum, ſacrorum Bibliorum*, partim ex *Lucifero Calaritano*, repetit, quem hac ipſa verſione in allegatis *Jobi* locis uſum eſſe, demonſtrat. Poſthæc vera vocis ἀνίϛημι ſignificatio, quæ in priori parte iſtius Appendicis *Jobææ* occurrit, ejusque uſus apud ſacros pariter ac profanos, diligenter inveſtigatur, exemplis Autorum in medium adductis: notaturque *Melch. Schafferi*, Sociniani, fraudulentia, qua præcipuam hujus verbi vim annotare prætermiſit, quod ſcilicet non tantum *reſuſcitandi*, ſed & *reſurgendi*, notione adhibeatur. Denique ex Catenis Patrum in *Jobum* MSS., quæ in Bibliotheca *Bodlejana* aſſervantur, nec non ex Codice *Coisliniano*, nunc primum in lucem producitur brevis *Prologus Polychronii in Jobum*, Græce ſcriptus, & ab *Hypotheſi* ejusdem in *Jobum*, quam *Patricius Junius* edidit, diſtinctus: cui varias annotationes ſubjecit S. Rev. *Cruſius*, parique opera inſigniora ſupplementa atque emendationes in Hyppotheſin *Polychronii* cum orbe literato communicavit.

LEX MANERIORUM: OR THE LAW AND Cuſtoms of England, relating to Mannors and Lords of Mannors, &c.

hoc eſt,

LEX MANERIORUM, SIVE LEX ET CONſuetudines Angliæ reſpectu prædiorum feudalium, & dominorum feudi directorum. Quarta editio, auctior. Autore GUILIELMO NELSON, Equite.

Londini, apud E. & R. Nutt & R. Gosling, 1733, 8.

Alph. 1 pl. 6.

Cum

Cum vocabulum *Mannor* obſcurum, obſoletum, & forte pauciſſimis in noſtra regione cognitum, ſit, non abs re erit, ut brevem termini explicationem hic præmittamus, Nimirum *Mannor* (quod etiam Autor noſter *pag. 201* indicat) erat certa terræ portio, ſeu prædium, quod Rex Angliæ Baronibus, vel aliis in dignitate conſtitutis perſonis, ea lege concedebat, ut ibidem viverent, jurisdictionem exercerent, certa ſervitia præſtarent, & annuos reditus, a lege determinatos, ſolverent, adeo, ut, quod apud nos hodie Feuda appellant, id olim apud Anglos *Mannor* vocaretur. Et de hac materia Autor noſter in libro præſente ita commentatur, ut primo varias ſpecies ejusmodi prædiorum beneficiariorum exhibeat, poſtea multas obſoletas & abrogatas conſuetudines, circa hanc rem uſurpatas, adducat, e. g. *pag. 96 Deodant*. Scilicet, quando damnum ſine injuiria facientis ab animali irrationali datum erat, tunc omne, quod occaſionem huic damno, atque morti ſubſecutæ, dedit, Deo datum eſt, ſecundum illum antiquum verſiculum: Omnia, quæ movent ad mortem, ſunt Deo danda; ac ſingulare plane eſt, quod Autor primam originem hujus conſuetudinis (*Deodant*) ex igne purgatorio deducere videtur. Refert eo etiam *pag. 104* aliam conſuetudinem & legem Regis *Inæ*, *Eſtray* vocatam, quando nempe pecus elapſum erat e cuſtodia, & campos pererrabat domino inſcio, nec intra annum & unum diem a proprietario reclamabatur, tum domino *of the Mannor*, hoc eſt, Feudi, adſcribebatur. Deinde Autor *pag. 116* varia genera recenſet, ex quibus Vaſallus, ſeu Cliens, feudo privatur, e. g. quando feloniam committit, ſervitia aulica non præſtat, nec multam ſolvit, &c. Tandem *Parte II* hujus libri Autor Appendicem ſatis longam adjecit, in qua XLI Caſus recenſet, qui in foro de hac materia ſecundum hanc Legem *Maneriorum* fuerunt ventilati atque deciſi. Varia hic, non jucunda tantum, ſed feudalium etiam conſuetudinum curioſis ſcitu utilia, invenire licet.

DE LITHONTRIPTICO, A JOANNA STEphens nuper invento, Dissertatio epistolaris, Autore DAVIDE HARTLEY, A. M. D. R. S. S.

Lugduni Batavorum, apud Jo. & Herm. Verbeek, 1741, 8 maj.

Plag. 5½, cum Tab. æn. 1.

Ingens de præstantia remedii hujus lithontriptici fama, per universam fere sparsa Europam, facile nos adducit, ut & hunc libellum, qui præcipua ejus momenta, ex variis commentariis, Anglice editis, in unam summam contracta, complectitur, acceptum ubique, nec nostram ejus enarrationem Lectoribus ingratam, fore, credamus. Primaria ad dissolvendum calculum virtus in hoc medicamento testis ovorum calcinatis, & saponi Aloinensi, ab Autore tribuitur. Testæ tum dicuntur calcinari, quando vario temporis intervallo, nunc brevius, nunc diutius, pro varia ignis vehementia, & crucibuli magnitudine, in calcem vivam comburuntur, quod ex colore albo, & sapore acerrimo, halituque, addito lixivio salis ammoniaci penetrantissimo, patet. Testæ hæ deinceps per mensem unum alterumque aeri exponuntur sicco, donec sese remittendo, magna ex parte in pulverem tenuissimum concidant, ope setacei a partibus crassioribus, ignis vim nondum satis expertis, separandum, & in vitreis vasis, probe obturatis, reponendum. Pulvis hic in primis viis adstringit, acidum earum, si quod adest, absorbet, urinam ciet, sabulum ex renibus deducit, dolores, a calculo in rene, vel vesica, oriundos, auget ad tempus, vimque solventem urinæ impertit. Sapo Aloinensis, in celebri Hispaniæ oppido, quod Alone, vel Alicantum, dicitur, confectus, a fullonibus Anglicis præ Castiliensi, Veneto, &c. æstimatur, ab inventrice autem remedii reliquis prælatus fuit saponibus: quod ventriculo esset gratior, & potentior in calculis solvendis. Colorem habet a coeruleo, quo variegantur istorum saponum nonnulli, in album, vel, si admodum

dum vetus est, ex albo flavescentem, vergere solitum. Insunt porro eidem hinc inde grana quasi cretacea, vel calcaria. Parantur omnes illi sapones ex oleo olivarum, & calcis vivæ, salisque fixi alcalini maceratorum, lixivio, per coctionem intime inter se unitis. Methodus pulverem & saponem exhibendi hæc est: Recipe testarum ovorum calcinatarum & semiexstinctarum, secundum regulas præcedentes, scrupulos duos, vel duos cum semisse, vel drachmam; fiat pulvis, sumendus ter quotidie in quovis vehiculo idoneo, superbibendo semilibram, hoc est, tertiam partem, decocti sequentis: Recipe saponis Alicantici uncias duas, vel duas cum semisse, vel tres, incide ac solve coquendo in aquæ purissimæ quantitate sufficienti, ut sit decocti sesqui libra. Coletur & edulcoretur melle, vel saccharo, ad libitum. Quæ reliqua ab inventrice fuerunt adjecta, hæc nihil ad urinæ vim solventem conferre videntur, Id vero semper observandum est, ut dosis remedii pro vario statu variet, & variæ circa ejus usum cautiones accuratumque regimen custodiantur, dolores, vehementer aucti, mitigentur, tum quoque initio statim calculi præsentia ex variis signis, maxime autem cathetere, dignoscatur, multæque cautiones aliæ probe teneantur, de quibus Noster copiosius agit. Ad probandam vero remedii hujus præstantiam atque efficaciam Cel. Autor variis utitur argumentis. Et 1) quidem provocat ad cessationem symptomatum, sive minores fuerint calculi, sive majores, ab usu medicamenti profectam. Ex ducentis circiter hominibus, quorum bene perspectas habet morborum histohistorias, symptomata calculi, vel renum, vel vesicæ, genuina perpessis, &, quid re vera præstare valeant medicamenta, satis expertis, sibi adhuc innotuisse, testatur, neminem, qui non credendus esset, aut integre convaluisse, aut sanari perfecte potuisse, modo justa quantitate, ritu, & temporis spatio, adhibuisset remedium, vel etiam ipsemet morbo alias insanabili non laborasset. Ut adeo pari saltem jure ab effectu argumentari liceat, medicinas has tollere

lere calculum, vel diſſolvere, quo Cortex Peruvianus febris cauſam intermittentis removere affirmatur. Provocat 2) ad catheteris teſtimonium, cujus nimirum ope in nonnullis inventus fuit calculus, ante adhibita remedia, poſt illa vero aſſumta vere non potuit reperiri, quod ſeptem hic hiſtoriis ſingularibus comprobatur. Provocat 3) ad phænomena calculorum, in cadaveribus poſt hujus medicinæ uſum repertorum, qui notis lithontripticæ virtutis manifeſtis inſigniti fuerunt. Quorum hanc ob cauſam aliqui hic in ære inciſi exhibentur, atque hiſtoriæ etiam morborum, ab ipſis enatorum, pariter ac rationis, qua adhibita fuerunt remedia, effectuumque, in calculis ipſis poſt mortem obſervatorum, fuſius enarrantur, ut robur atque vis hujus argumentationis clarius perſpici queat. Provocat 4) ad urinæ medicatam qualitatem. Ipſe enim Autor Cl., his remediis aliquandiu uſus, mox initio obſervavit, urinam ſuam magis fieri volatilem, odore veterem urinam putreſcentem referre, reddique valde alcalinam, quoniam cum oleo vitrioli, oleo ſulphuris per campanam, ſpiritu nitri, ſpiritu ſalis marini, aceto, & ſucco limonum, efferveſcebat. Quæ omnia aliis etiam ab horum remediorum uſu accidere conſueverunt. Tres vero illæ urinæ medicatæ qualitates, indoles nimirum alcalina, volatilitas, & putreſcentia, non levem virtutis ſolventis ſuſpicionem movent. Verum, eandem extra corpus quoque præ aliis diſſolvere calculos, comperit, atque undecim experimentis, accurate inſtitutis, & hoc loco deſcriptis, comprobat, ex quorum ſumma tandem colligit, ipſam aquam primam vi ſolvendi calculos humanos eſſe præditam, ut & caninos, atque equinos, fortaſſe concretiones quasvis, ex fluidis animalibus factas ægrotis, quando hæc remedia juſta quantitate capiuntur, urinam medicata lithontriptica virtute acui; vires autem lithontripticas decocti ſaponacei, & ipſius urinæ medicatæ alcalinæ tam parum inter ſe diſtare, ut nullo modo ſit operæ pretium, decoctum illud in veſicam ſpe calculi protinus diſſolvendi injicere. Quemadmodum igitur ſecun-

ſecundum experimenta quædam urina vim illam incruſtantem extra corpus retinet, qua potiri eam intra corpus, abunde conſtat: ita pari ratione, neceſſe eſt, urinam medicatam alcalinam illa virtute lithontriptica intra corpus pollere, cujus actio extra corpus tam clara eſt atque manifeſta; &, cum numerus quoque calculorum, ab urina medicata extra corpus ſolutorum, tantus fuerit, quorundam etiam textura adeo compacta, & durities inſignis, hinc inferendum eſſe, quod vis urinæ medicatæ ſolvens ad calculos humanos fere univerſos intra corpus pertingat. Provocat 5) ad virtutem internam lithontripticam ipſorum remediorum; lixivii ſcilicet ſaponis, & aquæ calcis. Quia, ad hanc illuſtrandam confirmandamque, *Haleſii* experimentis magnum eſſe momentum, vidit, eadem in compendio una cum obſervationibus, inde deducendis, recenſet. Uſus eſt *Haleſius* lixivio ſaponis capitali, utpote ad ſolvendos calculos quammaxime idoneo, per quod intelligitur lixivium calcis vivæ & ſalis fixi alcalini adeo forte, ut ſaponi conficiendo habeatur idoneum. Lixivium hoc capitale Anglorum partem quintam ſalis cauſtici, quod lapis infernalis dicitur, in ſe continere, evaporatione cognoſcitur, potentiſſime calculos diſſolvit, lixivium ſalis alcalini ſolius immenſo intervallo ſuperat, a ſpiritu vini unice ſolvendum. Vis hæc adeo inſignis tribuitur certæ cuidam & lancinanti, ut vocant, polaritati, quam igneæ particulæ calcis vivæ ſalibus fixis eodem modo impertiant, quo calor internus ſpiritus acidos ſumme corroſivos progenerare creditur, vel magnes limaturas ferreas cogit, ut ſetarum inſtar erectarum ſe componant. Quoniam igitur ſaponis Aloinenſis unciæ duæ cum ſemiſſe ſales alcalinos guttarum 2500 lixivii capitalis continent, ſubducto calculo, docetur, ſi ſaponis Aloinenſis unciæ duæ cum ſemiſſe indies aſſumantur, hinc guttas fere 64 lixivii capitalis cum urinæ uncia communicari. Quæ Cel. Autor ad extremum de inventione atque publicatione horum remediorum refert, ea, non injucundum erit, breviter adhuc enarrari. *Joanna Stephens*,

 cui

cui inventionis gloria debetur, ex ſtirpe generoſa ortæ, & indolis perquam bonæ, ſagacitatisque non mediocris, fœminæ, ante viginti circiter annos, formula medicamenti, calculum ſoluturi, ex teſtis ovorum, in furno coctis, & in pulverem redactis, conſtans, forte obvenit Dedit initio teſtas has ita præparatas, aliquo tamen poſt tempore, igne easdem culinari exuſſit, primo ad nigredinem, deinde vero, donec rurſus albe**r**ent, atque ſibi ipſi obſervare viſa eſt, teſtas has eo magis fieri efficaces, quo magis ignem eſſent experta. Solebat utique tunc temporis ſcrupulum illarum, vel paulo plus, ter quotidie in vino albo offerre. Cum vero hinc adſtrictio alvi pertinax ſæpe oriretur, adjunxit pro re nata parvam ſaponis quantitatem, quem etiam ad calculum promtius ſolvendum aliquid conferre poſſe, conjecit. Huic per aliquot annos inſiſtens methodo, eam ſabulo renum amoliendo, vel etiam calculis veſicæ interdum ſolvendis, parem eſſe, experientia cognovit. Poſtquam aliquando in ſene octogenario, a majori teſtarum ſaponis doſi, laminæ atque fragmenta calculi permulta ſeceſſerant, utrumque majori copia, & feliciori pariter eventu, dare conſuevit. Poſtquam tandem *Eduardus Carteret*, veredariorum publicorum Præfectus generalis, iisdem magno cum levamento uſus erat, feliciumque curationum numerus perpetim augebatur, rogata fuit inventrix, ut publicaret remedium, oblata quinquies mille librarum monetæ Anglicanæ, ex privatorum munificentia gratuita colligendarum, conditione. Succeſſu non reſpondente, conſilium ei anno 1739 incunte datum fuit, ut a Senatu Britannico præmium illud peteret, hac quidem lege, ut ipſum medicamentum revelatum examini ſubjiceretur prius, quam præmium concederetur. Annuit Senatus & Rex, atque inventrix, eventu ſpem promiſſionesque non fruſtrante, præmium, ſupra memoratum, die 5 Martii A. 1740 accepit.

DISSERTATION PHYSIQUE SUR FLUX ET REflux de la mer, & ſur d' autres ſujets, &c.

hoe

hoc eſt,

DISSERTATIO PHYSICA DE FLUXU ET refluxu maris, aliisque rebus, Autore ROUBAIX DE TOURCOIN, edita per Dr. DURY DE CHAMPDORÉ.

Hagæ Comitum, 1737, 8.
Plag. 8.

Autor Illuſtris, qui adhuc operibus & machinis hydraulicis præcipue operam navaverat, ſæpius repetitis obſervationibus de fluxu & refluxu maris, nec non variationum barometri, ventorumque, tandem aliquam inter has motuum maris, adſcenſus deſcenſusque hydrargyri in barometro, ventorumque, mutationes harmoniam animadvertiſſe ſe, docet, reque ſucceſſu temporis magis magisque expenſa, & accedentibus gravioribus aliis rationibus, deprehendiſſe, communem quandam illorum phænomenorum eſſe cauſam debere. Perplacuit quidem Autori ex variis illis ſyſtematibus, quæ pro explicando fluxu refluxuque maris excogitata ſunt a viris eruditis, præcipue *Carteſianum*, quod tamen, quamprimum non tam mentis difficultatibus obnoxium, quam experientiæ contrarium, eſſe perſpexiſſet, reliquit, novo quodam ſyſtemate, quod (ſecundum illius opinionem loquimur,) naturæ magis reſpondeat, excogitato, cujus deſcriptionem magis, quam demonſtrationem, præſenti Schediaſmate exhibet, lectores ad uberiorem illius explicationem, quæ in integro quodam Tractatu phyſico, tum demum, cum, quid de hac re ſentiant eruditi, Autor compererit, edendo, exſtare dicitur, continuo remittens. Quo tamen orbi erudito ſua ſententia eo melius conſtet, primo de variationibus barometri, earumque cauſa, agit, quam, confutatis antea *Paſcalii Halleique* opinionibus, duplicem eſſe exiſtimat, quantitatis nimirum aeris ſpecificæ, vel gravitatis ſpecificæ, augmenta, atque decrementa; utroque enim caſu aerem diverſos gravitatis ſuæ gradus acquirere, &

& hydrargyrum in barometro vel magis, vel minus, elevari posse, existimat. Priorem causam, qua is quantitatem specificam augeri & imminui posse statuit, ut probabiliorem, & naturæ magis convenientem, *pag. 16 seq.* omni modo adstruere nititur, postquam docuerat rationes & conditionem observationum, quibus hæc hypothesis confirmari posset. Quibus præmissis, in globi nostri terraquei formam inquirit, seque pro ea sententia, qua, majorem diametrum per polos telluris nostræ transire, asseritur, declarat, quamvis, non ex omni parte demonstratam esse, facile largiatur; quare etiam in sequentibus secundum utramque de figura telluris hypothesin, gravitatis causam, ejusque deminutionem, pro diversa corporum gravium a centro telluris distantia exponit, totam rem ut adhuc dubiam & incertam cujuslibet judicio relinquens. Postea ipsum suum novum systema *pag. 81* proponit, &, licet quidem ipsi cum *Cartesio* conveniat, quod fluxus refluxusque maris maximam portem a presione lunari dependeant, in eo tamen a se invicem hæ duæ sententiæ differunt, quod, cum *Cartesius* existimet, lunam premere atmosphæram, & per hanc mare, Autor noster, quoniam hujus pressionis in atmosphæram nullum vestigium in barometris huc usque observatum est, contra statuat, lunam premere superficiem maris ope materiæ subtilis, quæ atmosphæram nostram citra ullam pressionem libere transmigrat, ut adeo, atmosphæra minime compressa, illæsaque, si saltem materia subtilis per motum lunæ celerius fortiusque per poros atmosphæræ ad superficiem maris transmittatur, eamque premat, fluxum & refluxum aquarum fieri posse, putet, quem tamen interdum fortiorem, interdum etiam debiliorem, aliis de causis reddi, eo magis concedit, quod ipse duodecim causas mutationum illarum, quæ huc usque observatæ sunt, allegaverit, & non solum lunam, ejusque varias respectu telluris nostræ distantias, sed & solem ipsum, omnesque planetas, imo etiam aeris, ventorum, ipsiusque maris, littorumque, constitutionem, multum ad eas conferre posse, pluribus docuerit. Quæ

tamen

tamen omnia ut obſervationibus ulterius comprobentur, ſummique Principes, pro ſuo erga bonas artes amore, ipſi ad edendum ſuum Tractatum phyſicum, munificentia ſua ſubvenire velint, vehementer Autor exoptat.

DE VERO RUBICONE, QUEM CÆSAR CONtra Romanum interdictum trajecit. Et in eodem fluvio Rubico Cæſenas firmiſſime propugnatus, atque ab objectis, mendaciis, & ineptiis, validiſſime vindicatus. Accedit Examen ſanctionis Rubiconianæ, ac Proſtheſis de flumine Sapi, Cæſenæ proximo; Philalethia, ſeu amor & ſtudium veritatis, expreſſa calamo D. JOANNIS BAPTISTÆ BRASCHII, Archiepiſcopi Niſibenſis, invictiſſimeque Principi CAROLO VI, Auſtriaco Romanorum Imperatori Pio, Felici, Victori, Triumphatori, ſemper Auguſto, humillime dedicata.

Romæ, apud Raphaelem Peveronum, 1733, 4 maj.

Alph. 2 pl. 7, cum Mappis 2, æri inciſis.

Reverendiſſimus ac Celeberrimus hujus Commentationis Autor haudquaquam inutiliter horas ſuas pomeridianas impendit, quibus limatiſſimam hanc conſcriptionem elaboravit. Quanquam enim videri nonnullis poſſet, de rebus minimi momenti, quaſi de ſalute Græcorum, operoſius pugnaſſe; facili tamen unusquisque perſpiciet negotio, parva etiam, ſine quibus nempe majora conſiſtere non poſſunt, neutiquam eſſe contemnenda. Immo vero, ſi quis ſplendidiſſimum opus paulo ſaltem penitius luſtrabit, ſtatim ipſe intelliget, non minutias tantum, ſed res ſimul maximi momenti, eſſe confectas. Impulſum ſe profitetur Autor noſter ad manum calamo admovendam *Vincentii Coronelli* Atlante Veneto, & *Philippi Titi* Tabula legationis provinciæ Romandiolæ. Uterque horum virorum, eruditione florentium, Rubiconis denominationem, fluvio Riconi, qui & Piſatellus vocatur, ſubtractam, in fluvium Apruſæ, vulgo Luſi, tranſtulerunt. Hoc igi-

igitur errore ne incautos isti ludificent, post *Scipionem*
Claramontium & *Vincentium Caesenatem*, quorum ille in
Apparatu historiae Caesenae, hic autem adversus *Jocobum Vil-*
lanium, de hoc argumento commentatus fuit, contrarium
Cap. 1. defendendum suscepit. Facit id ipsum, post generaliorem con-
siderationem, non solum ἀνασκευαστικῶς, quod ajunt, sed
& κατασκευαστικῶς. Rationes, quae Celeberrimo *Braschio*
2. pro *Ricone*, termino quondam Italiae, pugnare videntur,
sunt potissimum hae: quod Senam *Strabo*, vel Caesenam,
describat per Sapim ab occidente, ac Rubiconem ab orien-
te, Lusus autem non sit primus a Caesena fluvio, sed quartus
demum, multumque ab eodem distans; quod *Plinius*
manifeste Rubiconem atque Aprusam distinguat; quod
maxima sit nominis convenientia; quod alii Scripto-
3. res exceptione majores illud ipsum confirment, *Blondus*,
Jo. Philippus Bergomas, *Marcus Antonius Sabellicus*, *A-*
brah. Ortelius, *Jo. Jac. Hofmannus*, *Paulus Merula*,
Philippus Ferrarius, *Marius Nizolius*, *Raphael Volater-*
ranus, Autor Supplementi *Ambrosii Calepini*, *Jo. Schil-*
dius, *Michael Angelus Baudrand*, *Sebastianus Munsterus*,
Philippus Cluverius, *Nicolaus Perottus*, *Lucas Holstenius*,
Angelus Maria Torsanus, *Nicolaus Loydius*, *Gaudentius*
4. *Merula*. Quibus se etiam Poetae Itali adjungunt, a quibus
quintam rationem petit *Braschius*. Sexta pertinet ad possessio-
5. nem, qua Rico semper obtinuit nomen Rubiconis. Septima
deprompta est a factis Principum, ac residuis eorundem hanc
in rem documentis. Alia succedit, quod *Gregorius XIII* &
Urbanus VIII Rubiconem adjudicarunt Riconi, dum pin-
gi fecerunt Italiae provincias in celeberrima Pinacotheca pa-
6. latii Vaticani. Nona desumitur ab ostio, quo Pisatellus ad
7. mare fertur; atque a titulo finis Italiae decima. Quae hanc
excipit, punicei epitheton argumenti loco praefert, quod, ru-
bicum colorem indicans, ad *Riconem* pertinet. Postrema
denique ad consensionem scriptorum denuo provocat, &
paucitatem atque infirmitatem contra sentientium. Ubi si-
mul, postquam monitum fuerat, rationes ad 70 assurgere, ad

alte-

alteram Partem via munitur. In hac ipsa primo quidem Cap. 8.
disceptatur, quo anno, mense, die, hora, loco, & militum con-
sortio, celebris ille *Cæsaris* transitus acciderit: quæ tractatio
jure quodam inter præcipuas totius operis referetur: Obji- 9.
citur primo nimirum, quod *Cæsar* mane diluculo pervene-
rit ad Rubiconem, & adierit Ariminum, quo, si Rubico esset Pi-
satellus, non potuisset, tam brevi tempore penetrare, sed
respondetur, quod mane demum sequenti occupaverit Ariminum,
post discessum a Ravenna. Ceterum neque *Appianus*, neque *Plu-* 10.
tarchus, asserunt, *Cæsarem* pervenisse ad Rubiconem sub auroram,
neque ostentum, quod *Petronius* memorat, potuisset cerni a *Cæ-*
sare sub auroram, quia tunc magis tenebræ intenduntur, & quæ
reliquæ sunt, quibus contrarium probatur, argumentationes. Sed 11.
ponatur, re vera *Cæsarem* pervenisse sub auroram ad Rubiconem,
potuit omnino *Cæsar*, spatio duarum horarum, id ipsum conse-
qui; atque etiam mens ipsius fuit utendi celeritate, terrore & au-
dacia, unde sane citato gressu exercitus ipsius poterat decem mil-
lia passuum binis horis explere. Eadem ratione aliis etiam haud 12.
difficulter occurri potest objectionibus, e. g. quod jussio Rubiconia-
na sit habenda pro apocrypha, quod plures scriptores faveant Lu-
so, quam Riconi, quod Academia Ariminensis aggregata sit Arcadi-
cæ, sub titulo Coloniæ Rubiconæ, quod *Philippus Titus* in Ta-
bula geographica Luso det nomen Rubiconis, & quod etiam *Petrus*
Maria Kavina in sua *Faventia rediviva* contrarium statuat, id quod
elegantissimo sane apparatu Autor exequitur. Multo minus au- 13.
tem opponi merentur, quæ aperte sunt falsa, quasi Rico non ha-
beat aquam nisi mutuatam a flumine Sapi; quasi careat alveo ri-
pisque, & sit fossatum artefactum; quasi sit simplex torrens, nec
habeat aquas perennes; quasi non habeat caput, nec pedes, & per- 14.
perdatur in alio fluvio; quasi non habeat ostium, per quod in-
tret in mare inter Ariminum & Rau; quasi a Ravenna Ariminum
iter facientibus Rico non occurrat; quasi sit nimis angustus, ne- 15.
que dignus, qui fungatur officio finis Italiæ; quasi Rubiconi non
adsit magnificus aliquis pons, qualis adfuerit Luso; quasi Cæse-
nates habeant solum flumen Sapim, non vero Rubiconem; quasi
Rico non habeat aquas, uni molæ frumentariæ sufficientes; quasi 16.
Rico, Butrius, & Sabinianus, non habeant aquam usque ad talos,
& quæ sunt ejusdem commatis alia. Eodem pertinent, quæ
ineptiam produnt, objectiones atque dubitationes, e. g. quod 17.
Pisatellus nomen habeat sordidum, & Cæsenates illum non vo-
cent Rubiconem; quod Pisatellus olim non iverit in mare, cum

Rota

Rota saltem dixerit, *Pisatellum* ivisse *ad* mare; quod *Cæsar* non transierit per Cæsenam, sed prope littus maris; quod *Ario-*
Cap. 18. *stus*, *Juniperam Malatestam*, Principem Arimini, laudans, dixerit, si hæc illi civitati præfuisset, quando *Cæsar* dubius hæserit, num Rubiconem contra interdictum patriæ transiret, ab ipso transitu destitisset, ne ditioni Genebriæ vim inferre videretur; quod *Ugo Mantaleonis* vendiderit bona inter Mariculam & Rubiconem; quod *Cæsar* non potuerit sumere auspicia penes Ri-
19. conem, ut apud Lusum; quod *Frizzoltus* se dicat accolam Plusæ, id est, Lusi, & hic sit Rubico; quod Rico non claudat triangulum
20. Galliæ, nec fluat ex Alpibus, prout Lusus; quod flumina dilataverint alveum, & quod Lusus parvus in se comparative ad Riconem sit magnus; quod Cæsena describatur per solum flumen Sapim, non vero per Rubiconem; ac denique, quod Rubico fluat inter Ariminum, & Ravennam, hocque verificetur de Luso. Longum foret, si quidem simul accuratissimas atque ingeniosissimas responsiones ad dubia ista, levioris ex parte momenti, conjungere vellemus.
21. Pergimus itaque potius ad sanctionem Rubiconianam, de qua, ejusque relatoribus & impugnatoribus, subjungitur statim tractatio. Multi quamvis Autores eandem sanctionem transscriptam referant, & inprimis Pinacotheca Vaticana egregie delineatam exhibeat; nihilo minus, suppositititiam esse, judicarunt *Janus Gruterus*, *Antonius Augustinus*, *Philippus Cluverius*, *Jacobus Villanius*, atque alii. Sed non tanti videntur illorum argumenta Cl. Autori nostro, ut eandem sententiam amplectatur, quin potius, genuinam esse sanctionem, rationibus non proletariis confirmat.
22. Idque facit non autoritates solum autoritatibus opponendo, sed etiam sigillatim per partes eundo, ubi quidem legitimam
23. esse probat, tum quoad *substantiam*, tum quoad *modum & identitatem*, tum quoad *stilum*, & *elocutionem*, ac verba, quibus
24 - 27. constat. Et hic omnia, quæcunque scrupulum injicere poterant, vocabula diligentius examinantur, atque ostenditur, nullum eo-
28 - 30. rum a conditione illorum temporum abhorrere. Prosthesis de flumine *Sapi* tria postrema *Capita* conficit. Et *primo* quidem agitur de illius prærogativis, ac de portu Augustali ejusdem; postea de tribu Sapinia, deque præliis militaribus, initis apud Sapim, ac tandem de pontibus hujus fluminis, de templis, apud illud exstructis, deque inscriptionibus, ibidem repertis, quæ ita Cel. *Braschius* persequitur omnia, ut nulli alieni præconii commendationibus indigere videantur.

(o)

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VII Sectio XII.

Nordiska kampa daten, i en Sagoflock samlade: om forna Kongar och Hjältar, för hwilken, förutan et ständigt Aettartahl, Po alla befintliga swenska Kongar och Drottningar, &c.

i. e.

VOLUMEN HISTORICUM, CONTINENS variorum in orbe hyperboreo antiquo Regum, Heroum & Pugilum res præclare ac mirabiliter gestas. Accessit præter conspectum genealogicum Suethicorum Regum & Reginarum accuratissimum, etiam præfatio, de caussis editi hujus operis, linguæ Gothicæ prærogativa, rerum antiquarum jucunditate, historiarum hyperborearum fide, earumque heic editarum chronotaxi; addito etiam ante evulgatarum catalogo &c.

Stockholmiæ, typis Jo. Hornii, Reg. Archivi typogr. 1737, fol. Alph. 7 pl. 20.

Qui hoc Volumen historicum eximiis antiquitatum borealium κειμηλίοις distinctum publici juris fecit, *Ericus Julius Biœrnerus*, Vir Clarissimus, industria sua dudum gratiam apud omnes literarum cultores iniit, gloriam-

 que

que a veris historiæ septentrionalis æstimatoribus maximam adeptus est. Ex quo enim, anno hujus Sæculi XVII. Dissertatione academica *Suethiæ borealis* contemplationi sacra, initium bene de hisce studiis merendi fecit, postea tractationem *de Gotunheimia ejusque provinciis; Prodromum, in quo de Scythiæ, Gothiæ & Suethiæ etymo, nec non Runarum in cippis Helsingicis & Medelpadicis inventarum ætate agitur; Epistolam responsoriam ad Cl.* Cellium, *dubia de delineatione & explicatione Runarum oborta de medio tollentem; dissertationem de Holmiæ situ antiquo, nomine & legibus, itemque Scandiæ aboriginibus; examen Runicum; opusculum antiquarium, quo aborigines Scandiæ Scythas, non Venedos fuisse, adversus* Conringium *atque* Leibnitium, *evincitur; Epistolam de legum Suio-Gothicarum, sigillatim* Byarcalium *vulgo* Bircensium *initiis ac fatis; observationes selectas ad antiquitates Scandianorum sepulchrales; Animadversiones in Magnifici* Lœscheri *literatorem celtam; historiam Russorum antiquam; explicationem Calendarii Jennici; Descriptionem Scandiæ historico-geographicam; introductionem in antiquitates Hyperboreo-Scythicas, sigillatim prærogativam linguæ & cognitionem historiarum Gothicarum*, volumina magno eruditionis apparatu referta, & a nemine non celebrata, edidit. Collectionis, quam manibus in præsenti terimus, e tenebris protrahendæ consilium illustrissimus Comes, *Gustavus Bonde* suggessit, & ut in exterorum gratiam latine converterentur singula, auctoritate sua perfecit. *Prolegomena* laudes linguæ Gothicæ, in ea historiarum parte præ ceteris necessariæ, continent. Habet hoc vetus lingua Gothica cum aliis linguis deperditis commune, ut & a paucissimis intelligatur, &, aliis subinde idiomatibus mixta, pristinam castitatem penitus amittat. Quamvis enim hodieque & Islandicam linguam, & quæ per Saxoniam inferiorem obtinet Theodiscam loquendi rationem, affines imo cognatas & ferme geminas germanas habeat, pluribus tamen in locis discrepat, ita, ut parum egregie consultum ipsi fuisse reamur, quando Islandici scribæ, qui editis nunc Codicibus operam locarunt suam, recentiorem pronuntiandi morem hinc inde literarum pictura expressum dederunt, ea tamen propter collaudandi, quod & capitum

tium numeros & summas rerum propositarum sub exordium adjecerunt. Exterorum profectus in addiscendo linguæ Gothicæ genio admodum exiles adhuc fuerunt, quandoquidem & latini idiomatis ope usi sunt, quod quum Gothicas veneres rarius adsequatur, adeoque ex versione in paraphrasin sæpius degenerat; & in scrutandis linguæ fontibus ad rivos minus limpidos, videlicet Lexica a *Wormio, Resenio* & *Verelio* adornata, confugerunt, quæ nunc ultra modum sunt arida, nunc mendis turpissimis ubique scatent. Optandum sane foret, ut in tanta literarum luce plures, in hac etiam palæstra, vires suas periclitarentur, & lectu dignissimas, quarum fidem, *Ottonis Sperlingii* testimonio in *novis literis maris Baltici* A. 1699 p. 366, collaudamus, rerum in septentrione gestarum historias, sive sagas, paulo curatius examinarent. Cl. *Biærnerus* sedecim libris exorsus est, quo alios ad ampliorem messem hoc specimine excitaret. En singulorum judicium. Primum locum occupat *conspectus Sueciæ Regum & Reginarum genealogicus*, qui a *Bondeo*, si non adornatus, certe communicatus cum *Biærnero* fuit. Sequuntur 2) *origines Norrigiæ* ab Aro forsitan, percelebri Islandorum polyhistore, concinnatæ, quem circa A. C. 1068. fato functum *Torfæus in prolegom. ad histor. Norrig.* contendit. 3) *Rhythmi de Carolo, Grimo & Hialmaro,* liberiori quadam ratione in latinam linguam conversi. Magnam statuit auctor esse veritatis speciem, versiculos hos eo, quo nunc leguntur, habitu sæculo circiter XIV. compositos, in se autem multo vetustius exordium habere, quandoquidem non ex *Fridthiofi* solum *animosi historia* apparet, ætatis antiquissimæ Scaldos carminibus ὁμοιοτελεύτοις mirum in modum delectatos, sed apud recentiores etiam moribus obtinuisse receptum, ut antiquatæ horridioresque cantilenæ data opera redderentur delicatiores & ad genium sæculi adcommodarentur. 4) *De Rolfi, Krakii & Adili Regum Daniæ ætate vera*. Exstat ibi *Goeæ* divæ sub vaccæ symbolo cultæ commemoratio. Inde *Biærnerus* censet, Graios sacra hyperborea adsciscentes finxisse Tellurem deam, quam & Jo vocant, a Jove assimilatam vaccæ, quo furori Junonis furtivis mariti amoribus supervenientis subduceretur,

 conf.

conf. *Rudbeckius atlantic.* T. II. p. 472. 486. 490 sq. 510. T. III p. 47. 648. 5) *Vita Fridthiofi animofi*, juris publici eam ob rationem facta, ut & patris *Torfleni Wickingii* memorabilia a *Renhielmio* collecta, & filiorum res gestæ a *Verelio* emissæ plenius cognofcantur. 6) *Historia de Alfo Rege & ejus Heroibus*, quam in exordium Sæc. V. incidere cum *Torfæo Biœrnerus* conjicit, vehementissime lamentatus, ipsum auctius longe exemplum manu exaratum, quod in tabulario Regis Daniæ asservatur, oculis non usurpasse, quamquam ejus rei certitudo, ex narratione quadam de *Hiori* Regis Rogalandiæ in Nortigia gemellis, ab *Ottone Sperlingio in laude Boreæ* p. 148 prolata, possit perspici. 7) *Historia de Itromundo Gripi filio, & Itroxi nigri*, de quo in saga superiori c. 16 agitur, *nepote*, qui ad Sæc. VII. magno *Asmundi Gnodii* nomine iterum videtur referendus. Magni æstimatur hoc antiquitatis fragmen, quod Semmingi, ignoti vulgo Sueciæ Regis, injicit memoriam. 8) *Historia de Halfdano Branæ alumno.* Illum Sæculi VI. decus existimant, incertum, an recte Sueciæ Regem tradant, siquidem ex fide dignis rerum gestarum monumentis perspicuum est, Scaniæ eum ac Daniæ, avitis regnis, imperitasse. Sed eadem persæpe accidit hallucinatio. Sic enim Itacus Itamundi filius in Historia *Egilli & Asmundi* MScta, Rex Sueciæ salutatur, quem Saga de Alfo superius a nobis excitata dynastam Scaniæ appellat. 9) *Historia de Sorlo robusto*, qui itidem Sæc. VI. vita ornavit sua. 10) *Historia de Halfdano filio Eysteni.* Hunc sub decursum Sæculi VII. genitum *Torfæus* perhibet, qua in re humani quidquam perpessum perspicacissimum hominem, pignore quovis certari posse, *Biœrnerus* arbitratur. Memorantur in opusculo aliquot Sueciæ borealis provinciæ, Biarmia, Hellulandia, Grenlandia, Hundingialandia, Reidgotalandia, & una Botniæ Australis Kyrialandia. 11) *Historia Samsonis Pulchri filii Arturi Regis Angliæ*, quem ad Sæc. VI. retulit *Peringskiœldius.* 12) *Historia Volsungorum, sive enarratio rerum a Sigurdo Fafnii interfectore gestarum.* Historiæ obscuritas liti ansam dedit, quæ de Ermanreco seu Jormunreco Gothorum per Sueciam magnam principe inter *Jordanum* & *Torfæum*

fœum ferbuit: nec congruum existimat *Biœrnerus*, tali femet controversiæ immiscere, cujus ea sane est ratio, ut critici montibus gravidi mures pariant, magnoque conatu maximas nugas agant. Series genealogicas Volsungorum, qui & Ylfingi dicti sunt, itemque Giureingorum ab *Halfdano* grandævo Norrigiæ Rege descendentium, quos Gangingos *Warnefridus* nominat, denique & Amalungorum, qui ab Amalo Augis filio Suecorum Rege, & vitam & nomen & familiam nacti sunt, *Torfæus* & *Peringskiœldius* adornarunt. 13) *Historia Ragnari Lodbrockii ejusque filiorum.* *Ragnarus* a plurimis ad Sæculum A. C. N. VIII refertur, ac, si nulla re alia, sane epicedio inclaruit, quod ex lapide descripsit *Saxo Grammaticus.* 14) *Historia Ani Bogswegii,* cujus nomen ideam hominis arcum flectentis vibrantisque menti repræsentat. 15) *Historiola de Norna Gesto.* Hic & vita longæva, & laude Suecorum, quippe quorum magnificentiam, eminentiam, quamplurimaque in se collata beneficia commemorat, nomen sibi peperit. Vixit annos 300. Olavo Trygguio familiaris, & sub finem Sæculi demum X. exstinctus est. Coronidem addit 16) *Historia de Helgo Thori filio seu Thorsteinio,* id est urbium domorumque robore. Hæc eo gratior cariorque civitati literatæ esse potest, quum *Torfæo* harum rerum scrutatori sollicito & felicissimo inventori vix nomine tenus fuerit cognita. Habent ergo historiarum borealium cultores volumen utilissimum, cujus ope res tenebris plus quam Cimmeriis involutæ, in quibus explicandis Andabatarum ritu huc usque versati sunt, facili negotio illustrari poterunt. Non potest non & hic labor laboriosissimo auctori, qui jam tot industriæ ac sedulitatis monumenta posuit, æternam parere nominis æternitate dignissimi memoriam.

MEMOIRES HISTORIQUES, QUI CONCERNENT le Gouvernement de l'ancien & du nouveau Royaume de Tunis &c.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI DE REGIMINE prisci & recentis Tuneti, auctore SANT-GERVASIO.

 Paris,

Paris, 1736, 12. maj.
plag. 15.

Libri auctor *Saintgervais*, usque ad annum 1733 Gallorum apud Tunetanos Consul, editis his commentariis, hominibus legenda tradere, quæ vel ipse viderat, vel certo cognoverat, simul ac vitæ non inerti desidio exactæ rationem reddere, ac secuturos tandem consules monere de evitandis periculis, viamque laudis obtinendæ, egregio certe consilio, docere voluit. Sunt omnino Commentarii, in quibus sæpius ordinem frustra requiras, semel dicta ter quaterque inculcari deprehendas, alia interdum & alia desideres. Præfatio tamen satis excusare videtur auctorem ac defendere, quæ docet, ex adversariis collecta hæc fuisse monimenta, uti illa ad manus venere; nec etiam mirum videbitur eruditis, nihil hic comparere eorum, quæ litterarum hodiernam illis in terris faciem, quæ doctores istorum hominum præcipuos tangunt. Optari quidem illa ab erudito quodam & exigi possent, quæ litteratæ nostræ rei haud parum lucis affunderent: Sed ab homine curis civilibus immerso & a litteris alieno quis exspectet tanta, quis efflagitet? Accedamus ergo propius & quid rerum memoria dignarum afferat, excutiamus breviter.
Pag. 6 Antiquam Tuneti faciem sub imperio Carthaginiensium spectandam exhibet, nummos recenset, rudera enumerat, aquæductus adhuc exstare ait, ingens ac stupendum opus, per 60 milliaria directum, quod nec temporis injuria, nec barbarorum furor, destruere potuerit.
13 Quæ post Muhammedis fata, ruente Romano imperio, Tuneto acciderint, exponit; qua ratione Chaliphæ Saracenici urbem hanc curatoribus suis administrandam dederint, iis primum, quibus bene voluerint, deinde sub *Aarone Rashido* genti cuidam Numidicæ, Agalibis scilicet, qui continua serie magnaque auctoritate rebus præfuerunt. Phademitæ postea Aegypto potiti & sede imperii Cairum delata, vicariis Tuneti curam hæreditariam tradebant. Mohadii contra A. C. 1050, Phademitarum adversarii, Chalipharumque Asiaticorum fautores, ejectis Phademitis Maroccæ sedem figebant, & Tunetum præsidibus suis fovendum colendumque transmittebant. Anno tandem

1206

1206 Lassi imperium sibi arrogarunt, & per tria fere sæcula trecentorum Regum auspiciis obtinuerunt. Ultimus erat *Hassan*, quem a *Barbarossa*, famoso illo pirata ejectum, *Carolus V.* restituit. *Hassano* vivis erepto ad *Philippum II.* Hispaniarum Regem devenerat Tunetum, *Selim II.* autem A. 1574 Gouletta & Tuneto expugnatis has terras suas fecit, & ad suos quoque posteros transmisit. Ante vero quam ulterius progrediamur, levem quendam errorem auctoris notemus. Ait Pag. 14.
primos vicarios Abbasicorum principum Tunetum missos esse A. C. 576. cum constet Saracenicam dynastiam initium sumsisse ab A. C. 622. & Abbasiaci longo demum intervallo post, subactis Hashemitis, A. C. 729 sive 746. rerum potitos esse, ipse etiam auctor diserte Arabes dicat A. C. 653. expugnasse. Præ- 23.
terea quoque Chalipharum vicarios *Emir* (dicendum fuerat *Emir-ol mumenin*) nuncupatos fuisse perperam asserit. *Secunda* 27.
sectione describit fundationem Turcici regiminis in Tunetanos. Boluk-Baschæ s. Agæ, primi constituti Tuneti domini, multas strages per 16 annos & nefanda edebant facinora. Bassa tandem quidam obæratus cum centum ducatorum millia abstulisset, exacerbati Tunetanorum animi penitus Bassas delere decreverant. Mitigati tamen, admiserunt, sed ita, ut nec publicis rebus se immitterent, nec insana in Tunetanos licentia grassarentur, ac tertio quovis anno novus Constantinopoli subministraretur. Beyorum, qui a Diwano constituuntur, nomina, fata, 33.
incrementa, & potestatem ipsi Diwano tremendam depingit. Tertius illorum fuit *Cara Osman*, a quo usque ad ultimum *Hagi Mehmed Chogia* centum anni & 23 Beyi numerantur, quorum quinque tantum placida fatorum lege obierunt. Dignitas non est hæreditaria, si tamen supersint filii plures, non natu maximum, sed quemcunque velint, eligunt. Trium fratrum 38.
Beyorum, Mehemed Bey, Ali Bey & Ramadan Bey, filiorum *Moradi II*, & unius avunculi, *Moradi* dissensus, cædes, sævitiam, inhumanitatem longe lateque ac eleganter exponit. Mores *Maradiitæ* repræsentat, ut alterum *Neronem* in scenam produxisse censeatur. *Nero* enim juvenem quendam alebat conjugis suæ nomine: *Morad* etiam publice Tuneti cum Turca quodam

dam conjugium iniit. *Ramadan Bey*, metu *Moradi*, oculos huic eruendos juſſerat. Chirurgus tamen tam apte artem, tam egregie res ſuas egerat *Moradus*, ut cœcus & lumine deſtitutus videretur omnibus, prius non detecta fraude, quam cum elabendi occaſionem nactus *Moradus* nova moliri, & avunculum *Ramadanum* regno poſſet exuere. *Moradus* igitur, cum pro inſolenti ingenio per templum quoddam Chriſtianorum, cum apoſtatarum caterva, graſſaretur (nec enim ſuam, nec Chriſtianam fidem, curabat) a ſimulacro quodam colaphis cæditur. Perturbatus ille rei novitate, quærit, quid hoc ſibi vellet. Reſpondent, qui aderant, ſacrorum miniſtri, ſimulacrum hoc eſſe ſanctæ cujusdam Martyris, *Luciæ* dictæ, quæ oculorum doloribus ac morbis mederi poſſit. Quo audito exhilaratus ille, oculorum meorum dolores ac tumorem, inquit, ſi levaris, tantum deſtinabo tibi olei, quantum lampas tua exiget. Continuo quoque promiſſa ſolvit, & ſanxit, unde fax ſacra perpetuo nutriretur. Notandam hanc hiſtoriolam auctor ſuæ fidei aſſeclis meliori de nota commendat. *Morado* huic ſucceſſit *Ibrahim*, & huic *Hashem ben Ali*, cujus vitam ampliore ſtylo exſequitur & in eo laudat, quod Turcarum in Chriſtianos licentiam ac inſultus compreſſerit. Inſpergit ta-
Pag. 65. men, pro more, alia quædam, ut de Turcarum in Mauros inſo-
66. lentia ac ſævitie, de ſermone Tunetanorum, partim Arabico barbaro ac per infinitas voces Africanas deturpato, partim Turcico, qui eſt communis ac vulgaris, partim corrupto Italico, quem
68. linguam Francicam appellant. De Apoſtatarum nequitia & damnis, quæ Chriſtianis inferunt, ac de nationibus Europæis
69. & numero Judæorum, de ritu barbam gerendi & decuſſatis pedibus ſedendi, de manus extenſione, qua Chriſtianos excepturi
70. 71. honorant, de ſphærulis eorum precatoriis, de veſtitu virili, de habitu mulierum pretioſo, annulis, unguentis, cincinnis, pigmen-
73. tis, de domiciliis, quæ, cum ſtatuis & icunculis ex legis præſcripto careant, Moſaico opere & ſententiis Arabicis miro ductu
74. 76. intricatis ornantur. De ſitu & ſtructura Tuneti, ejus hiſtoria
77. 78. & raris monimentorum reliquiis, de caſtello & Diwano, de
79. templorum copia ac reditu, de ſcholis ac aſylis, itemque ſacrificulis

culis

culis, quos *Mahrabout* appellant, eorumque post mortem veneratione & duplici genere, de *Bassaris* seu foris mercatorum, Pag. 82. 83.
de more virorum & mulierum in publicum prodeundi, de numero & tempore claudendarum portarum, de mancipiis eo- 84. 85.
rumque triplici genere, de Judæis vel Mauris vel Liburnis, 88.
qui, quamvis eandem urbis partem incolant, iisdemque templis, iisdem fruantur legibus, vatiniano tamen se odio prosequuntur: de Græcis & Capucinis, de Trinitariis, quibus pia quæ- 88. 89.
dam hispana matrona curam mancipiorum christianorum corporales æque ac spirituales injunxit. De *Diwano* & judicum ibid.
promotionibus, de Judicio *Chara* s. divinæ justitiæ, quod, uti 93.
maximæ auctoritatis est, Mufti summus, aliique, Kadi etiam non unus, Sheriphi plures, implent. Ad *Beyos* redit, eorum- 96.
que munera ac potestatem, *Hodiernum* præ ceteris, nativis coloribus effingit, *Haschem ben ali*, ejusque indolem ad summa quæque effictam, originem abjectam, (patre enim apostata Cretensi & matre Maura natus, in campo bellico dolose adolevit) honorum porro incrementa, occasionem, qua evectus ad tantum fuit fastigium, enarrat. Inserit quædam de Badouvinis seu campestribus Arabibus, quorum, licet agrestium hominum, nativam in agendis coram *Beyo* causis suis, ita admiratur, ita collaudat, ut lectores in stuporem prorsus & admirationem rapiat. *Beyus* hodiernus eam, quam antecessorum nullus, imperii ætatem attigit. Rebus enim per 28 & plures annos præest; ex quo factum, ut ostenderit, qua ratione fallacem fortunam evitare & inconcussam servare dignitatem potuerit. Sententiæ quoque ferendæ modum, triplex ejus matrimonium, filiorum numerum & virtutes, uxorum custodiam, apostatarum servilia, apparatumque festivum exponit, quo per annum ornare semel domum & amicos convivio excipere solet; simul etiam gallico more cupediarum ac cibariorum quævis genera depingit, quo cupidos harum deliciarum lectores allicere & recreare suavi possit promulside. Operarum deinde somnique & vigiliarum vicissitudines, internam animi faciem, tributi collectionem (vel enim ipse *Beyus*, vel natu major filius, tributum exacturi, quovis

semestri terram pervagantur) Turcarum Maurorumque stipendia, copiarum vim, rem bellicam, vectigalia, & prostibulo-
Pag. 122. rum tandem pretia persequitur. De Bassa, Doletli, Chaya, Aga
141. & urbis rectore, brevibus disserit. Ad religionem Muhammedicam delineandam se convertit & quinque, quibus illa nititur, fundamenta, Confessionem fidei, preces, jejunia, lotiones, sacrum iter, & quæ cum iis connectuntur, *Muhammedis* brevem ex *Chevræo* effigiem, causasque Muhammedismi exorti & late propagati, historiamque Al-Corani collecti exhibet. Fallitur tamen in quibusdam, cum majore civilium & Turcicarum rerum, quam arabicæ linguæ & doctrinarum orientalium cogni-
147. tione instructus videatur. Ex *Chalcocondyla*, quem laudat, refert, cum, quinquaginta post *Muhammedem* annis, exempla Corani deturpata mendosis lectionibus & ipsa commentatorum nequitia in pejus mutata fuissent, *Morbasum*, filium *El heken*, Chalipham Babylonicum, sex scribarum ope, collegisse Coranum, emendasse & demersis in adescla, Damasci fluvio, reliquis exemplis, unicum suum, hominibus imposuisse. Quis novit unquam, quis audivit hæc nomina? Quis ita dictum Damasci fluvium leget? Bonæ fidei omnes historici, *Abi Bur* &
151. *Omaro* illud, proxime post *Muhammedis* tempora, tribuunt. Indignatur *Muhammedi*, quod sexum tam gratum ipsi, tam congruum ejus votis ac ausibus, paradiso & voluptatibus futuræ vitæ exquisitissimis interdixerit, cum tamen contrarium docuerit *Hadr. Rolandus, Libr. II de Relig. Muhamm. §. 19* nemoque, credo, erit, qui cum Autore nostro eadem hac in re sen-
165. tiat. *Agis* (legendum *Hagi*) ait significare dilectum Deo. Nil minus; vel tyrones norunt, notare illud sacrum viatorem. Ibidem de quatuor solemnibus Muhammedanorum festis agit, Paschate scilicet minore, quod, sub finem Ramadani, exactis jejuniis, & majore, quod peregrinatores Meccæ, & domi quisque, celebrant; die decimo Dilhegiæ dieque natali & emortuali *Mu-*
169. *hammedis*, quorum illum *Melou*, hunc *Choure* Autor vocat, jumenta mactant & in pauperes erogant; mores quosdam & animi dotes Tunetanorum indicaturus candorem & ingenium Turcarum excellens laudat, quod tamen apostatarum Mauro-

rum

rum consortium adeo deturpat, ut similiter auro & foeminis awide inhient; de procerum mercatorum ac plebis vi- Pag. 177.
vendi ratione, educatione liberorum, de conjugio, differit & 182.
modum commonstrat, quo foeminæ, quod in laude ponitur,
quinques se effingunt; funeralia, medicorum fata morborumque 187. 191.
que habitum describit, præ ceteris, unius, quem *Janon* dicunt,
id est Phrenesiam, ac dæmoniorum agitationem, qua foeminæ
complures pereunt; præter vanos ritus, pœnas capitales Tune- 195.
tanorum affert. Politicam faciem regni Tunetani, interiores 199.
motus externosque hostes aut amicos, ostendit. Post, successores
suos instruit, quomodo bene rebus suis præesse, & quidem, 213.
qua ratione civium suorum commodum curare, incolarum damna 249.
cavere, curiæ suæ, summoque magistratui placere, commer- 271. 297.
cium tandem augere & in majus extollere fastigium queant. 317.
Breviter, quomodo Galli cum Tunetanis agant, docet, & suc- 332.
cincta, climatis, regionis, camporum, & modi Christianorum illic vivendi, descriptione commentarios hos claudit, quos harum rerum amantibus utilissimos, necessarios, meliori modo commendamus.

DISSERTATIO BIBLICO-PHYSICA DE LITERALI proprio Sacræ Scripturæ sensu, præsertim a patribus unanimiter recepto, in rebus etiam Physicis sancte observando, & erroneo vulgi sensu eidem non obtrudendo: In aula Collegii Panormitani Societatis Jesu, a P. BENEDICTO PLAZZA, Syracusano; in eodem collegio, olim Theologiæ, nunc sacrorum Literarum, Professore, publicæ disputationi exposita

Panormi, 1731, apud Stephanum Amato.

Superiorum facultate, pag. 216.

Raptim ac tumultuarie typis esse mandatam hanc *Plazzæ*, rigidi societatis Jesu satellitis, dissertationem, & ipse profitetur in præfatione Autor, & habitus ac indoles omnis opusculi hujus commonstrant luculenter. Componere autem isto

labore sacras & profanas, uti vocat, philosophiæ disciplinas induxit animum. Divinarum litterarum sane interest, ne quid ex corruptis philosophorum nonnullorum placitis ferant detrimenti: interest etiam philosophiæ, ne a veritate revelata eaque certissima ulla aberret ratione. Evincere itaque reverendus Pater germanum Codicis divinioris sensum, & a vulgi erroribus in re philosophica vindicare, studet. Sed, *Tantum potuit religio suadere malorum*, ut autoritate hujus illiusve Doctoris, rectam veramque sententiam sacrarum literarum declarari posse, existimet, atque adeo ex fonte minus limpido hauriat, quæ profert, omnia. Ita est; dici non potest, quanta animi contentione seu potius impetu ruat in patrum errores, quantamque injuriam inferat rationi a Deo ipso profectæ. Huc omnia collineant, sequentibus comprehensa capitibus: Multiplices Sacræ Scripturæ sensus recenset & quæstionum reso-
Pag. 1. lutione haud satis apta reddit obscuros. Regulas quoque præscribit ad eligendum, in quavis materia, inter propriam &
29. figuratam litteralem Scripturæ explicationem. Nec consuetudini nec veritati litterarum sacrarum congruere existimat, ad erroneum vulgi sensum suas in rebus physicis accommodare
51. sententias. Proprium Scripturæ sensum, a sanctis patribus communiter receptum, vulgari veterum errori, de Hemisphærica cœli figura terræque planitie non indulgere, pro-
77. nunciat. Nusquam Antipodas, juxta datas regulas, exclusisse Scripturam, & nunquam damnasse ecclesiam, nec, si qui
94. eos negarunt, culpandos esse pios patres: Systema mundi Copernicanum sacris litteris omnino repugnare, atque adeo
113. plusquam falsum esse: Hinc Autor Galilæi exponit argumen-
131. ta contra Copernicanos, eaque Scripturæ effatis corroborat. Denique adversari sibi videtur Scripturæ, Systema brutorum animalium mechanicum: *Copernicanorum* etiam tria, quæ supersunt, argumenta refellit & ostendit, *Cartesiani* physici corpo-
164. ris ideam Eucharistiæ mysterium evertere funditus. Alias
187. quæstiones levioris notæ addit, & denique aquas supra cœlestes in Scripturis expressas, non super cælum sidereum, sed
203. aëreum collocatas videri, pronunciat. En seriem rerum, quas con-

concoquere lector candidus haud poterit, multo minus comprobare? Liceat tamen penitius dispicere de uno alterove Capite, speciatim de systemate *Copernicano*. De quiete Solis & gemino telluris motu excitata præcipue fuit opinio ex editis a *Nicolao Copernico* Anno 1543, libris, de revolutionibus orbium cælestium, quos ipsi summo pontifici *Paulo III* dedicavit: quod tamen illi haud profuit, ac iidem libri, *Paulo V* imperante, fuerunt rejecti, & non, nisi iis locis correctis, in quibus de situ & motu terræ disputat, anno 1620. permissi. Hoc vero systema sacris litteris omnino repugnare, noster probaturus, ita subducit rationes: Sacra oracula, juxta probatos Canones intellecta, hunc diurnum, & annuum solis motum localem, terræque immobilitatem, hinc ejusdem terræ in cœli siderei centro positionem, plurimis in locis aperte docent. Quare, quum de inconcussa sacrarum litterarum veritate dubitare sit nefas, illud systema, non ut absolute verum, sed tantum veluti hypothesis sustineri potest: Hæc sane notissima objectio ab Autore stabilitur ex *Jos. X, 12. Sol contra Gibeon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon: Steteruntque Sol & Luna* &c. & rursus: *Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere, spatio unius diei* &c. Ebræorum verba proprie significant, *siluit Sol.* Inde arguit noster, Ebraicam silendi vocem significare quietem, & cessationem ab omni motu, vid. *Ecclesf. 43, 25. in sermone ejus siluit ventus.* conf. *Luc. 23, 26.* Nec omittit *Esa. 38, 7. 8. Ps. 92, 1.* aliaque loca, quibus solis motus & terræ quies adseritur. Terram vero in universi visibilis seu cœli siderei centro consistere, se in duabus loquendi rationibus invenisse & vidisse videtur Autor, nimirum verbis *Exod. 20, 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper,* & quæ in terra *deorsum. Deut. 4, 39. Proverb. 25, 3.* Nos vero existimamus, ne Argo quidem perspicaciorem centrum systematis in dictis verbis deprehendere posse, uti nec quisquam alius interpretum illud detexit. Cumulat prolata Autor cum sententiis patrum, quibus cordatiores vix ullam adhibebunt

 fidem.

Pag. 42. fidem. Omnia denique redeunt ad regulam hermeneuticam ab Autore prolatam, quæ ita sese habet: *Retinendus est litteralis ille sanctarum scripturarum sensus, quem tenet S. Mater Ecclesia, quemve amplectitur unanimis vel fere unanimis patrum consensus, præsertim antiquiorum & sanctiorum.* Eadem ratione reliqua Autor persequitur effata codicis divini, adeo, ut ridiculus videatur omnis dissertationis titulus quem adduximus in fronte, quum, loco inscriptionis: *Dissertatio Biblico-physica de Litterali proprio sacræ scripturæ sensu,* substitui debuisset sequens: *Collectio opinionum & explicationum sanctorum patrum de nonnullis Scripturæ S. dictis.* Scatet itaque superstitione & ingenii siccitate liber omnis, typothetarum vitiis etiam misere conspurcatus. Emolumento tamen erit iis, qui rationem sanam proscribunt, scopulisque illis cupiunt adhærere.

REFLECTIONS ON THE CHARACTER OF JAPIS in Virgil.

i. e.

OBSERVATIONES IN DESCRIPTIONEM JApidis a Virgilio factam, qua Antonius Musa, Augusti Medicus delineatur, Autore F. ALTERBURY, Episcopo, Accedit vindicatio Autoris ob novam lectionem & interpretationem versus Virgiliani.

Londini, 1740, apud Thomam Frye.

4. plag. 11.

Ampla illa vulneris Aeneæ inflicti, tentatæque ab Japide sanationis, descriptio, quam ultimo Aeneidos libro a Virgilio insertam legimus, variis commentatorum curis & interpretationibus uberrimam occasionem suppeditavit, a quorum plures eam artis salutaris cultoribus minus honorificam censuere, abjectam medicinæ conditionem ex iis verbis,

Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes;

evincere conati, quibus tamen non minore contentione ab aliis respon-

responsum, nihilque inde artis dignitati derogari, demonstratum est. A quorum partibus Cl. commemoratæ scriptionis Autor stare videtur, qui in illa, nobilissimum multoque studio adumbratum Medici consummatissimi characterem deprehendit; cumque apud omnes in confesso sit, characteres illos passim in Aeneide designatos celebrium virorum, qui tempore *Virgilii* Romæ in *Augusti* aula floruerint, imaginem referre, hic quoque, principis cujusdam medici elogium exhiberi, censet, neque ullum, cui rectius conveniat, in *Augusti* historia invenire potuit, quam *Antonium Musam*, qui *Augustum* gravibus morbis laborantem aliquoties feliciter sanavit, magnamque inde nominis famam consecutus est, cujus etiam honori epigramma *Virgilius* dicavit, quod in catalectis ejus asservatum est, etsi multi adhuc, illud a *Virgilio* scriptum esse, dubitent. Omne illud artificium, quod *Virgilius* ad ornandam & augendam Medici sui ideam adhibuit, ita copiose & eleganter a Cl. Autore expositum est, ut illam non solum singulari studio, sed & uberrimo affectu perfectam, & in magni forte alicujus medici honorem, operi suo insertam esse, arbitremur; verum enim vero distinctas aliquas notas, quæ illam *Antonio Musæ* potissimum vindicent, ut verum fateamur, collata tota hac descriptione, cum iis, quæ ex aliis monumentis de ejus vita & gestis ad nos pervenerunt, observare nondum potuimus; sane qui veterum characteres certis personis assignare volunt, si sine historiæ consensu id fecerint, nimis ingenio indulgere videbuntur, neque illud ad fidem faciendam sufficiet, quod illo forte tempore nota fuerint facta alicujus Viri, ut ad illa dicatur Poeta respexisse; nos certe post tot seculorum lapsum adeo parum divinando assequimur, ut nec nobis constet posterisque constare possit, in cujus honorem hæc ab Autore nostro conscripta sint, etsi ipse moneat, se sæpius ad aliquem celebrem Medicum ex amicis suis, nomine quamvis suppresso, dum observationes suas in chartam conjecit, respexisse, virtutesque ejus delineasse. Dum totum hunc *Virgilii* locum sigillatim expendit, multa notatu atque ulteriore disquisitione digna exhibet; sic singularem aliquem Medicorum vestitum quondam fuisse, ex verbis:

- - *Ille*

. . . . . *Ille retorto*

Pæonium in morem senior succinctus, amictu.

colligendum putat, etsi a nullo, qualis ille, quave ratione ab aliis distinctus fuerit, adhuc traditum sit. Ut alia jam, quæ passim tangit, silentio prætermittamus, ab aliis commentatoribus in diversa abit, dum hæc verba explicat.

Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo

Augurium citharamque dedit, celeresque sagittas;

Plerique enim legendum putant, *dabat*, idemque denotare putant, ac daturus erat, qui loquendi modus ceteroquin poetis non infrequens est, ut simillimo *Ovidii* loco *Lib. XIV.* Metamorphoseon constat, dum *Sibylla* ait,

Lux æterna mihi cariturаque fine dabatur,

Si mea virginitas &c.

& paulo post:

Hos tamen ille mihi dabat æternamque juventam,

Si venerem paterer.

itaque optionem, qua potissimum arte excellere velit, *Japidi* ab *Apolline* concessam, his verbis innui credunt, quod sequentibus ulterius pateat, ubi

Scire potestates herbarum, usumque medendi

maluisse, adeoque solam Medicinæ scientiam sibi elegisse, & ab *Apolline* accepisse, dicitur. Ast Autor Cl. *dedit*, legendum censet, utque eo digniorem nobis, ejus tanquam

Phœbo ante alios dilecti

ideam sistat, in omnibus his artibus, *Japidem* excelluisse, etsi solam potissimum exercuerit Medicinam, illudque a Poeta indicari, sibi persuadet. Quam sententiam editor in adjecta dissertatione, pluribus, operose defendit, qui non solum lectionem illam, *dedit*, antiquissimis Manuscriptis & impressis codicibus propriam, & a pluribus viris doctis probatam, evincere conatur, sed & in sensu proprio, qui *conferre & largiri, non offerre tantum,* denotat, acceptam esse, urget, simul aliorum interpretum, qui *dabat* legunt, & notionem *oblationis* cum illo conjungunt,

rationes

rationes refellere laborat, quæ harum rerum curiosis in ipso opusculo evolvenda commendamus.

TRACTATUS JURIS PUBLICI FUNDAMENtalis, de Clypeis militaribus Germanorum, in quo variæ ad Jus Feudale spectantes materiæ illustrantur, tribus partibus absolutus, quarum I. de Clypeorum capacibus & incapacibus, II. de conciliis & expeditionibus militaribus, III. de corporibus feudalibus clypeis præditis, agit, Editus ac indice instructus a PHILIPPO SPERL.

Norimbergæ, sumtibus Joannis Stein, 1736, 4.
Alph. 1 plag. 8.

Haud sane contemnendam, uti nobis quidem videtur, in Publico ac Feudali Jure notitiam sapit eruditum illud de *Clypeis Germanorum militaribus* opusculum. Quæ in eo notatu digniora nostris obvenerint oculis, paucis jam significabimus. De ætate libri veteris, qui de beneficiis inscribitur, acute disserit nobilissimus Autor. *Freheri* enim, *Thomasii, Gundlingii*, &, qui eum sequitur, *Fleischeri*, tantum abest, ut illi conjecturæ placeant, ut libelli hujus Autorem ad *Carolum M.* referre malit, quam præstantissimorum horum virorum sententiam amplecti. In rem suam producit *Eginharthum*, in *Vita Caroli M. Cap. XXIX.* & *Annalistam Francorum* ad annum 802. apud *Lambecium* de *Bibliotheca Cæsarea Vindobon. Cap. V p. 382.* quamquam negare non audeat, sequentibus temporibus complura ab Imperatoribus Regibusque Germaniæ fuisse interpolata. Ut Clypeorum militarium originem atque doctrinam solide & distincte traderet Autor, Feudorum initia & finem apud Germanos paullo altius repetit. Asia, uti omnium gentium, ita non minus populorum Germanicorum, patria fuit primæva, quod omni carere dubio putat. Quo vero antiquissimi nostri propagatores migrarint exinde, nondum expedita res est, aliis in terras septentrionales, ceu apud *Pufendorfium, Hist. Sued. §. 1.* glo-

Pag. 1. sq.

gloriantur Suedi, aliis, iisque plerisque, in Scytarum regiones, circa mare nigrum factum id esse, contendentibus, quibus ideo accedit doctissimus Autor, quod ipsi Teutones Græcos illos Heroes, Herculem puta, Ulyssem, & alios, apud se Reges fuisse, memoraverint, *Tacito* teste de *Morib. Germ. Cap. III.* Et ex his quidem traditionibus patere scriptor noster existimat, Teutones nec a Romanis, nec a Gallis, quod *Cæsari*, de *Bello Gall. 6, 24.* & *Tacito l. c. Cap. XXVIII.* visum, sed ex Rhætia potius Scytiaque provenisse, ita profecto, ut semper patres, & propagatores gentis, in sedibus ab se cultis permanserint, donec terræ illorum juventutis flore abundarent; tunc enim juvenes ad occupandas oras alienas incultas, vel cultas, hostibus armata manu eripiendas, mittere solebant. Ut vero illi ipsi coloni constantia atque fortitudine majori extraneas sibi vindicarent terras, ejurare patriam suam debebant, quod *Taciti* loco, (non ut in Opusculo hoc legimus, *Julii Cæsaris*) pro-
Pag. 58. batur *Histor. 4, 28.* Parum accurate & perspicue Juris Feudalis Doctores ex dogmatibus alienis & Longobardicis, de iis, qui Feudorum capaces sint, exponere, ostendit Clarissimus *Sperl,* dum neque inter eum, qui accipit, neque eum, qui dat Feudum, recte distinguant, sive masculus, sive femina, sive ingenuus, sive nobilis, sive rusticus, sive major, sive minor, sive impubes, sive prodigus, sive furiosus, sive Clericus, sive Laicus, sive paterfamilias, sive filius sit, itemque, sive inferior a superiore, vel hic ab inferiore accipiat. Et miratur sane Autor, quod novissimi quoque JCti, sine omni discrimine inter Feuda *vera* Teutonica, quæ quinque continentur Clypeis, & *Pseudo-Feuda,* sive oblata, sive fiscalia *(Kammer- und Probstey-Lehen),* easdem, quasi re bene gesta, nænias repetierint. Sed quid de Clypeorum numero traditur? Septem eorum classes constituit *Autor de beneficiis §. 2,* quem sequitur *Speculum Saxonic. Lib. I Art. 3. Jus Feud. Sax. c. 1. & Alemann. c. 1. §. 1.* Plane tamen sibi persuadere nequit Autor, Germanos tam multos constituisse gradus subinfeudationum, a quibus distinctiones Clypeorum petendæ. Existimat potius, quinque tantum Clypeos & Vassorum Classes in imperio fuisse, scilicet clypeum,

quem

quem Rex gerit, clypeum, qua Duces gavisi, clypeum, qui graviori concessus, clypeum, quem nobiles habuerunt, & denique clypeum, qui in cives & rusticos transferri solebat. Quod in *Jure Feudali Alemann. Cap. CXXXII.* legitur, jurisdictionis Feuda non ultra tertiam manum, feuda recta & propria autem usque ad manum septimam concedi, id explicat *Jus Feud. Sax. Cap. LXXI*, quod prius de Feudis imperii Teutonicis, septima vero subinfeudatio de aliis irregularibus, peregrinis, Romanis beneficiis, & pseudo-feudis sit intelligendum, quorum finis unice ad reverentiam, defensionem & taciturnitatem domino præstandam, non tamen in pace administrandæ justitiæ, & in bello patriæ defendendæ caussa, fuit constitutus. Merito igitur feuda irregularia & impropria appellantur, cum e contrario feuda imperii causa, & ad rei publicæ conservationem introducta, vera sint recta & regularia. Inque his ipsis non nisi quinta vice subinfeudationem habuisse locum, contendit Autor. Quod si olim a Vasallo jus jurandum fidelitatis præstandum esset, dominus manu tenuit festucam, seu baculum, cujus tanta apud Germanos autoritas erat, ut, quod ratum firmum esse volebant, ea interposita, perficerent, id quod *Jure* quoque *Feudali Saxon. c. 66.* præcipitur. In quibusdam tamen iudiciis non nisi nominatio hujus solemnitatis in jure jurando adhibitæ superest, Germanice *die Eyds-Stabung, Angelobung zum Gerichts-Stab.* Legi etiam monet Autor, in Diplomatibus vetustioribus, Landsassicorum equitum prædicata, ut *Stab-Herren* dicerentur, & inde etiam in judicibus Germaniæ criminalibus baculi fractionem in usu esse subjicit, ad denotandam probationum sufficientiam atque finem. Maxime enim illi est probabile, quod hic ritus a sacerdotibus tantum in Ordaliis & Synodicis judiciis initio usitatus, & deinceps ad jus jurandum in foro seculari præstitum, fuerit adhibitus. Et ex his, quæ speciminis loco protulimus, facile cognoscet Lector, quid boni complectatur Opusculum illud eruditi Autoris.

Pag. 220.

JOHANNIS FRIDERICI BERTRAMI, THEOLOgi in Aula Ostfrisica, PARERGA OSTFRISICA, quibus continentur dissertationes, de rerum in ecclesia & republica Frisiæ orientalis gestarum scriptoribus. Accedit satura observationum ad historiam F. O. & ecclesiasticam & litterariam spectantium.

Bremæ, apud Nathanael Saurmann, 1735, 8.
14½ plag.

Qui non uno titulo ante jam sibi litteratos obstrinxit, S. Rev. Autor, pergit hic lucubrationes suas cum societate doctorum communicare, atque inprimis quinque elegantissimas disputationes exhibet. *Prima* illarum, de Chronico *Eggerici Beningæ*, lectu quædam dignissima affert. Fuit ille ex antiqua inter Frisones gente ortus, vir nobilissimus, scriptor mediocris. In aulis *Edzardi primi*, *Ennonis II.* & *Johannis I.* claruit, & scripsit *Volledige Chronyck van Ostfrieslant*, sive Annales Ostfrisicos, quos *Eilh. Folck. Hartkenroth*, apud Emdenses verbi divini minister, A. 1723. auctos evulgavit. Absolvuntur isti *libris quatuor*, qui in suos paragraphos vel capita commode divisi sunt. Res Autor eo, quem natura jubet, ordine, & qui annalibus proprius est, persequitur, scilicet secundum seriem temporum & annorum. Fontes, unde sua desumsit, sunt, quod ad vetustissimam historiam attinet, *Kranzius* & pauci alii veteres historici. Res medii ævi maxima parte ex chronicis & scriptoribus privatis, monasteriorum præcipue tabulis, petiit, suæ ætatis acta dies & experientia ipsi suggesserunt. Veritatis plerumque studiosus fuit, ita tamen, ut interdum etiam decipiatur. Commentatio *secunda* agit de *Ubbone Emmio*, ejusque historia. De vita hujus viri, *prima sectione* proposita, nihil attinet multa excerpere, cum nemo facile sit eruditorum, qui non *Freherum*, *Popebluntium*, *Andream Wittenium*, *Bailium*, *Hanckium*, *Clarmundum*, *Benthemium*, vel alium ejusmodi scriptorem possideat, aut etiam vitam *Emmii*, a *Nic. Mulerio* ex instituto consignatam & cura *Nic. Hinck*, Professoris quondam Groningani, A. 1728. recusam, legere possit. Ipsius autem dili-

diligentiæ aliquot debentur libri, quibus historiam Frisiæ orientalis descripsit atque illustravit. Percenset illos *altera sectio.* Præcipuum opus est rerum Frisicarum historia, per decades distributa, cujus non solum causæ & occasio, sed titulus pariter, œconomia, argumentum, editiones, stilus, fides, atque alia, denotantur. *Tertia* demum *sectio* controversiam, sive litem historico-criticam, quæ *Emmio* cum *Suffrido Petri, Furmerio,* & *Hamelmanno,* intercessit, accuratius tangit. Sed dissertationem nos potius ad *tertiam* progrediamur, qua *Ennonis Rudolphi Breneysienii* historia Ostfrisica describitur. Hic vir illustris atque in aula Ostfrisica ante Cancellarius, & a consiliis intimis, nunc vero beate defunctus, historiam Ostfrisicam Germanica lingua, sub titulo: *Ostfriesische Historie und Landes-Verfassung aus denen im Fürstlichen Archive vorhandenen und sonst colligirten glaubwürdigen Documenten,* cet. cet. descripsit, ac jussu publico, *duobus Tomis* A. 1720. evulgavit. Egregium illud opus non nudam ac solitariam complectitur historiam, sed πολιτικὴν in primis ac πραγματικήν. Fidem libri quamquam *Harkenrothius,* Pastor Appingadamensis, extenuare voluit, firma tamen stat illa atque inconcussa. Id quod etiam *Acta* nostra, *Mense Januario* A. 1731. publicata, non potuerunt non testari, unde hanc ob causam integra, licet fusior illa sit, percensio a Cl. *Bertramo,* jure quodam suo, repetitur, una cum Serenissimi principis mandato, quo usum illius in judiciis perpetuum & solemnem esse debere, sancitur. *Quarta* dissertatio agit de aliis varii generis rerum Ostfrisicarum scriptoribus, & primo quidem de chronologis *Fabricio, Ravinga, Harckenrothio,* quorum ille Chronicam edidit, Hamburgi A. 1606. primo publicatam, alter, *Fabricium* sequutus, novam Chronicam Ostfrisicam scripsit, ac tertius denique similem laborem suscepit, qui aliquoties lucem vidit sub tit. *Oostfries Historíes Kronykje van eenige voornaame Geschiedenissen, en Oostfriesland en nabarige Landschappen vorgefallen,* cet. Illis subjunguntur præstantiores atque accuratiores, *Ernestus Frid. a Wicht,* Nordanus, cujus annales Frisiæ MSti celebrantur, *Ulricus a Werdum,* qui seriem gentis suæ scripsit, a primis ejus initiis, ad annum usque

1667, quæ Werdumi adhuc asservatur, atque alia etiam huc pertinentia, in schedis reliquit, *Christianus Funckius*, pastor olim Auricanus, senior, qui chronicon Auricanum confecit, ut exteros illos, *Pierium Winsemium*, *Christianum Schotanum*, & *Cornel. Kempium*, taceamus. Accedunt carmina, quibus Acta gentis Frisiæ æternitati consecrantur, quo pertinent *Martini Hamconii* Frisia, seu de viris rebusque Frisiæ illustribus libri duo, *Guilielmi Fullonii Gnaphæi* Emdanæ civitatis encomium, *Christiani Loeufferi* vita *Edzardi primi*, & *Seb. Eberhardi Ibernigii* carmen historicum de rebus Frisiæ orientalis. Postea de iis, qui stirpium Ostfrisicarum aliquam habuere rationem, *Ubbone Emmio*, *Eilhardo Loringa*, *Ulrico a Werdum*, ac *Gothofredo Henr. Mullero*, Essenensium consule, hinc de Chorographis & Geographis, *Kempio*, *Emmio*, *Harckenrothio*, aliis, quibus ipse autor se jungit, agitur. Neque silentio involvuntur, qui Frisiæ orientalis antiquitates eruere laborarunt, aut qui peculiarem aliquam historiæ Frisicæ portionem perstrinxerunt, uti &, coronidis loco, de fatis Frisicis vaticinia profert. *Quinta S. rev. Bertrami* dissertatio rerum in cœtu Frisiæ Or. sacro gestarum scriptores enarrat, & varia, quæ in ipso libro evolvi merentur, notatu dignissima profert. Finem denique facit lanx satura, qua sistuntur: Friso orientalis inter sanctos pontificios relatus: juris Ostfrisici provincialis quædam de rebus ecclesiasticis sancita fabulosæque origines: Friso orientalis veritatis evangelicæ ante reformata sacra testis: & *Catharina*, Frisionum princeps, *Gustavi*que Suecorum Regis filia, orthodoxa. Huc pertinent deinde summus *Catharinæ* in veritatem evangelicam amor, ardensque ejusdem studium, assidua ejusdem sacrarum litterarum meditatio, cum oratione frequenti conjuncta, pietatis, quibus *Catharina* operabatur, exercitia, epitaphium ipsius a *Mesandro* confectum. Sistuntur porro, eadem in appendice, Friso orientalis inventor, quo titulo ingenia celebrantur, quæ istis in regionibus prognata inventionibus se suis commendarunt: *Philippi Marnirii*, domini de *Adelgunde*, liber, *des H. Ræm. Reichs Bienen-Korb* dictus, in quo superstitiones pontificiæ facete atque salse deridentur, percensitus: *Matthias Vehe Arianus* justas in Frisia orientali pœnas luens: *Conradus Potinius*, ex nobili familia Westphalica a *Potten* oriundus, pastor quondam Wittmundanus, ob scripta pariter ac certamina clarissimus. Postremo loco subjunguntur animadversiones ad historiam criticam *Johannis a Lasco*, paucos ante annos editam. Singula ista specimina exquisitæ eruditionis testes ac lectu dignissima sunt.

INDEX

❁)o(❁

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine continentur:

I. *Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Juridici.*

III. *Libri Medici & Physici.*

Schœne-

IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Historici, Chronologici, Genealogici, &c.*

De

VI. *Libri Miscellanei.*

Haver-

* *

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Absces-

B.

 Burne-

Centu-

De

H. Hæber-

apud

Mosaicæ

Petri

Reli-

Num.

Ecclef.

Luc.

Sidonii

Theologis

Errores

Errores operarum extantiores hi ſunt emendandi:

Pag. 11 *lin.* 1 pro *Tomi VII Ctio I. eS.* leg. *Tomi VII Sectio I*; *pag.* 53 *lin.* 22 pro *antogoniſtam* leg. *antagoniſtam*; *ead. pag. lin.* 33 pro *thoracas* leg. *thoraces*; *pag.* 57 *lin.* 23 pro *id comprobatum* leg. *it comprobatum*; *pag.* 72 *lin.* 31 pro *expſectationem* leg. *exſpectationem*; *pag.* 74 *lin.* 12 pro *oportes* leg. *oportet*; *pag.* 75 *lin.* 25 pro *nemluem* leg. *neminem*; *pag.* 87 *lin.* 15 pro *quo bi* leg. *quod hi*; *ead. pag. lin.* 17 & 18 pro *inveveniſſe* leg. *inveniſſe*; *ead. pag. lin.* 28 pro *titulos* leg. *titulus*; *pag.* 94 *lin.* 25 pro *ſupſtituitque* leg. *ſubſtituitque*; *pag.* 95 *lin.* 28 pro *fuenebris* leg. *funebris*; *pag.* 104 *lin.* 13 pro *æternum* leg. *æternam*; *pag.* 106 *lin. ult.* pro *reſurrectiuonem* leg. *reſurrectionem*; *pag.* 109 *lin.* 1 *pro* *UPPLEMENTA* leg. *SUPPLEMENTA*; *pag.* 111 *lin. antepenult.* pro *omninos* leg. *omnino*; *ead. pag. lin. penult.* pro *compendum* leg. *compendium*; *pag.* 114 *lin.* 15 pro *expertum* leg. *expertam*; *ead. pag. lin.* 31 pro *nec ſane* leg. *nec ſine*; *pag.* 115 *lin.* 2 pro *illaturos* leg. *illaturas*; *pag.* 116 *lin.* 18 pro *comjungantur* leg. *conjungantur*; *pag.* 117 *lin.* 29 pro *eo* leg. *ea*; *pag.* 121 *lin.* 1 pro *Sectio II* leg. *Sectio III*; *pag.* 122 *lin.* 9 pro *Phœdrus* leg. *Phædrus*; *pag.* 124 *lin.* 19 pro *ſpiritali* leg. *ſpirituali*; *pag.* 136 *lin.* 25 pro *Jiannem* leg. *Joannem*; *pag.* 151 *lin.* 10 pro *Liguras* leg. *Ligures*; *pag.* 158 *lin.* 10 pro *quem* leg. *quam*; *pag.* 160 *lin.* 5 pro *pcta* leg. *picta*; *pag.* 170 *lin.* 6 pro *S. Corolo* leg. *S. Carolo*; *pag.* 173 *lin. penult.* pro *ctedibilius* leg. *credibilius*; *pag.* 178 *lin.* 6 pro *ane* leg. *ſane*; *pag.* 180 *lin.* 7 pro *iilud* leg. *illud*; *pag.* 190 *lin.* 8 pro *ob* leg. *ab*; *pag.* 203 *lin.* 26 pro *apad* leg. *apud*; *pag.* 204 *lin.* 3 pro *Diis* leg. *Deabus*; *pag.* 211 *lin.* 30 pro *atqoe* leg. *atque*; *pag.* 214 *lin.* 28 pro *VIRIS* leg. *VITIS*; *pag.* 215 *lin.* 7 pro *ignore* leg. *ignoret*; *pag.* 217 *lin.* 14 & 15 pro *accommoditiſſimam* leg. *accommodatiſſimam*; *pag.* 218 *lin.* 33 pro *inceſto* leg. *inceſtu*; *pag.* 224 *lin. penult.* pro *Pacuit* leg. *Placuit*; *pag.* 245 *lin.* 2 pro *ſucceſſo* leg. *ſucceſſu*; *pag.* 265 *lin.* 27 pro *tam* leg. *tum*; *pag.* 277 *lin.* 33 pro *deſponere* leg. *diſponere*; *pag.* 281 *lin.* 18 pro *ſervaverit* leg. *ſervaverat*; *ead. pag. lin.* 30 pro **LXXXIV** *leg.* **XXXIV**; *pag.* 286 *lin.* 10 pro *oxganorum* leg. *organorum*; *ead. pag. lin.* 22 dele comma poſt verb. *exercitiis*; *pag.* 288 *lin.* 1 pro *Tom. VI Sect. VII* leg. *Tom. VII Sect. VI*; *pag.* 291 *lin.* 23 pro *reenſuit* leg. *recenſuit*; *pag.* 315 *lin.* 24 pro *Conſtitino* leg. *Conſtantino*; *pag.* 333 *lin.* 17 pro *alio* leg. *alia*; *pag.* 338 *lin.* 25 pro *auten* leg. *autem*; *pag.* 342 *lin.* 21 & 22 pro *dipeſcit* leg. *diſpeſcit*; *pag.* 358 *lin.* 15 pro *exſtat* leg. *exſtet*; *pag.* 385 *lin.* 11 pro *HISTOKICA* leg. *HISTORICA*; *pag.* 387 *lin.* 18 pro *Ramanos* leg. *Romanos*; *pag.* 389 *lin.* 30 pro *ure* leg *jure*; *pag.* 390 *lin.* 31 pro *burg* leg. *Bourg*; *pag.* 395 *lin.* 16 pro *prrodit* leg. *prodit*; *ead. pag. lin.* 24 pro *conditione* leg. *cognitione*; *pag.* 396 *lin.* 7 pro *plane*

leg.

leg. *plana*; *ead. pag. lin.* 16 pro *duolibus* leg. *dualibus*; *pag.* 397 *lin.* 13 dele verbum *die*; *ead. pag. lin.* 19 dele verbum *in* post verbum *illa*; *pag.* 402 *lin.* 10 pro *suscipatur* leg. *suspicatur*; *pag.* 403 *lin.* 27 pro *plurimaum* leg. *plurimarum*; *pag.* 408 *lin.* 16 pro *Anglo-Saxonas* leg. *Anglo-Saxones*; *pag.* 413 *lin.* 3 & 4 pro *alditur* leg. *alluditur*; *pag.* 415 *lin.* 26 & 27 pro *ejus denique* leg. *ejusdemque*; *ead. pag. lin. penult.* pro *Nibil* leg. *Nihil*; *pag.* 418 *lin.* 10 pro *xe* leg. *ex*; *pag.* 422 *lin. ult.* pro *Accademiæ* leg. *Academiæ*; *pag.* 427 *lin. antepen.* pro *etiami* leg. *etiam*; *pag.* 429 *lin.* 28 pro *traiſtationem* leg. *tractationem*; *pag.* 446 *lin.* 11 pro *antogonistæ* leg. *antagonistæ*; *ead. pag. lin.* 17 pro *manassr* leg. *manasse*; *pag.* 447 *lin.* 20 pro *HISTOBIA* leg. *HISTORIA*; *pag.* 452 *lin.* 22 pro *exibbet* leg. *exhibet*; *pag.* 453 *lin.* 21 pro *uobis* leg. *nobis*; *pag.* 455 *lin.* 16 pro *ranslata* leg. *translata*; *ead. pag. lin. ult.* pro *perspicuo* leg. *perspicue*; *pag.* 459 *lin.* 33 pro *simplicicas* leg. *simplicitas*; *pag.* 468 *lin.* 13 pro *Almelovelnium* leg. *Almeloveenium*; *pag.* 471 *lin. ult.* pro *accerrimi* leg. *acerrimi*; *pag.* 472 *lin.* 26 pro *observat* leg. *observavit*; *pag.* 475 *lin.* 14 pro *breviate* leg. *brevitate*; *ead. pag. lin.* 18 pro *striptum* leg. *scriptum*; *pag.* 480 *lin.* 28 & 29 pro *mortuorum* leg. *morborum*; *ead. pag. lin.* 30 & 31 pro *alteterum* leg. *alterum*; *ead. pag. lin.* 34 pro *arctitectura* leg. *architectura*; *pag.* 481 *lin.* 19 pro *Benedictini* leg. *Benedicti*; *pag.* 483 *lin. antepenult.* pro *Pragm* leg. *Pragam*; *pag.* 490 *lin.* 24 pro *destribuitur* leg. *distribuitur*; *pag.* 496 *lin.* 4 pro *obsevationem* leg. *observationem*; *pag.* 511 *lin.* 17 pro *setnentiam* leg. *sententiam*; *pag.* 515 *lin.* 3 pro *ui* leg. *ut*; *pag.* 517 *lin.* 17 pro *injuiria* leg. *injuria*; *pag.* 519 *lin.* 9 pro *vei* leg. *vel*; *pag.* 524 *lin.* 19 pro *portem* leg. *partem*; *pag.* 526 *lin.* 4 pro *Jacolum* leg. *Jacobum*; *pag.* 527 *lin.* 30 & 31 pro *perperdatur* leg. *perdatur*. Reliquos errores, eosque leviores, prudens & attentus Lector facile ipse corriget.